


Duplicado



INSTITVTIONES CATHOLICAE

QUIBUS ORDINE AC BREUITATE DISERTUR quicquid ad praecauendas & extirpandas haereses necessarium est. autore Iacobo Septimancensi, doctore legum, consiliario & senatore regio in Cancellaria seu conuentu iuridico nobilis municipij Vallisolitani, & in eiusdem academia olim cathedram vespertinam iuris ciuilibus regente, ex collegio per celebri sanctae crucis.

Opus nunc primum in lucem editum.

Manuscript signature




DE LA LIBRERIA
DEL REAL COLEGIO MATOR
Reunido de Santa Cruz, y
Santa Catalina.
E. S. C. 101 N. 12.

VALLISOLETI,
Ex officina Aegidij de Colomiestypographi.

Cum priuilegio ad decennium.

1552

Manuscript signature: D. Joseph Lidro de Orreca Bedoya



2 400 40
MADE IN SPAIN



R. 1059
Duplicado



INSTITVTIONES CATHOLICAE
QVIBVS ORDINE AC BREVITATE DISERI-
tur quicquid ad præcauendas & extirpandas hæreses necessarium est. autore
Iacobo Septimancensi, doctore legum, consiliario & senatore regio in Can-
cellaria seu conuentu iuridico nobilis municipij Vallisolitani, & in eiusdem
academia olim cathedram vespertinam iuris ciuilibus regente, ex collegio per-
celebri sanctæ crucis.

Opus nunc primum in lucem editum.

[Handwritten signature]




DE LA LIBRERIA
DEL REAL COLEGIO MAYOR
Reunido de Santa Cruz, y
Santa Catalina.
E. 5.º C. 101 N. 13.

VALLISOLETI,
Ex officina Ægidij de Colomiestypographi.

¶ Cum priuilegio ad decennium.


1552

D. Joseph Ludio de Orreca Bedoya



AD SERENISSIMUM HISPANIARVM
principem Philippum Iacobi Septimancensis
in catholicas institutiones

PRÆFATIO.



VVM. MVLTASINGVLARIS
in deum Christum pietatis exempla, à maiori-
bus tuis regibus Hispaniæ edita sint, serenissime
Princeps, iudæis non solum, sed etiam mahumé-
tanis omni sua ditione pulsus; sic tamen existimo,
nulla in re christianæ religioni magis ab eis fuisse consultum,
quàm quòd vindices hæreticæ prauitatis, quos inquisitores no-
minamus, quasi vigilias per omnem Hispaniam locis opportu-
nis disposuerunt: qui præcipua quadam vigilantia in custodia do-
minici gregis excubarent, & hunc à luporum voracitate, & mor-
bidarum pecudum contagiosa tabe tuerentur. Hac enim ratio-
ne factum est, vt quum impius hæreticorum morbus iam pridè
ortus in Germania, & longè lateque vagatus, multas nationes
per licentiam periculosè tentauerit, sola ferè Hispania fidem ca-
tholicam puram inuiolatamque, piorum principum prouisione
ac beneficio retinuerit. Quàm tuorum maiorum piam laudem,
cùm te morum sanctitate, & egregio christianæ religionis cultu
diligenter æmulari animaduertere, teque id semper habere præ-
oculis, quod Aristoteles ad Antipatrum, de Alexandro scribens,
ait: nédum sapientia præstare par est eum, qui antecedit imperio,
sed etiam religione, & pietate: haud ingrati rem tibi fore puta-
ui, si qualescunque has institutiones tuo nomini dicarem, nuper
à me in eorum potissimum usum elucubratas, qui erūt patris tui
Caroli Maximi, tuaque voluntate sacrosancto inquisitionis offi-
cio præficiendi. Nam quanuis in omni ferè tractatu ciuili tot,
ac tanta commentaria extent, vt vix ea quispiam enumerare, né-
dum perlegere, aut percipere possit; nemo tamen eorum, quos
mihi videre contigit, vsque adeo perfectè grauisimam hanc ma-
teriam tractauit, vt superuacaneus labor noster videri queat. In
Hispanorum itaque gratiam (quos in extirpandis hæresibus reli-
qui

PRÆFATIO.

qui orthodoxi omnes sedulo imitari deberent) de impijs, apostatis, & hæreticis summatim conscripsi, & inquirendi, iudicandi, & puniendi rationem paulò accuratiùs explicaui, nec cætera tacui, quæ huius muneris rudiores instituere, doctiores admonere non incommodè posse visa sunt: hoc libentius persequutus omnia, quòd librum hunc tuo nomine decorare constitueram, non quasi te dignum, sed vt meum in te colendum propensissimum animum, ex magno in retenui studio ac voluntate cognoscas. Deus Optimus Maximus, serenissime princeps, tibi semper adfit.

EL REY

POR quanto por parte de vos el doctor Simancas oydor de la nuestra audiencia y Chancilleria que reside en esta villa de Valladolid, nos a sido hecha relación, que vos aueis compuesto vn libro intitulado, Instituciones catholicas, en que aueis trabajado mucho, supplicando nos, que auiedo cõsideracion a esto, os diessemos licencia y mandassemos, que vos, o la persona o personas, que para ello vuestro poder tuuieren, y no otras algunas puedan imprimir y vender el dicho libro en estos nuestros reinos y señorios de Castilla, ni traerlo a vender de fuera dellos, o como la nuestra merced fuessè. Y porque auiedo se visto por nuestro mandado el dicho libro parescio, que se podia imprimir sin que dello se siguiessè inconueniente, por la presente os damos licencia y mandamos: que vos o la persona, o personas, que vuestro poder para ello tuuieren, y no otra alguna, puedan imprimir, ni vender el dicho libro en estos nuestros reinos y señorios de Castilla por tiempo de diez años primeros siguientes, que se cuenten desde el dia de la hecha desta mi cedula en adelante. Sopena que qualquier persona o personas que sin tener vuestro poder para ello lo imprimie
ren

ren o hizieren imprimir, y lo vendieren o lo hizieren vender, pierdan toda la impresion que hizieren o vendieren, y los moldes y aparejos con que lo hizieren. Y mas incurra cada vno en pena de cinquenta mill maravedis por cada vez que lo contrario hiziere. La qual dicha pena se reparta en esta manera. La tercia parte para la persona que lo acusare, y la otra tercia parte para el juez que lo sentenciare, y la otra tercia parte para nuestra camara y fisco. Y mandamos que cada pliego de molde del dicho tratado se vénda al precio que por los del nuestro consejo fuere tassado. Y mandamos a los del dicho consejo presidènte y oydores de las nuestras audiencias, alcaldes, alguaziles, de la nuestra casa, corte y chancillerias, y otras justicias qualesquier de estos nuestros reynos, que os guarden, y hagan guardar y cumplir esta nuestra cedula, y contra ella os no vayan ni passèn por alguna manera, sopena de la nuestra merced y de diez mill maravedis para la nuestra camara a cada vno que lo contrario hiziere. Fecha en Valladolid a onze de Julio de mill y quinientos y cinquenta y vn años.

L A R E Y N A.

Por mandado de su Majestad
su alteza en su nombre.

Iuan Vazquez.

INDEX CAPITVM, ET RERVM,

quæ in hoc opere continentur.

- De abiuratione canonica. Cap. j.
- ¶ Vid sit abiuratio, quàm iustâ, & antiqua. Quæ partes, & effectus eius, à quibus, cur, & quo ritu facienda.
De absentibus. Cap. ij.
- ¶ Vbi, quâdo, qua forma, & per quos, aduersus absentes procedatur.
De absolendis conuersis. Cap. iij.
- ¶ A quibus absolui possint hæretici pœnitentes.
De accusationibus. Cap. iiij.
- ¶ Quòd omnes tenentur accusare, vel saltem denunciare hæreticū.
Item quomodo fieri debeat accusatio.
De aduocatis. Cap. v.
- ¶ De officio & iuramento aduocati, & quâdo accusato de hæresi patrocinari possit.
De appellationibus. Cap. vj.
- ¶ Quando liceat hæreticis, & eorum hæredibus appellare.
De apostatis. Cap. vij.
- ¶ Apostatæ à fide, non secus atque alij hæretici puniendi, & recipiendi sunt.
De blasphemis. Cap. viij.
- ¶ Quid sit blasphemia, quæ species eius: qualis, & qua pœnitentia ab inquisitoribus puniri debeat.
De bonis hæreticorum. Cap. ix.
- ¶ Quòd hereticorū bona iustissimè publicantur. Quòd eadē incōsciētia fisco tradere nō tenētur ante cōdēnationē iudicis. Itē quid in cōfiscatione veniat, & quid non. Item de dote, arris, de lucris cōiugum, de feudo, emphiteusi, meliorationibus, de quæ alijs multis.
De cæremonijs. Cap. x.
- ¶ Quàm sint necessarię cæremoniæ. Item quid probent ritus iudeorum, & Saracenorum.
De cōmunicatione impiorum vitanda. Cap. xj.
- ¶ Noxiam & prohibitam esse communicationem cum hæreticis.
Item quando liceat cum eis colloqui.
De concilijs. Cap. xij.

De generibus

INDEX.

- ¶ De generibus conciliorum, & eorundem viribus, & autoritatē.
De confessis. Cap. xiiij.
- ¶ Quando confessus hæresim puniri debeat, vel contra.
De contumacibus. Cap. xiiij.
- ¶ De pœnis contumacium, & quousque audiendi sint.
De credentibus, defensoribus, fautoribus, & receptoribus. Cap. xv.
- ¶ Qui sint hi, & in quas pœnas incidant.
De custodia reorum. Cap. xvj.
- ¶ De custodibus carcerum, ac de ipsis inclusis quædam cognitu necessaria. Item an liceat ruptis vinculis fugere.
De defunctis. Cap. xvij.
- ¶ Intra quod tempus procedatur contra defunctos. Item quòd non licet se occidere, ac de sententia contra mortuos ferenda.
De denunciatione. Cap. xvij.
- ¶ Quòd omnes tenentur hæreticos denunciare, alioqui malè præsumitur contra dissimulatores.
De disputatione. Cap. xix.
- ¶ Non licet cū hæreticis disputare, nisi seruatis debitis circumstatijs.
De diuinatoribus. Cap. xx.
- ¶ Qui sint diuinatores, & quando puniri debeant ab inquisitoribus.
Item nonnulla de reuelationibus & illusionibus.
De doctoribus ecclesiæ. Cap. xxj.
- ¶ Quanta, qualisque fides doctoribus sacris adhibenda sit.
De dominis temporalibus. Cap. xxij.
- ¶ Quòd hi tenentur hæreticos oppugnare, & fauorē inquisitoribus impendere.
De ecclesia. Cap. xxiiij.
- ¶ Quid, qualisque sit catholica ecclesia. & item de ecclesia romana, quòd errare nequit, quòd eius traditiones ac definitiones fallere non possunt. Itidem de consuetudinibus antiquis. Quòd apud ecclesiam est summa autoritas recipiendi, refellendi, & interpretandi scripturas. Demum quòd hæretici non sunt de ecclesia.
De episcopis. Cap. xxiiij.
- ¶ Episcopi sunt iudices ordinarij hæreticorū, & quales esse debeant.

I N D E X.

De errore. Cap. xxv.

¶ Qualis error fit, qui confummatum facit hæreticū, & qualis qui fufpectum.

De exceptionibus, & defenfionibus. Cap. xxvj.

¶ Quibus defenfionibus rei fuam innocentiam tueri poffint: vbi de negatione coarctata. De ignorantia, de ebrietate, de furore, ac de alijs mentis alienationibus, de amore, ruficitate, facetijs, de inconfulto dolore, de vi & metu, de recufatione. Demum quòd his defenfionibus renunciari nequeat.

De excommunicatione. Cap. xxvij.

¶ Quòd hæretici funt excōmunicati: & qui per annum in excommunicatione perfiftunt, fufpecti fiunt. Quàm fit grauis excōmunicatio, & alia quædam.

De fide catholica. Cap. xxviii.

¶ Quid fit fides, quam firmitatem exigat, qualiter fit confiderāda, à quibus & quando fit explicitè credenda & confitenda.

De filijs & minoribus. Cap. xxix.

¶ De pœnis filiorum hæreticorum, & vtrum locum habeant in filijs natis ante hærefim. Item an filius patrē deferre teneatur. denique nunquid infidelium filij funt baptizandi, parentibus inuitis.

De hærefi, et quæ fapiunt illam. Cap. xxx.

¶ Quid fit hærefis, & quàm graue crimen, de caufis & remedijs hærefum. Itē de inuocationibus dæmonum, & alijs, quæ fapiunt manifeftam hærefim.

De hæreticis. Cap. xxxj.

¶ Quis propriè dicatur hæreticus, vnde cognofcatur, de caufis hærefum. quædam etiam de rebus nouis non facilè conftituendis.

De idololatria. Cap. xxxij.

¶ Quid fit idololatria, & quàm horrenda. De triplici adoratione, de pœnis idololatræ.

De imaginum veneratione. Cap. xxxiiij.

¶ Quàm fit antiquus, & pius imaginum vſus. Item de pœnis violatorum earum.

De inquisitoribus. Cap. xxxiiij.

¶ Quales eligendi funt inquisitores, de officio eorum, quid facere teneantur,

I N D E X.

teneantur, & debeant, & quid non.

De iudæis. Cap. xxxv.

¶ De perfidia & cæcitate iudæorum, & an tolerandi funt, & ab inquisitoribus puniendi.

De iudicibus fecularibus. Cap. xxxvj.

¶ Quæ funt partes iudicum fecularium in caufis hærefis, & in puniendis hæreticis.

De lamijs, feu ſtrygibus. Cap. xxxvij.

¶ Quæ funt maleficæ iſtæ, vtrum corporaliter per aëra deferantur, quibus pœnis ab inquisitoribus puniri debeant.

De libris improbatæ lectionis. Cap. xxxviii.

¶ De libris noxijs comburendis, & libris omnibus hæreticorum vitandis. Item quid probent contra ſcriptores, & poſſeſſores eorū.

De Mahumetanis. Cap. xxxix.

¶ Quàm fit beſtialis horum ſecta, item de chriſtianijs, qui ad eam tranfeunt.

De matrimonio. Cap. xl.

¶ Quando qui ſimul duas habent vxores, ab inquisitoribus funt coercendi. Præterea de clerico & monacho, qui palàm vel occultè contrahit matrimonium, ac de muliere nubente ſcienter hæretico, de que pœnis eorum.

De miniſtris & officialibus. Cap. xli.

¶ De iudice bonorū publicatorum, de promotore fiscali, de receptore, exequutore, nūcio, notarijs, cuſtode carceris, & ianuarum, de aſſeſſoribus & peritis, de familiaribus, & quibusdam alijs, ac de officio eorum, & ſyndicatu. de ſecreto ab eis ſeruando. Demum de pœnis eorundem, ſi deliquerint in officio.

De occultis. Cap. xliij.

¶ An hæreticus occultus incidat in pœnas hæreticorum, vtrū accuſandus, denunciandus, & puniendus fit.

De ordine procedendi. Cap. xliij.

¶ Quo ordine procedant inquisitores ab exordio officij, vſque ad punitionem, vel abſolutionem hæreticorum.

De Papa. Cap. xliiij.

¶ De primatu Petri & ſummorum Pontificum, & eorū ſucceſſione, atque

I N D E X.

atque antoritate, quòd fides eorum nunquã deficiet. De legibus, & patrimonio antistitum, & quando rescripta eorum non sint exequutioni mandanda.

De pœnis. Cap. xlv.

¶ Quàm iusta sit hæreticorũ punitio, de pœna ignis, alijsque aduersus eos iure statutis, quòd bellũ cõtra illos sit iustũ, quòd fides illis data à priuatis, nõ sit seruãda. Demũ de circumstantijs pœnarum.

De pœnitentibus, & conuersis. Cap. xlvi.

¶ Quousque recipiendi sint hæretici pœnitētes, ac de pœnitētia illis iniugēda. Itē utrũ hi pœnitentes sint sub iurisdictione inquisitorũ. Et nõ quid cõuersi pari iure cũ veteribus christianis exequãdi sint.

De pertinacibus, & impœnitētibus. Cap. xlviij.

¶ Qui sint propriè pertinaces, & qui dicantur impœnitentes.

De prædicatoribus. Cap. xlviij.

¶ Quomodo cogendi sunt prædicatorum recantare, quæ hæreticè, vel erroneè dixerint.

De præsumptionibus & suspicionibus. Cap. xlix.

¶ Quæ præsumptiones mouere debeant animos inquisitorum, & quæ non. Præterea de suspicionem leui, vehemēti, & violenta.

De probationibus. Cap. l.

¶ Qualis probatio necessariò concludat in crimine hæresis, & quæ non sufficiat ad condemnationem.

De procuratoribus. Cap. lj.

¶ Quando in hæresis crimine possit procurator intercedere.

De propositionum qualitate. Cap. lij.

¶ Quæ propositio sit hæretica, & quæ sapiat hæresim. Quæ sit erronea, malè sonãs, scãdalosa, temeraria, seditiosa, iniuriosa, & schismatica.

De protestatione. Cap. liij.

¶ Quid sit protestatio in materia fidei, & quis eius effectus.

De purgatione canonica. Cap. liiij.

¶ Quæ ratione suspecti de hæresi compurgentur. Et quando, qua forma, & quo ritu purgatio sit indicenda. De pœna deficientis in purgatione. Item quis deficere dicatur in ea. Ad extremum an liceat simul cumulare tormenta, purgationem, abiurationē, & alias pœnas arbitrarias.

De relapsis.

I N D E X.

De relapsis. Cap. lv.

¶ Quis sit relapsus, & qua pœna puniatur.

De schismaticis. Cap. lvj.

¶ Quid sit schisma, quot species schismaticorum, & quibus pœnis coerceantur.

De scripturis diuinis. Cap. lvij.

¶ Quæ sint scripturæ diuinæ. Quo sensu intelligendæ, & à quibus interpretandæ.

De sententijs. Cap. lvij.

¶ De forma & ritu sententiarum in causis hæresum.

De seruis. Cap. lix.

¶ De seruis hæreticorum, ac de ipsis seruis hæreticis. Item de pœnis eorum.

De sortilegijs. Cap. lx.

¶ De quibus sortilegijs cognoscere queant inquisitores.

De superstitionibus. Cap. lxj.

¶ Quæ superstitiones puniri possint ab inquisitoribus.

De testibus. Cap. lxij.

¶ Qui testes plenam fidem faciant in causa hæresis, & quibus exceptionibus repellantur, ac de pœna falsidicorum.

De tormentis. Cap. lxij.

¶ Quòd interdum hominem torquere liceat. Item quibus indicijs, quomodo, & quando id fieri debeat.

De usuris. Cap. lxiiij.

¶ Quando inquisitores contra exercentes vsuras procedere queant.

¶ Finis Indicis.

DE ABIURATIONE
CANONICA. CAP. I.



IS QUI SOLENNITER ABIURAT
hæreses, tria potissimū in abiuratione facere de-
bet: scilicet, omnes hæreses publicè detestari, or-
thodoxam veritatem erroribus suis contrariam
firmiter asserere, ad fidem catholicam perpetuò
tenendam iureiurādo, & obligatione pœnali se adstringere: vn-
de facillè intelliges, quid sit hæc abiuratio. Nempe solennis quæ-
dā est hæresum detestatio, cum assertione catholicæ veritatis, &
iusta obligatione permanendi in fide Christiana.

- 1 ¶ Quatuor sunt species reorū, qui ad abiurationem cōpelli so-
lēt: prima hæreticorum, qui ad fidem catholicam redire volunt:
Secunda schismaticorū. Tertia eorū, qui vehementer: Quarta e-
orum qui leuiter suspecti sunt de hæresi. Horum autem posteri-
orum non tam frequens mentio est apud antiquos, sicut hæreti-
corum & schismaticorum.
- 2 ¶ Ritus abiurationis antiquissimus est, deo inspirante, vt crede-
re oportet, varijs cōcilijs ordinatus. Nam in prima Nicena syno-
do, cap. 8. de quibusdam hæreticis Nouatianis statuitur, vt con-
uersi recipiātur: ita tamē, vt ante omnia hæc habeāt ab eis cōfes-
sionē, quam per scripturam exigī oportet: vt fateantur se cum o-
mni cōsensu ecclesiæ catholicæ statuta obseruatuos. Item secū-
di concilij Arelatenfis caput nonum sic habet. Nouatianum in
cōmunionem recipi non debere, nisi suscepta pœnitentia infide-
litis, præteritū damnet errorem. Quæ quidē statuta sunt an-
te mille ducentos annos. vid. cap. Si qui voluerint. i. q. 7.
- 3 ¶ Nec multò post in concilio Laodicensi sub Liberio Papa. cap.
7. statuitur, ne recipiantur hæretici, priusq̄ condemnent omnem
hæresim, in qua detinebantur. & in Ephesina synodo, sub Cele-
stino primo celebrata, in epistola ad Nestorium hæreticum scri-
bitur, non sufficere q̄ sono vocis fidei symbolum hæreticus
proferat, sed consequens est etiam, dicunt patres Nestorio, fate-

te, q̄ anathematizes quidē tua polluta & profana dogmata, sentias autem & doceas quæ nos vniuersi per orientem seu occidentem episcopi & magistri, præsulēsq̄ue populorum credimus & docemus, Augustinus quoque ad Innocentium Papam, epistola. 95. & Innocentius epistola sequenti, de Pelagio hæretico scribūt, q̄ anathematizet & damnet scripta sua, & ea, quæ malè sentit contra catholicam fidem. Sed & Leo ter sanctus ad episcopos per Italiam, epistola secunda scripsit in hæc verba. Plurimos impietatis manicheæ sequaces & doctores in vrbe inuestigatio nostra reperit, vigilantia diuulgauit, autoritas & censura coercuit. Quos potuimus emendare, correximus: & vt damnarent Manicheum, cum prædicationibus & disciplinis suis, publica in ecclesia professione, & manus suæ subscriptione compulimus: & ita de voragine impietatis suæ confessos pœnitentiam concedēdo leuauimus. Et iterum ad Flavianū, epistola decima, cap. 6. & ad Pulcheriā Augustā, epistola. 13. in fine. Et rursus ad Aquileiensem episcopum, epistola. 34. ad episcopos Africanos epistola. 85. cap. 3. huius solennis abiurationis meminit, ad quam hæreticos cogere, saluberrimum esse dicit, & spiritualis medicinæ utilitate plenissimum, in epistolis ad Iulianum & ad Septimum. 3. & 83. Et hæc omnia scripta sunt ante mille annos. vid. cap. Saluberrimum. & cap. Donatum. i. q. 7.

4 ¶ Præterea in sexta Synodo generali, canone. 95. ponuntur hæc verba. Venientes ad ecclesiam hæreticos suscipimus secundum morem & ordinem traditum: scilicet, si libellos afferant, & execrentur quamlibet hæresim, & autores hæresum. Sic in concilio quodam sub Martino primo statutum fuit, vt quicumq̄ in alicuius hæresis opinione offenderit, non recipiatur in communionem, nisi prius in cōmuni concilio, porrecto suæ fidei libello satisfaciatur omnibus, cap. Si quis episcopus. i. q. 7. Et vt summam dicam in septima generali Synodo, in prima actione, tres episcopi hæretici, redeuntes ad ecclesiam, suos libellos solennis abiurationis attulerunt: idem & alij fecerunt in octaua Synodo generali, actione secunda: id ipsum facere coacti sunt. Berengarius & Hieronimus de Praga, hic in concilio Constantiensi, ille vero

ro in concilio sacerdotali coram Nicolao secundo, & hoc est hodie apud Hispanos in viridi & iusta (quod aiunt) obseruantia,
5 ¶ Nec reticere possum quod in septima generali synodo, actione prima, Basilius episcopus ancire loquutus est in hæc verba: Cōstitutio ecclesiastica habet, canonicè tradita ab antiquo, a sanctis apostolis & successoribus eorū sanctis patribus nostris, apostolicis viris & magistris, & sanctis vniuersalibus sex synodis orthodoxis, vt qui ab aliqua hæresi reuertuntur ad orthodoxam fidē, & traditionem catholicæ ecclesiæ, scripto negare debeāt hæresim suam, & confiteri catholicam fidem. Vnde proculdubio constat, ritum abiurationis huius ex ipsius apostolorum vestigijs descendisse, ac proinde non esse purè humanum inuentum: quod rectè coniectabatur Alphonfus noster Castrensis. vid. cap. convenientibus. 7. q. 1.
6 ¶ Simili quoque modo abiurare debent schismatici: quādoquidem aut hæretici sunt, aut in via certa ad hæresim. de quibus Leo ille maximus ad Iulianum. epistola. 3. scribit: quod si ad vnitatē ecclesiæ redire volunt, hoc fiat cum legitima satisfactione, & erroris damnatione. Et iterum ad episcopos Africanos epistola 85. cap. 3. non aliter schismaticum recipiendū docet, quam si proprio libello catholicum se esse manifestet. Ioannes quoque episcopus Constantinopolitanus rediens a schismate, in epistola ad beatū Hormisdā, solennē ac longam fecit abiurationem, in cuius calce subiungit: quod si in aliquo a professione hæc mea deuiare tentauero, his quos condemnari, etiam per condemnationē propriā, confortē me esse profiteor: huic verò professioni subscripsi manu mea vid. c. oīs cuiuslibet. i. q. 1. & c. maximū. i. q. 7.
7 ¶ Beatus Gregorius epistola. 51. lib. 10. ponit formam huius abiurationis, in qua schismaticus sub ordinis sui casu, & anathematis obligatione promittit, se nunq̄ ad schisma reuersurū: sed semper in vnitatē sancte ecclesiæ catholicæ, & communionē Romanam Pontificis per omnia permanfurum: quod iure iurando & obligatione penali confirmat, vt Gratianus trāstulit in cap. quotiens. i. q. 7. & iuxta hanc formam abiurauerunt duo cardinales in sessione septima Concilij Lateranensis sub Leone decimo.

8. ¶ Non tantum hæretici & schismatici abiurare coguntur, sed interdum etiam fideles, qui quacunq; suspicionem laborat. Cuius rei exēpla notauimus in magna synodo Chalcedon. actione octaua & nona: vbi Theodoretus episcopus, qui de hæresi Arriana suspectus erat, compulsus fuit, vt expressè & clarè Nestorium & omnes hæreticos, anathematizaret. Simile quippiã actum est cum Iba episcopo Edeffenæ ciuitatis, qui de quibusdam sapiētibus hæresim accusatus, quãuis fuerit inuentus innoxius, propter suspicionē tamē coactus est dicere: etiam in scripto: anathematizauit Nestorium, eiusque dogmata, & nunc anathematizo eū decies millies: & omnē eum, qui non sapit sicut hæc sancta synodus anathematizo. Item Innocētius tertius præcepit, vt quidam decanus Senonenfis publicè abiuraret, propterea q̄ familiaritatem habuerit cum hæreticis, & inde in suspicionem hæresis venerat, cap. inter sollicitudines, de purgatio. cano.
9. ¶ Sed magna differētia est inter abiurationē quæ fit propter vehementem suspicionem, & illam quæ fit propter leuē: nã in priori, si is qui abiurauit, in hæresim inciderit post abiurationē, censetur quadam iuris fictione relapsus, & protinūs iudici seculari relinquatur. cap. Accusatus, de hæreti. li. 6. insurgit enim ex facinore subsequenti adeo violenta presumptio præcedentis criminis perpetrari, vt pro vera illius probatione iure habeatur: nō secus atque, in facto non absimili Honorius & Theodosius Augusti olim consulti responderunt in. l. si hiqui. C. de adulter.
10. ¶ Ille autem qui ob leuem & modicā suspicionē abiurauit, si postea fuerit deprehensus in hæresim incidisse, quamuis ex hoc sit grauius puniendus, nō tamen relapsus censerī debet, cap. Accusatus, de hæreti. li. 6. Adde q̄ hæc abiuratio corā inquisitores Christianæ fidei tantum fieri solet. illa verò publicè solemniterque in conspectu populi.
11. ¶ Decisionem hanc limitant Ancharranus & Mattheus de afflictis, ne procedat quando post leuem abiurationē inuentus fuerit hæreticus, is qui abiurauit: & post deprehensionē cōstiterit de illo crimine, de quo fuerat antea leuiter suspectus, quod quidem nullo iure aut ratione probat: sed potest apparēti argumēto suaderi.


- deri. Nã si ille qui propter vehementem suspicionem abiurauit, postea in hæresim incidens, habetur iuris fictione relapsus: eò q̄ illa iuris fictio pro vera probatione habeatur, vt paulò ante retulim: pari ergo, aut fortiori ratione quando verè probatur præcedēs crimen, idem iuris esse opinari possumus. Cū non debeat operari amplius fictio, q̄ veritas. l. filio quem pater, deliber. & post. sed tamē his non refragantibus contrariã sententiã ipse verioremputo, tum quia nullo iure illam probari video, tum etiam, quia nimis dura est, & misericordiam excludit: nec leges pœnales sunt extendendæ, neque quispiam nisi relapsus aut impœnitens iudici seculari relinquendus est. Abiuratio autē p̄pter leuē suspicionē facta, neminem relapsum efficere potest. Argumentū verò superscriptū corrui ex eo, q̄ probatio nō facit relapsum: quinimo p̄pter solam continuationē, aut iterationem hæresis nemo relapsus habetur: sed necesse est, q̄ hæreticus deprehendatur iterū lapsus, postea q̄ abiurauerit propter hæresim, quã fuerat cōfessus: vel saltem propter vehementē suspicionem. cap. accusatus & cap. super eo de hæreti. lib. 6. cū itaque nusquam statutū sit, eum censerī relapsum, qui post abiurationē pro leui suspicionē factã, deprehensus fuerit in hæresi: quãuis ante huiusmodi abiurationē, eūdem hæreticū fuisse constet, relinquatur necessario, sententiã nostram non solum benigniorem, sed etiam veriorem esse, vid. Pe. de Anchara. in. c. accusatus de hæreti. lib. 6. nota. sexto, & Matth. de afflict. in cōstitut. 10. regni Siciliae tit. 1. col. 8. & Paulum Grillandum. tracta. de hæreti. q. 10.
12. Hæc abiuratio propter suspicionē, nō semp̄ necessaria, sed plerūque arbitraria est, possunt enim iudices, pro suspicionis qualitate, pro rerū, temporū, & personarū differentia, vel abiurationē in iungere, vel tormentis, aut purgatione vti: quãuis cōtrarium tenere videatur Ioannes Calderinus ti. de hæreti. con. 5. Sed meo iudicio nō sat rectè, An verò abiuratio, tormēta, & purgatio, simul iūgi queāt, alio loco à nobis, idque cōmodius forsan, disputabit.
13. ¶ Ratio verò, qua suspectus abiurare cogitur, ea mihi fuisse videtur q̄ vix nūquã suspitio hæresis, absque culpa suspecti, vel saltē causa probabili, poterit inueniri: vtrunq; autē ad abiurationem satis

est, neque ferre potest catholica ecclesia suspensionē huiusmodi in homine Christiano, quippe cū hæresis animæ fornicatio dicatur cuius non magis ferenda suspitio est, quàm adulterij cū propria vxore: quādoquidem fidelis anima, Deo Christo desponsata, & ecclesia est: à qua qui separatur, adulteræ iungitur, vt ait Ciprianus: viciat quidem hæresis fidem, quæ virginitas mētis est, ab erroris corruptione seruans intellectum.

- 14 ¶ Hactenus de his qui abiurare debēt, breuiter diseruimus: nūc autē de partibus, & solēnibus ipsius abiurationis videamus. Prima quidem & præcipua pars abiurationis est, hæresum detestatio. Hoc initiū est conuersionis ad Deum: hic primus gradus est ad pœnitentiā, odio ac detestationi habere peccata, & ea cōmississe dolere. cap. penitentia, & sequentibus. de peniten. distin. 3. ideoque in hac publica satisfactione, quæ per abiurationē fit, hæresum execratio requiritur, carum precipuè, de quibus abiurans conuictus, aut suspectus est, vt ab omni suspitione purgatus videri possit.
- 15 ¶ Altera pars abiurationis æquè necessaria est: catholicā veritatē erroribus contrariam, firmiter asserere: hæc fidei cōfessio ab abiurante meritò postulatur, vt catholicum se esse manifestet, vt verè ad ecclesiam redire intelligatur. denique vt à malo recedere: & bonum facere velle credatur.
- 16 ¶ Tertia pars abiurationis continet obligationē solennē, qua iurando promittit abiurans, in fide catholica se permanurum & subiectis pœnis, hanc obligationem confirmat, quæ quidem eò tendunt, vt omnis sinistra suspitio ex animis hominum depellatur, nec amplius de vera conuersione abiurantis dubitetur. Est & illa abiurationis ratio vrgentissima, quam Innocentius primus inter opera Diui Angulini, episto. 96. posuit, vbi loquēs de Pelagio hæretico, inquit: anathematizet ista, quæ sensit, vt illi, qui eius sermonibus fuerant præceptis que colapsi, quid tandē habeat fides vera cognoscat, facilius enim reuocari poterunt, cū ista à suo senserint autore damnari.
- 17 ¶ Nominatim abiurandi sunt errores, nec sufficit generalis abiuratio: hæc enim publica confessio est. Vnde sicut in alijs cōfessionibus

tionibus sacramentalibus, nūcupatim aperiēda sunt sacerdoti peccata omnia, quæ vocantur mortalia. cap. sunt plures. de pœnitē. distin. 3. Sic & in hac abiuratione fieri debere constat: quod ex formulis omniū abiurationū euidenter apparet: obseruaruntque patres in magna synodo Chalcedonenſi, actione octaua: vbi Theodoretum coegerunt, vt clarè & nominatim abiuraret: quod etiā decretū est in quadam Rotæ decisione, in antiquis, nu. 875. quam posuit Bernardus de Bisgneto sub tit. de hæreticis. Et meminit eius Philippus Decius consil. 137. & Boherius decisione. 343.

- 18 ¶ Ne autē videatur ficta cōuersio, sed magis vera & ex animo facta, necesse est, vt abiuratio pura sit & simplex, absoluta, sine cōditione aut cautela, qualē Leo ille ter sanctus ad Aquileiensem episcopum epist. 84. describit, in hæc verba, Dānet apertis professionibus sui supbi erroris autores, & quicquid in doctrina eorum vniuersalis ecclesia exhorruit, detestentur. Omniā que decreta synodalia, quæ ad excisionem hæreseos apostolicæ sedis confirmavit autoritas, amplecti se, & in omnibus approbare, plenis & apertis, ac propria manu subscriptis protestationibus eloquatur. Nil in verbis eorū obscurum, nil inueniatur ambiguū. Hæc ille. quæ prolixius tradit Occam, secūda parte dialogorum, tractatu primo, cap. 10. & post illum Gersonus, tractatu de protestatione, consideratione. 9. alphabeto. 14.
- 19 ¶ Diximus hucusque nonnulla, quæ substātiā abiurationis attingūt: reliquū est, vt solēnia quædā iā nūc his adijciamus, quorū illud primū est. Quod quicumque abiurare cogit, quāuis id fiat ppter vnā tm hæresim, debet nihilominus abiurare omnē hæresim. Quod antiquissima consuetudine receptū est, vt Ioan. And. Dñicus, & alij testant in. c. accusatus. §. de hæretic. li. 6. & ita obseruatū inuenies in abiuratione Berēgarij ante quingētos ferè annos, & i alijs multis abiurationibus: vt non satis pbare queā, quod Castrensis noster putauit, nō esse hactenus hoc definitū, sed ex arbitrio iudicū pendere. Nā antiqua consuetudo nō minorē vim habet, quàm lex quælibet scripta. l. de quibus. de legi. & id apertè de cismo videtur in. c. ego. de cōsecra. dist. 2. & in cōfessione. 19. cōcilij Castrēsis: & in nostris instructionibus. Est autē rationi consona



prædicta cōsuetudo: cū sint omnes hæreses inuicē colligatæ, & p
illā pleniùs consulatur ecclesiæ: aufert enim dubitationē illā, v
trū abiurans vnā hæresim, & in aliā incidens, relapsus habeatur.

20 ¶ Olim abiuratio fieri solebat in cōcilijs generalibus aut prouin
cialibus, hodie verò, cū rarò concilia celebrentur, publicè facien
da est, c. ad abolēdam, de hæreti. c. inter sollicitudines. de purga
cano. & bulla Martini. 5. in fine concilij Cōstantiensis, quod in
ter abiurationis solēnia non solet esse postremum. Conuocatur
enim populus, præparatur thronus, habetur sermo de fide, ad
sunt ordinarij & inquisitores, fit hominū cōcursus, & in præsen
tia omniū solenniter abiuratur. Quod ideo sic fieri puto, vt om
nes videant abiurantē, eūque in posterū intueantur attentius, ne
possit quēpiā sua cōtagione polluere: & vt alijs exemplo sit, ne
quid simile vnq̄ cōmittant: denique ne abiurans ipse vltra suspen
ctus habeatur, vt alibi Leo scripsit ad Anatholium, epistola. 75.

21 ¶ De his verò quædā statuta sunt instructionibus nostris. Primū
quòd semp abiuratio publicè fiat, deinde hoc declaratur obser
uandū, quanuis abiuratus inciderit in errores, cū esset impubes,
doli tamē capax: quia tēpus abiurationis attenditur, in quod hæ
resis prorogata videtur. Post hæc duæ ponuntur exceptiones:
prior ne publicè abiurent minores quatuordecim annis pueri,
neque puellæ minores duodecim: quia ætas illa rebus tā serijs a
pta censeri nequit. Altera exceptio est, si errores fuerint vsquea
deò occulti, vt in alicuius notitiā nunq̄ puenerint: quo casu secre
tè abiurabitur. Nā qui spōte & absque iudicijs cōfiteat hæresim,
& paratus est abiurare, nō debet publicā poenitentiam agere: quia
secreta peccata secreta cōfessione, & occulta satisfactione purgā
da sunt. c. Si peccauerit. 2. q. 1. c. quis aliquādo. itē illud Ioannis.
de poeniten. dist. 1. docet Archidiaconus. in. c. filij. de hæret. lib. 6.
Matth. de affli. in cōstitut. Sicilia. tit. 1. col. 7. vide primam instru
ctionem Hispalensem cap. 5. & tertiam Vallisoletanam. cap. 12.

22 ¶ Est & illud solēne in abiuratione, quòd per libellū propria ma
nu subscriptū fieri debet: idque ob eas causas, ni fallor, vt magis
deliberata esse videatur, vt custodiatur diutius, vt si relapsus fue
rit abiurans, propria scriptura cōuinci possit. Volat quidē semel
emissum

emissum (vt ille ait) irreuocabile verbū: quod tamē scripturæ im
primi & alligatur, itavt perpetuò maneat, & codē sensu loquat,
nec variet vnq̄, neque obliuioni tradatur. Quo fit, vt fortius liga
re credatur scriptura, quā simplex verbū. Neque id recens est, sed
ante multa secula inuētū, ex quo fallere ceperūt homines. Quod
vsque adeò frequentatur, vt ferè nusquā sit iā tuta fides. Ideoque
municeps meus Senecali. 3. de beneficijs præclarè (vt ille solet) in
hac sententiā exclamat, O turpē humani generis, & fraudis ac ne
quitia publicæ cōfessionē: à nullis nostris plusq̄ animis credit.
Et cætera, quæ paulò superius in eandem sententiam dixerat.

23 ¶ Hic libellus abiurationis interdū ad ecclesias, quæ scandalum
passæ sunt, mittit: vt quæ prius doluerant de peruerso, postea gau
deant de conuerso. Quæ admodū olim Nicolaus secundus misit
libellū abiurationis Berengarij ad eas vrbes, ad quas fama prauit
tatis eius puenerat, cap. ego. de consecrat. dist. 2. Iure itaque con
numeratur hic inter eos casus, in quibus necessaria est scriptura.
glos. in capitul. 1. s. postq̄. de censib. libr. 6.

24 ¶ Additur insuper iuramentū, adduntur imprecationes, & pœ
næ: quò magis animi cōstantia, & vera pietas ostendat, & vt ma
gis cautus sit abiurās, & fortioribus vinculis cōstringat. Per iura
mentū enim inuocat deus ī testē, & vindicē piurij, si quid aliter fa
ctum fuerit, & similiter metu pœnæ plerunque obligationi pare
tur. l. 1. c. de arbit.

25 ¶ Qui verò ad arbitriū episcopi & inquisitorū abiurare noluerit,
neque satisfactionē cōgruā exhibere, tanq̄ pertinaces & impœnitē
tes iudicio seculari relinquēdi sunt. c. ad abolēdā. s. 1. de hæret. cō
ferūt Leonis verba ad Flavianū epi. 10. quæ quia nota digna sunt
hoc loco trāscribēda duxi: vbi. c. vl. de Eutichete hæretico loquēs
ait, Sed cū anathematizādo ipio dogmati nolisset adhibere cō
sensum, itellexit eū fraternitas vr̄a in sua manere p̄fidia, dignūque
esse, qui iudiciū condēnationis exciperet: de quo si fideliter, at
que vtiliter dolet, & quā rectè mota sit episcopalis autoritas, v̄ se
reū cognoscit, vel si ad satisfactiōis plenitudinē oīa quæ ab eo ma
lè sunt sensa, viua voce, & p̄senti subscriptiōe dānauerit, nō erit re
p̄hensibilis erga correctū quātacūque miseratio. & rursus ad agleiē
sem

sem episcopū, epist. 84. sic scripsit, Qui correctos se videri volūt, ab omni suspicionē se purgent, & obediendo nobis, probēt se esse nostros. Quorum si quis salubribus præceptis satisfacere detraxerit, ab ecclesiæ societate pellatur: ne proditor animæ suæ, salutis infidietur alienæ. Et vt Alexander quartus ait: contumacia in causa fidei, suspicioni præsumptionem adiicit vehementem. cap. cum contumacia. de hæretic. lib. 6.

26 ¶ Forma quædam abiurationis in sessione. 15. concilij Constantiensis, vbi Hieronymus de Praga reuocationis, seu abiurationis libellū, stans publicè alta & intelligibili voce legebat, reuocās & abiurans, quæ (prout in eodē libello cōtinebatur) huiusmodi est. Ego Hieronymus de Praga artiū liberaliū magister, cognoscens verā & catholicam ecclesiā, & Apostolicam fidē: anathematizo omnem heresim, præcipuè eam, de qua hæctenus infamatus fui. Deinde post errorū suorū abiurationē, clarè & nominatim factā sic ait, Insuper iuro p̄ sanctā Trinitatē, & per hæc sacrosancta Euangelia, me in veritate ecclesiæ catholicæ semper, & sine dubio p̄mansurū, & omnes, qui contra hæc fidē venerint, cū dogmatibus suis æterno anathemate dignos esse pronuncio: & si ipse aliquando (quod absit) aliquid, cōtra sentire, aut prædicare præsumpsero, canonū seueritati subiaceā, & æternæ pœnæ obligatus inueniar. Hanc autē cōfessionē & professionis meæ paginam corā hoc sacro cōcilio volūtariè porrigo, & eidē me p̄pria manu subscripsi, & hæc singula cōscripsi. Eadē formā verbū verbo redditā idiomate Hispano inuenies in instructionibus impressis. fol. 13.

27 ¶ Alia plenior formula hodie inquisitores vtunt, hoc verborū tenore. Ego. N. cognosco & confiteor coram vobis, me errasse in prædictis, & sup̄ his corde contrito & humiliato, absolutionem & pœnitentiā requiro: & hanc heresim, & omnē aliam, quocūque nomine cēseatur, abiuro: & promitto quòd de cætero serua bo illibatā fidē, quā romana tenet ecclesia, & quòd hæreticos & credētes eis, toto posse meo p̄sequar, & tā eos, q̄ eorū fautores, receptatores, & benefactores, bona fide & sine dolo, & sine mora manifestabo ecclesiæ, vel prælato: & pœnitentiā, quæ mihi p̄ mea culpa iniungetur, integrè serua bo, & cōplebo: & volo & cōcedo quod

q̄ si ab hac hora in posterū contigerit me relabi ad eundē errorē, vel alium cuiuscunq̄ hæresis, quocūque nomine cēseatur, errando, aut fidem habēdo errantibus, vel eos recipiēdo, aut defendendo, vel eos celādo, aut nō manifestando, bona fide & sine mora, vel si pœnitentiā iniunctam à vobis non seruauero perfectè ex tunc ipso facto habear excōmunicatus & piurus, & hæreticus manifestus: & me ego iudico, ita quod sine alia cognitione aut sententia, mihi pœna imponatur, tanq̄ hæretico manifesto, & relapso. Insuper assero & protestor, me purā & simplicem veritatē, de me ipso & alijs dixisse. Quòd si nunq̄ cōstiterit, me dolo aut fraude aliquid tacuisse, aut sup̄fuisse, iniūgēda mihi à vobis pœnitentia & absolutio nihil profit. & hoc verbo, & scripto faciēdū est. vide Alfonso castrē. li. j. de iusta hæreticorū punitiōe. c. vlt.

DE ABSENTIBVS. CAP. II.



¶ VAMVIS regulariter ille, qui de ex iusta vel probabili causa est absens, non facile accusari debeat: quia non est euocandus temere, aut in dicta causa damnāndus. Neque enim in absentia interrogari potest, neque se defendere, neque tormentis subijci, neque quapiā pœna corporali puniri. l. absentē. de pœnis. ca. i. de caus. posse. & proprie. c. r. & sequenti. 3. q. 9. Si tamen contumaciter absit, ne absentia procurata & iniusta, cum liberet a debita punitiōe: tunc denunciationibus, edictis, aut voce p̄conis, vocandus est: & bona eius annotanda, seu sequestranda, q̄ si copiam sui non fecerit, nihilominus causa cognita damnari absens potest, bonis etiam publicatis. l. r. & sequenti. de requirē. reis. cap. decernimus. & cap. absens. 3. q. 9. quod & multis regijs legibus cauetur.

¶ Eodē ordine prædicto, proceditur in causa hæresis: nā interdū citatur absens, vt sub excommunicationis pœna, veniat responsurus de fide: qui si intra terminū assignatū non comparuerit, tunc promotor fiscalis accusat eius contumaciam, petitque literas denunciatorias. q̄ si post hæc in contumacia p̄ annū p̄manserit: ex tunc declarari debet hæreticus. c. cū cōtumacia. de hæret. li. 6. aliquando autē citatur absens p̄ edictū: in quo monetur, vt intra certū tempus

tempus compareat, & se defendat: & illic assignatur vna dilatio p-
tribus: & citatur simul ad omnia acta processus, vsque ad sente-
tia diffinitiuā. Quod si adhuc in contumacia persistat: tūc instat p-
mōtor fiscalis, & fiunt omnia acta iudicij contra absentem: qui si
fuerit cōuictus, suscipiet damnationis sententiā: que in bonis exe-
quutioni mandatur: & ad terrorē statua etiā igni tradi solet. Cō-
tra suspectos quoque proceditur in absentia, citando illos vt se ca-
nonicē purgent. Edicta vero huiusmodi, voce preconis publice
denunciāturi deinde ianuis ecclesiæ maioris affiguntur. Et hæc
ad verbum fere statuta sunt in prima instructione Hispalensi. c.
19. vide Conradum Brunū lib. 4. de hæreticis. cap. 11.

2 ¶ Quāuis autem in ciuilibus causis, ratione originis, domicili,
contractus, & beneficij, atque alijs modis sortiatur aliquis forū:
in criminalibus tamen, vbicunque quispiam delinquit, ibi capi
& puniri potest. Quod antiquissima Hæbreorū lege cautū erat:
apud quos delinquētis causa agebatur in loco delicti cōmissi, nō
autem in ciuitate refugi: tum quia illic adest plenior facultas p-
bationis: tū etiā quia expedit, vt eodē loco pœna imponatur, in
quo iniuria irrogata est, vt latius tractat episcopus noster Abulē-
sis numc. 35. q. 14. quam legē similiter Plato. 11. de legib. tradit. Et
hoc quidē fortius est omniforo, & priuilegio. c. postulasti. de fo-
ro cōpeten. Lucas de pœn. in. l. fi. C. de vetera. lib. 12. vnde iure o-
ptimo statutū est, vt inquisitores iudicent, & puniāt hæresim cō-
missam in sua prouincia: tametsi talis hæreticus absens sit ab ori-
gine sua vel domicilio. c. vt cōmissi. s. & contra illis. de hereti. li. 6.
& ibidem hoc notant Ioan. andr. domini. & philip. fran. omitto
sciens vulgatiōra.

3 ¶ Hoc amplius quā pluribus placere video, hæreticū non solū vbi
delinquit, verū etiā vbicūque postea reptus fuerit, capi & puniri
posse: quāuis nihil vltra dixerit aut fecerit impiū, quod nō alia ra-
tione plerique pbant, quā q̄ hæreticus quodāmodo vbique de-
linquit, in cœlo, in mari, & in terra: cui addit philip. pbus, q̄ vbi-
que est tribunal dñi, cuius causā tractatur: nā vt inquit apost. c. 10
prioris epist. ad Corinth. Dñi est terra & plenitudo eius: neque da-
bilis est locus (ait pbus) ī quo hæreticus magis p̄cipalr deliquat,
Cui

¶ Cui sententiæ adhæret. Iacob de rauc. & Cin. in. l. 1. C. de summa
trinita. Ioan. And. & Philip. frā. in. c. vt cōmissi. de hæreti. li. 6. Al-
beri. in rubri. C. de hæreti. Paul. de leaza. & qui cum citat. Iacob.
de belloni. in. c. romana. s. cōtrahentes de for. compe. lib. 6. nu. 116
Cardin. in clem. 2. s. denique de re iudica. Ioan. de anam. in. c. 1. de
hæreti. Bonifa. in clemē. pastaralis. s. nos tam ex superioritate, de
re iudi. Gonfalus noster de villa. tract. de hereti. q. 8. Philip. prob.
ad Ioan. mona. laudās Guidonē Pape. q. 202. in. cap. inquisitores.
& in rubr. de hæreti. libr. 6. hermas. lib. 2. de instauranda religio-
ne. cap. 9. in fine.

4 ¶ Eandem sententiam ipse probo, non tantum supradictis: sed
alijs quoque rationibus. Prima quia hæreticus violat catholicam
fidem, que vt Paulus cap. 4. epistolæ ad ephē. scribit: vna tantum
vbique est: deinde, quia peccat in ecclesiam, que similiter, semper
& vbique est eadem. Preterea, quod in religionem diuinam cō-
mittitur, in omnium fertur iniuriam. l. manichæos. C. de hæreti.
Et qui diuinam ledunt maiestatem, omnem creaturam offendūt
cœlū: scilicet, ac terrā, mare, & omnia que in eis sunt, vt eleganter
Ioann. Picus mirandula docet in Heptaplo, expositione quinta,
cap. vlti. Adde q̄ hæretici pestem contagiosam secū afferunt, qua
facile alios inficere solent. clem. 1. s. verum, de hæreti. & sermo co-
rum sicut cancer serpit, habet quoque crimen hoc tractū succes-
siuū, ita vt merito vbique puniri possit, & habeatur hæreticus lo-
co proditoris & hostis totius Christianæ reipubli. l. proditores
de re milita. l. vlti. ad leg. iul. maiest. Bar. in. l. si dominū in. l. vulga-
ris de furt. Paul. Castren. in l. pōponius. 2. de negot. gest. & ita fie-
ri vidimus anno superiori: quidam enim iudei baptizati, qui ex
Portugallia fugerant, per inquisitores Vallifolitanos capti, & im-
pœnitētes dānati, me etiā præsente, & cōsulēte, igni traditi sunt.

5 ¶ Illud satis pbare nō possum quod Petrus Anchar. scripsit in. c.
cū contumacia, de hære. li. 6. dicens, q̄ reus absens citari potest, vt
compareat subiturus tormēta, idque fieri debere quando ille vr-
gētioribus inditijs pmittit: nā & si tūc vocari aut citari queat, nō
tamē sane dispitio, cur illi denūciandū sit, vt veniat subiturus tor-
menta. Quis enim ad hoc veniret? inuitandi quidem sunt rei ab-
sentes

sententes, non autem magis terrendi: neque iudex motū animi sui manifestare debet. l. obseruandum de offi. presi. Et illius memisse oportet, quod sapiens prouerbiorum. i. inquit: frustra iacitur rete ante oculos pennatorum.

6. ¶ Demum extat Barchinonense decretum, ab inquisitoribus generalibus promulgatum, anno salutis. 1493. quo statuitur, vt in absentia damnatus, quamuis, vt assolet, statua eius igni tradita fuerit. Si tamen carceri se presentauerit, priusquam fuerit captus, audiatur nihilominus, quod ad penam corporalem attinet. Secus autem quo ad bona publicata, quod fere communi iure iā olim constitutum fuerat. l. pe. de requiren. reis. l. 2. C. eo. tit. quid autem si captus sit anteq̄ ipse rediret? Arbitror talem reconciliandum esse, si modo vere penitēs fuerit: cui argumento est ante dicta. l. penul. Sed quid si suam innocentiam ostenderit? resp. pcnas corporis & fame sustinere non debere: bona tamen illum non habiturum. l. 2. C. de requiren. reis. nisi forte docuerit. se nō fuisse contumacem, vel quia ignorauit edicta, vel iusto impedimento comparere non potuit. l. 2. si quis cautio, fortassis & etas veniam consequetur. Vide Boherium dēcisione. 63. & rursus. 65. igneum in. l. lege ad Sillania. nu. 59. Matthæum in constituti. Siciliae lib. 2. rubrica. 1.

DE ABSOLVENDIS CONVERSIS. CAP. III.



¶ VVM hæretici sint ipso iure excōicati, & quot annis in cena dñi excōmunicentur a Papa: videbat̄ quidē a nullo alio iudice quā ab ipso pontifice absolui posse. c. cū inferior, de maiorita. & obediē. sed tñ hæc absolutionis facultas episcopis & inquisitoribus a sede apostolica cōcessa est. c. ad abolēdā. de hæreti. c. vt officiū eo. ti. lib. 6 vbi hoc notāt Ioā. andr. domini Auchara. & Philip. fran. & Gōsalus noster. q. 20. & Cayeta. in sūma. verbo excōmunicatio. cap. 1. & ideo neque Parochus, neque alius quis hæreticum absolue potest. c. ad reprimēdā. de offi. ordina.

1. ¶ Ab hac regula excipitur casus extremi periculi. quo eueniente si nō dat̄ facultas episcopi, aut inquisitoris, tūc quilibet p̄sbiter absolue valet: quod nūcupatim statutū est. c. 2. cōcilij Arausiani, hoc

hoc verborum tenore: hæreticos in mortis discrimine positos, si catholici esse desiderent, si desit episcopus a presbiteris cū chrismate & benedictione consignari placuit. Cōfert cap. his qui tēpore, & sequē. 26. quest. 6 nihil enim reseruatū est simili necessitatis tempore, vt ait eīus lib. 3. de primatu. petri. cap. 54.

2. ¶ Quinimo absolui potest post mortem, is qui in reatu decessit, si modo in eo apparuerint signa pœnitentiæ manifesta; neque per eum stetit, quo minus recōciliaretur ecclesiæ. c. 76. & sequēti. quarti concilij carthaginensis. cap. a nobis. 2. de sentent. excōmuni. vbi multa de hoc tradunt interpretes.

3. ¶ Qui a summo Pontifice, vel ab eius ad hoc delegato, absolutus est, nō eget absolutione episcopi aut inquisitoris: quod quidem in foro conscientie manifestissimum est. Sed quo ad forum iudiciale ego subsisto, tametsi idem iuris esse putauerit Philipp. dēt. conf. 137. Verum cum fiscus habeat ius ad bona talis hæretici, & rei publicæ expediat plurimum, ne crimen hæresis impunitum sit neque vllō pacto permittendum videatur, vt aperiatur via, qua debitas pœnas deuitent hæretici, nō facile parendū crederem quibusuis diplomatibus, sed ab eis supplicādum, & quod iustum sit exequendum.

4. ¶ Episcopus sine inquisitore, & inquisitor sine episcopo, hæreticum damnare nequit. Clemē. 1. de hæreti. Sed lis est inter iurisperitos de absolutione, nunquid alter sine altero absolue possit? quod illic tenent glo. Paul. de leaza. & Bonifa. prepo. in cap. inferior. 21. distin. Ias. & Zasius in. l. qui condemnare. de re iudica. & Alcia. lib. 2. de verbo. significa. prope finem. Ludouī. Carerius post alios quosdam tracta. de hæreti. nu. 72. in contraria sententia sunt. Stephā. Ioan. andre. & Imo. in præallega. clem. 1. Cuma. Areti. Socin. & alij quidam in eadem. l. qui condēnare. Mouent̄ priores, duabus potissime rationibus: tū quia hoc nō inuenitur correctū: tū etiā quia maior illis videtur causa fauoris in hac absolutione, quā in condemnatione. l. præcipuus. C. de appel. l. fauorabiliores. de reg. iur. posteriores vero iuuant̄ natura correlatiuorū: quia i vno horū articulo correctā sunt antiqua iura, quibus p̄missū erat vt seorsum p̄cederēt, ergo & in reliquo abrogata

ta videntur. l. vi. C. de indi. & viduita. toll. & quia forte maius periculum vertitur in absolutione hæretici iniusta. c. refecandæ. 24. q. 3. Adde q̄ eadem profus ratio militat in deliberatione sententiæ proferendæ vtrouque: nam integrior & maturior erit sententia, multorum iudicio comprobata. c. prudentiam. de offi. deleg. Et hæc mihi magis placent, quia diuinari non potest, vtrum ferenda sit absolutionis, vel dånationis sententia: nam posteaq̄ simul conuenerint, fortasse damnare volet inquisitor eum, quem episcopus absoluendum putat, vel contra.

DE ACCVSATIONIBVS CAP. III.



NON ACCVSARE INFERENTEM iniuriam, charitatis feruore, perfectionis est iuxta illud consilium diuinum, Si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram. Matth. cap. 5. accusare odio aut calore propriæ vindictæ, peccatum est: ait enim dominus eodem Matth. 5. Omnis qui irascitur fratri suo reus erit iudicio. Et rursus, diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos. Accusare zelo iustitiæ permillum est. c. cum oporteat. de accusatio. c. 1. & sequenti. 5. q. 5. accusare tamé crimé quod in reipublice pernitiem vergit, necessarium est: quilibet enim tale crimen accusare tenet si potest illud idoneis testibus comprobare. Hoc asserit Alex. de ales. 3. parte. q. 42. & sanctus Tho. & Cayeta. secūda secūda. q. 68. arti. 1. Quibus cæteri subscribunt in. 4. sententiarū dist. 19. & ait Ambrosius offi. 2. cap. 24. in causa Dei. Vbi cõmunionis periculum est, etiam dissimulare, peccatum est non leue.

Cuius sententiæ illa ratio videtur viua & spirans: q̄ pro defensione reipublicæ vnusquisque pugnare ac morietiam debet: cū & seipsum simul cū alijs in ea defendat, & vt inquit Cicero lib. 1. officiorum: Chari sunt parètes, chari liberi, propinqui, familiares: sed omnes omnium charitates patria vna complexa est: pro qua quis bonus dubitet morté oppetere, si ei sit profuturus? Vnde proculdubio, relinquatur, ad accusandum hæreticum omnes obligatos esse: cū hæresis Christianæ reipublicæ sit perniciosissima.

ma. Quòd si is qui accusat author libelli famosi, deuotiõis sue, ac salutis publicæ custodiã gerere dicitur, & inde maximã cõsequi laudem. l. 1. C. de famof. libel. quãto verius hæc dicentur, de legitimo impij & hæretici accusatore?

- 2 **¶** Declarant prædicta p̄ Caietanũ, loco paulò ante citato, vt tunc demũ accusare teneamur hæreticũ, quãdo alia via bono publico nõ potest p̄fectè cõsuli: alioqui sat fuerit, vel denũciare iudici, vel alio modo succurrere: ne cogamur cū labore, detrimẽto, & piculo, in accusatiõe p̄sistere. quod mihi p̄babile videt. Et ob eã rē hodie consultissimè decretũ est, vt solus p̄motor fiscalis accuset.
- 3 **¶** Non passim quibuscumq̄ cõcessa est facultas accusandi in alijs criminibus, sed multi repelluntur, tanq̄ illegitimi accusatores. c. 1. de accusa. c. 1. & sequen. 2. q. 7. sed tamé hæreticũ quilibet accusare potest. c. præsumt. & sequen. 2. q. 7. c. nos sequetes. 6. quæst. 1. nam hæresis crimen est publici iudicij, & eiusmodi, vt quiuis ex populo idoneus eius sit accusator. l. manichæos. C. de hæreti. regia. l. 2. ti. 26. parte. 7. Cuius decisionis causas eleganter explicat Hermas. lib. 2. de instauranda religione. cap. 9.
- 4 **¶** Accusari potest hæreticus, nedum in vita, sed & post mortẽ. l. manichæos. C. de hæret. c. accusatus. §. in eo. & c. filij. eo. ti. li. 6. regia. l. 7. ti. 1. parte. 7. Quod sine distinctiõne generaliter procedit, siue ille dũ viueret bonæ famę fuerit, siue sinistre: nam eadẽ ratio pœnarũ militat vtrouque, vt rectè docet Gõsal. noster. tracta. de hæret. q. 22. Aliud est in fautoribus, defensoribus, & receptatoribus hæreticorũ, qui accusari nequeunt post mortẽ, quãdo p̄sonas defenderunt, & nõ hæreses: quia tales nõ cõputantur inter hereticos. prædic. c. accusatus. §. porrò. Ioan. monach. Archi. Ioan. And. Domini. & Phil. Frã. in. §. si verò. eiusdem cap. Gõsal. q. 22.
- 5 **¶** In libello, quo heretici accusant, solènia iuris nõ obseruant ad vnguẽ, neq̄ dies aut locus ponit, ne accusati cognoscant testes, neue qd fraudis excogitet, vñ veritati fiat p̄iudiciũ. qd exẽplo nõ caret, vt videre licet. i. l. 1. §. editiões. de edẽdo. sed si reus petit sibi declarari talẽ diẽ, aut locũ, vt p̄bet suã defensionẽ, tũc illi cõcedẽdũ est. q̄a nulli auferẽda est legitima defensio. cle. pastor de re iud. l. defensiõis. C. de iur. fisci. lib. 10. Et hoc gñaliter i alijs criminibus verũ est, vt asserunt Bar. Bal. Ang. & Ias. qui testat hãc esse receptã sententiam

rentia in. l. 2. s. vlt. de eo quod certo loc. at in crimine hæresis amplius deliberare oportet: neque aliter hoc fieri debet, nisi necessitate suadente, atque malitia cessante, idq; sine reuelatione secreti, & absque periculo testium, & aliorum quoruncunque.

- 5 ¶ Ab heretici accusatiōe malè desistēs, puniendus est p modo culpe, nō heretici pœna, sed calūniatoris. hoc asserunt Iac. de Aren. Cin. & Bal. in. l. vlt. C. de accu. & Ioā. And. Ant. Card. & Ioan. de Ana. in. c. pen. de here. quod in detestationē hæresis, & in fidei fauorem receptū est. Quāuis enim talionis pœna iustissima sit, cū inter litigātes æqualitas seruari debeat. l. vlt. C. de fruct. & lit. expen. l. in sacris. 3. & ibi Luc. de pēn. de prox. sacro. scrinio. lib. 12. & æqualitas iustitię hoc postulet, vt nocumētum, quod quisque alij parat, hoc ipse patiat, vt probatur Exod. 21. nusquā tamē hodie ista æqualitas seruatur inter accusatorē & reum. vel quia nocumētū ex testibus, nō ex accusatore infertur. vel certē ne delicta sint impunita. Quis enim accusare audeat cum tanto vitę discrimine? Sed hodie, vt prædiximus, hæreticos solus p motor fiscalis accusat. vide Conrrā. Brunum, lib. 4. de hæreti. cap. 7.

DE ADVOCATIS.

CAP. V.

RO accusato de heresi, & nondum planè cōuicto, potest interuenire aduocatus: nō vt errorē defendat, sed vt reum à crimine liberet. Quod tamē fieri debet, cū iudex hoc permiserit, & non aliter, vt rectè dixit Laudu. in de. i. de excels. præla. & qui eū refert Matth. de affli. in cōstitū. Sicilia. tit. 1. col. 10. Quibus accedit Frā. Pōz. tract. de lamijs. nu. 78. & Ludo. Carre. tract. de here. nu. 114. sed in prima instructiōe Hispalēsi. c. 16. cauet, dādū esse aduocatū tali accusato, si ille hoc postulauerit. mea tñ sentētia arbitrio iudicū hoc relinquendū est, qui aduocatum dare debēt, quādo id viderint expedire, tamē si captus hoc nō petat. Sūt em̄ q; p heresi tenent̄ inclusi, omni auxilio & consilio destituti: & idēo inquisitores, eorū causas tractare tenētur, nō solum vt iudices, verum etiam vt curatores, & patres.

- 1 ¶ Eodem capite præscripta est forma, qua aduocati iurare debēt, cum iubentur præstare patrociniū huiusmodi captis. cuius substantia hæc est. Iurant aduocati, quod fideliter illam causam defendent, & legitimis tantum defensionibus vtentur, absque dil-
lacionibus

lacionibus & cauillis. Et insuper, quod in quacunque parte litis cognouerint iniustam esse causam, id reo ipsi & inquisitoribus denunciante, causam deserent. Ad hæc iuramentum præstabit de secreto seruando, vt præcipitur in quarta instructiōe Toletana. cap. 4. Quæ omnia ferè iurant omnes alij aduocati, vtinam tam verè, quàm sanctè.

- 2 ¶ Salarium iustū præstabitur aduocato de bonis rei capti, si fuerit soluendo. alioqui soluendum est de bonis fisci. prædicto capite. 16. Hodie verò sunt salaria designata pro defensione pauperū reorum: quæ quanuis magna non sint, honore tamen, & paruo labore compensantur. non enim multum operę impendunt aduocati in his hereticorum causis. nec permittitur aduocato alloqui reum, nec ei cōsiliū præbere, nisi coram inquisitore, atque notario. Adde quod gratis aduocati tenentur patrocinari pauperibus, vt theologi docent. Alex. de ales. 3. part. q. 44. & sanctus Tho. 2. secundæ. quæstio. 71. articu. 1. Gabri. in. 4. sentētiarum. distinctio. 15. quæstio. 6.
- 3 ¶ Potest iudex dare aduocatum reis, etiam renitentem, & inuitum. l. prouidendum. C. de postul. regia. l. 4. & sequenti. titu. 19. lib. 2. ordinationum. & similiter potest admittere in consilium aduocatū peritum in rebus dubijs. l. 2. eo. titu. & ita facere solent inquisitores, quando non adsunt alij periti. Multa de aduocatis colligunt Luc. de pēn. in. l. 1. C. de lucris aduoca. lib. 12. & Chafe. in catalogo gloriæ mūdi. cōsideratione. 28. & sequenti. & And. Tiraque. de nobilitate. cap. 29.

DE APPELLATIONIBVS. CAP. VI.



ENEFICIUM appellationis à sententia diffinitiuā, quò iniquitas, aut imperitia iudicatum sæpe corrigit, hæreticis, credētibus, fautoribus, & receptatoribus hereticorū denegat. c. vt inquisitiōis. de here. li. 6. Quod in detestationē criminis, & in fidei fauorem decretū puto: ne lites cuiusmodi prorogentur, & fiant immortales. et quia cum consilio peritorum, & magna cum deliberatione profertur sententia in causis huiusmodi. & vt inquit Vlpianus, non nunquam benè latas sententias vsus

b ij appellandi

appellandi reformat in peius. neque enim utique melius pronūciat, qui nouissimus sententiam laturus est. l. r. de appella.

1 ¶ Caterum à sententia interlocutoria, qua purgatio indicitur, vel quippiam simile pronūciatur, appellare licet cuicumque, ut aiunt Archidia. Ioan. Andr. Ancharra. Domini. Zenzeli. & Phili. Fran. in prædicto. c. vt inquisitionis. Henri. in. c. si aduersus. Ioan. de Ana. in. c. vergentis. Felin. in. c. ad abolendam. de hereti. & Gonfalus. q. 18. Ludou. Carc. tracta. de hereti. nu. 129. Quorū sententia vsu recepta & vera est. vel quia nondum plenè de crimine constat, cum iudices interlocuuntur, ac proinde non est appellationis defensio neganda. vel quia si quod grauamè tunc infertur, illud reparari nequit per appellationem a definitiua: quandoquidem interdicta est, & ideo ab interlocutione tunc appellare licet. l. ante sententiam. vbi similia ponuntur. de appel. recipi. regia. l. 13. titu. 23. parte. 3.

2 ¶ Sed quanuis hæretico sit appellatio interdicta, nihilominus tamen adire potest superiorem: qui si cognouerit eum iniuste dānatum, reformabit sententiam. Hæc est opinio Felin. quam censet nota. dignam. in. c. ad abolendam. de hereti. Sed pace illius dixerim, id mihi non probatur: nam hæreticus, non solum appellare nequit, sed neque supplicare, aut quouis modo proclamare. c. vt inquisitionis. de hereti. lib. 6. vbi adijcitur illud, quòd sententia statim executioni mandetur. vnde apparet manifestè, quòd nullum subterfugium damnato relinquitur, nec suam opinionem Felinus iure aliquo, aut vrgenti ratione probat. vid. Ludo. Carerium. tracta. de hereti. nu. 130.

3 ¶ Quibus casibus appellare licet ab inquisitoribus, ad eundem esset summus Pontifex: quia delegati sunt ab eo. c. vt commissi. c. inquisitores. c. per hoc. de hereti. lib. 6. Veruntamen cum in Hispania generalis inquisitor sit legatus ad vniuersitatem harum causarum, & inquisitores ab eo eligantur, & quodammodo subdelegantur, ideo ad eundem, & proceres, qui ei assunt, appellatur. iuxta formam suæ commissionis. Conferunt ea, quæ docentur in. l. imperatores. de appella. in. c. super quæstionum. & porro. de offic. delega.

¶ Sed

4 ¶ Sed quæstionis est, nunquid hæredes eius, qui damnatur, post mortem, appellare possint à sententia condemnationis? Quod aliquantulum diligentius tractare constitui, quia hoc frequens est, & habet in vtranque partem probabilia argumenta. Illud autem in primis tanquam indubium asserimus, hæredes appellare posse, quoties defunctus ex ficta confessione damnatus est, ut puta, quia in carcere mortem sibi consciuit. l. vlti. in fi. de bon. eorū qui ant. senten. mor. si. consci. vel quia cōdemnatus fuit propter contumaciam. vt præ alijs notat Anchara. in. c. cum contumacia. de hereti. lib. 6. & generaliter in similibus causis idem tenendū est. l. eius qui delatorem. de iur. fisci. vbi hoc docet Bar. & in. l. 2. C. qui testa. face. pos. Diffusius scripserunt Bal. Ang. Alex. Ias. & cæteri. Et Areti. con. 146. Philip. Corn. con. 97. lib. 4. Felin. in. c. cū bertoldus. de re iudi. & Hippol. in. l. 1. §. si quis vltro. de quæst. & in sua practica. §. postquam.

5 ¶ Quòd autem generaliter hæredes eorum, qui de hæresi fuere damnati, appellare possint, eo ipso probari videtur, quòd nominatim prohibiti non inueniuntur. nam cuilibet appellare licet, cui expressè non prohibetur. l. r. de appella. Præterea hi, quorum interest, appellare possunt, etiam si principales alioqui appellare nequeant, quæ est Bar. doctrina. in. l. 1. §. interdum. à quib. appel. non lic. quam sequuntur posteriores illic, & in. c. super eo. de offi. delega. & Ludou. Gomes. in. c. cum in multis. de rescript. lib. 6. sed nullius magis interest, quàm hæredis, à quo nisi crimen purgetur, hæreditas fisco vendicatur. l. vlti. ad leg. iul. maiest. Ad hæc non videtur idem rigor seruandus cum hæredibus innocētibus, & qui iustam ignoratiæ causam habent, & ob id liberè bona defendere nequeunt. l. cum quis. de regul. iur. lib. 6. propterea successori datur noua dilatio. l. oratione. de ferijs. & tandem in dubio appellatiōi deferendū est, quia in eo minus periculi vertit. l. 1. vbi not. Paul. Si qs cautio. gl. & interpretes. in. c. vt debitus. de app. In dubijs quidè quæstiōibus ad eā partē vergere oportet, in qua si erratū sit, peccet leuius, vt eleganter docet Arist. pblemate. 13. & 15. partic. 29. at maius periculū vertit in phibitiōe huius appellatiōis, vbi & memoria, & bona defuncti in seculū denigrant,

b iij &

questio. necessaria

& pereunt, in dedecus atque damnum hæredum, & totius familie, quam in appellationis delatione, vbi nisi iusta defensionis causa apparuerit, hæredes æquè succumbent.

6 ¶ In contrarium se offerunt alia, & quidem non minus fortia argumenta. Primum, quòd prohibita hæretico appellatione, consequenter & hæredi eius prohibita censetur. nam qui in ius succedit alterius, eo iure, quo ille, vti debet, neque in hærede immutatur conditio, aut natura causarum. l. 2. §. ex his, de verbo. oblig. c. is qui in ius. de regu. iur. lib. 6. Deinde si hæredes nō admittuntur ad illius defensionem, quem iuris præsumptione, quantuncunque violenta, sed tamen præsumptione tantum constat hæreticum decessisse. c. filij. de hæretic. lib. 6. multò minus audiendi videntur appellare volentes, posteaquã præmissis legitimis probationibus, per sententiam declaratur hæreticum decessisse. Ad hæc sententia, qua damnatur hæreticus, & in cōsequentiam bona fisco addicuntur, tota vnum caput habet, cōnexum & inseparabile. c. cum secundum. de hæreti. lib. 6. nō ergo diuerso iure cēfenda est, scilicet, vt liceat appellare respectu confiscationis, cum pro pœna corporali id non liceret. l. eum qui ædes. de vsucapio. ad extremum in publicatione bonorū sententia lata contra principalem, nocet hæredi eius, ad quem peruenitur ex consequentia, iuxta doctrinam Bar. passim receptam. in. l. cum filius familias. de verb. oblig. quæ probatur in. l. quisquis. C. ad leg. iul. maief. in. l. 1. C. vbi causæ. fisca. & in. l. vlti §. si. de bo. eorum. & ita ex facto respondit Alex. Con. 60. & 84. lib. 3. & con. 30. lib. 6.

7 ¶ Et hæc posterior sententia mihi verior, & probabilior videtur. contrarijs autem argumentis respondere, non est difficile, ideoque breuitati studeo, id prætermitto. Illud tamen non reticebo, quod aliquando obseruatum scio, interdum admittendam esse talem appellationem hæredum, videlicet cum probabiliter coniectari potest, quòd alia adhuc probari possunt in defensionem defuncti. nulla enim cunctatio longa est ad tuendam illius famam, qui se defendere nequit. Sed & proceres huius consilij solent examinare acta processus ex officio suo, & secretè: quod si iuste iudicatum fuisse comperiunt, remittunt

remittunt causam inquisitoribus exequendã: alioqui reformant & reuocant, quod minus iuste factum inueniunt.

DE APOSTATIS. CAP. VII.



TRIPLEX est apostasia, secundum diuersitatem coniunctionum hominis cum deo. Prima, perfidiæ, qua omninò receditur à fide veri dei: & hæc est omnium pessima, de qua in præfenti tractandum est. Altera dicitur inobedienciæ, qua quis transgreditur præceptum, repugnando mandatis diuinis. Tertia est, qua retroceditur ab statu ordinis, vel religiõis. & iuxta hanc triplicem acceptionem sic diffiniri solet. Apostasia est temerarius a statu fidei, obedienciæ, vel religionis recessus. sic Alex. ab ales. parte. 2. q. 183. Sic sanctus Tho. 2. secundæ. q. 12. art. 1. Sic Rai. Gofre. Hostien. & reliqui omnes tradunt.

1 ¶ Est autem apostasia, vt ait Caietanus, deterior quacūque hæresi, quia totam simul fidem aufert. vsque adeo, vt apostolus. capi. 6. epistolæ ad Hebræos dixerit, ferè impossibile esse, vt apostatã omninò pœniteat, & integram, veramque pœnitentiam agat. est quippe apostasia infidelitatis species, ipsam infidelitatẽ aggrauans. Quia melius est veritatem non cognoscere, quam post cognitam retroire. 2. Petri. 2. & cap. quidam. de aposta. Quibus fortasè decepti nonnulli putarunt, apostatas non esse recipiendos, etiam si pœnitere voluerint. Quod & clarius decisum videtur in. l. 3. C. de aposta. Et ita faciendum opinatur Matth. de affli. in cōstitutio. Sicilia. tit. 3. & Nicol. Arel. tract. de hæreti. not. 44.

2 ¶ Sed his non obstantibus, contraria sententia vera & recepta est: & apostatæ, sicut hæretici pœnitentes, admittuntur, vt rectè docent Ioan. Andr. Cardina. Abbas, & Anania. in. c. quidam. de aposta. Caietanus in summa. Gonsal. q. 20. Matth. de affli. loco proximè allegato, paulò inferius. Arnal. Alberti. in rubrica de hæreti. lib. 6. quæstio. 11. & Alfonso Castren. lib. 1. de iusta hæretico. punitio. cap. 23. & probatur apertè in. cap. 46. Concilij Elibertini, & in decretis papæ Siritij. capitu. 3. & in. cap. contra christianos. de hæreti. libro sexto, & in capitu. quidam. de aposta.

b iij Neque

Néque obstat. l. 3. C. de aposta. quia cū ad ecclesiam pertineat huius criminis cognitio, non aliter seruanda est illa decisio, quā alia leges de hæreticis loquentes. c. vt inquisitionis. s. prohibemus. de hæreticis. lib. 6.

- 3 ¶ Apostata itaque recipiendi & puniendi sunt, sicut & alij hæretici. l. 1. & sequenti. C. de aposta. & constitu. Sicilia. rubrica. 3. Neque id mirum videri debet, quia omnis à fide apostata, hæreticus est, vt inquit Siluester in summa. verbo, apostata. q. 1. & Alberti. loco supra dicto. & Alfons. Castren. li. 1. de iusta hæreti. punit. cap. 7. & hoc omnes alij sentiunt. Videtur tamen q̄ sint grauius puniēdi. quia grauius peccauerūt, nisi forte spōtē redierint.
- 4 ¶ In eo autem errasse puto Matth. de afflict. in cōstitutio. Sicilia. rubric. 3. quòd scripsit, hæreticū post mortem, intra triginta annos accusari posse, apostatam vero tantum intra quinquēnium. Nam cum apostasia sit grauior hæresis, non video cur hoc discrimen sit constituendum.
- 5 ¶ Nouissimè sciendum est, eū qui quēpiam in apostasiam trahit, seu apostatare facit, pœna capitis & bonorum puniri. l. pe. C. de aposta. lex vero regia pœnā ignis statuit. l. 1. tit. 1. lib. 4. fori. legum. Quod quidem iustissimum est. nam & ille causam damni dat, & animam fratris occidit.

DE BLASPHEMIS. CAP. VIII.



B LASPHEMIA est vituperiū, aut cōuitium cū diminutione honoris diuini. vel est contumelia in creatoris iniuriā. importat enim blasphemia derogationem alicuius excellentis bonitatis, & præcipue diuinæ. Consistit autem in verbis, quibus aliquid aduersus deum dicitur, cum intentione inferendi cōuitium: licet quādoque ad facta extendatur. Sed indirectè cōmittitur, cum aliquid contra sanctos dicitur. nam quodammodo blasphematur deus eorum conditor & rector, & sanctitatis dator. vid. Alex. de ales. parte. 2. q. 148. sanctum Tho. secūda. 2. q. 13. Alfons. Castren. lib. 1. de iust. hæretic. punitio. cap. 12.

- 1 ¶ Tripliciter committitur blasphemia, vt ait Alexander: vel remouendo

mouendo à deo, quod ei conuenit: vel ei tribuendo, quod non cōuenit: vel creaturæ attribuendo ea, quæ solius dei sunt. Addit Siluest. in summa, sex modos blasphemādi. Primum, affirmando falsum de deo, vt puta, quòd est iniustus. Secundum, negando verum, sicuti dicendo, quòd non est iustus. Tertium, detestādo, maledicendo, aut imprecādo mala: quasi deus creatura sit, cui noceri possit. Quartum, quando hæc dicuntur in sanctos, in quibus tunc deus contemnitur. Quintum, quando tribuitur deo aliquid inhonestum, vt puta, iurando per membra pudenda. Sextum, quando per alia membra iuratur irreuerēter. & vt inquit Caieta. Blasphemia committitur per modum contumeliæ, maledictionis, detractōnis, & irrisōnis.

- 2 ¶ In quacūque autem blasphemia inuenitur falsitas, saltē in affectu blasphemi. nam cum ignominiosè nominantur membra pudenda sanctorū (quæ reuera illi habent) falsitas est in eo, quòd vt vituperabilia nominantur, cum tamen illi nihil habeant vituperabile. Ad eundem modum inuenitur falsitas in blasphemia optandi, vbi affectus assumit in rationem vituperabilis id, quòd falsum est, aut euenire non potest. quòd rectè docet Caieta. super Tho. 2. secundæ. q. 13. articulo primo.
- 3 ¶ Blasphemia verò peccatum est maximum & horrēdum: quippe quæ in deum tendit, & fidei confessioni opponitur, ac proinde grauitatem habet infidelitatis. grauior autem fit, si roboretur detestatione voluntatis. grauisima verò, si post hæc in verba prorumpat. Sicuti ex diuerso, laus fidei augetur per dilectionem & confessionem. Præterea ex parte obiecti habet suos gradus blasphemia. grauior enim est contra deum, quā contra beatam virginem. Et similiter grauior hæc, quā contra alios sanctos, duriusque punienda, vt aiunt docto. in. c. 2. de maledi. Certe regia. l. 3. ti. 28. parte. 7. duplo maiorem pœnam statuit in blasphemantem sacram virginem, quā ceteros sanctos.
- 4 ¶ Sunt qui putant sufficere absolutionem sacramentalem, vt blasphemus à pœnis iudicialibus liberetur. inter quos est Philid. con. 137. Mouentur autoritate Bar. nil tale dicētis. con. 167. & ratione quadam parum vrgēte, quòd per hanc absolutionem blasphemus

blasphemus habet pacē cū deo, qui principaliter fuerat offensus. Quæ ratio similiter concluderet in hæretico, & quocunque alio, qui directò in deum peccaret. Vera igitur est contraria sententia. nam absolutio sacramentalis nullo modo excusat à pœna iudiciali, vt est concors doctorum assertio in. c. de his. de accusatio. Prætere blasphemus, nedum peccat in deum, sed et in totam rempublicam, vt mox dicturi sumus, & ideo omnibus obnoxius est. l. licitatio §. quod illicitè. de publica. & vct. vid. Ias. verius quàm Decium loquentem, in. l. 3. §. iurari. de iureiuran. & Matth. de afflict. in constitu. Sicilia. lib. 3. rubrica: 54.

5 ¶ Quilibet autem potest accusare blasphemum, quia quod in diuinam maiestatem committitur, in omnium iniuriam deriuatur. l. manicheos. C. de hæreti. Et hæc est plurimorum sententia, vt est apud Io. de Anania. in. c. 2. de maledi. & regijs legibus comprobatur. l. 1. tit. 28. parte. 7. & l. 1. cum sequenti. tit. 8. lib. 8. ordinationum. & magnus ille hispanus Theodosius in sui codicis. l. 1. ti. 2. legum nouellarum, Tutum, inquit, nō est, negligere diuinitatis iniuriam, & impunitum relinquere scelus. Et (vt Pontifex ait) dissimulare nō debemus illius opprobrium, qui probra nostra deleuit. c. in nonnullis. de iudæ. Et Pius primus in suis decretis in hunc modum scripsit, Si quis blasphemum non manifestauerit, non est dubium, quin diuina condemnatione coerceatur. c. si quis per capillum. 22. q. 1.

6 ¶ Crimen hoc est mixti fori, propter quod puniri potest à iudicibus ecclesiasticis, & secularibus, vt traditur in. c. 2. de maledi. & in. c. cum sit generale. de for. compe. non tamen punietur simul ab vtrisque: quia nemo duplici pœna pro eodē crimine coercendus est. c. de his. de accusa. l. licet §. vlti. naut. caupo. stabula. nisi fortè fuerit leuiter punitus ab altero iudice: in quo cauti esse debent inquisitores, ne facillè quosdam blasphemos ad leuem pœnitentiam admittant. Solet enim hoc ab illis affectari, vt pœnas legum effugiant. vid. Areti. con. 58. & Felin. in. c. quod olim. de iudæis.

7 ¶ Blasphemia potest esse cum fide simul, & itē sine fide, nec enim opponitur fidei, sed eius confessioni: & ideo non consistit in credendo

endo, sed in dicendo aliquid blasphemum, siue credat ille, siue non credat ita esse. Et propterea blasphemus non statim censeferi debet hæreticus, nisi credat aliquid contrarium fidei. nam qui credit oppositum eius, quod ore impuro protulerat, is hæresim non cōmittit: qui verò credit falsum illud quod enunciauit, putatque verum esse, talis hæreticus est simul, & blasphemus. & hæc est concors doctorum sententia.

8 ¶ Blasphemia illa, quæ habet quandam connexionem, aut vicinitatem cum hæresi, ad inquisitores hæreticorum spectat, vt eā puniant. puta si quis diceret, deum iniustè punire, aut insipienter agere, vel quippiam simile: talis ab inquisitoribus examinandus est, propterea quòd magnam dederit suspicionem de hæresi. nā ex abundantia cordis os loquitur, vt est apud Matth. cap. 12. Et quidam ait, Omne superuacuum pleno de pectore manat. Neq; aliquis credendus est dixisse, quod non prius mente agitauerit. l. labeo §. idem tubero. de supellecti. lega. Sed ea blasphemia, quæ nullam habet cum hæresi communionem, qualis est illa, quæ cōmittitur iurando per membra pudèda sanctorum, aut quæ profertur calore iracundiæ, vel ex tali passione, ex qua non concluditur, neque presumitur hæresis, hæc, inquam, ad inquisitores non spectat, vt ait Alfons. Castren. lib. 1. de iust. hæret. punit. cap. 12. Et quibusdam legibus regijs, & quinta instructione Hispalèsi. cap. 4. cauetur.

9 ¶ In blasphemix autē punitione considerare oportet eius grauitatem, quæ plurimum ex circūstantijs pendet. Quidam enim ex praua consuetudine blasphemant: nil minus credentes, quàm id quod euomunt impie, quales sunt thracones aliqui passim dicētes, non esse in deo potestatem, & alia deteriora. quasi non sit virilis animi sine blasphemia loqui. Alij dolore, aut calore iracundiæ subitò prorumpunt in verba blasphema: in quibus abest deliberatio & consensus, ac proinde leuius peccant. Quidam contra cum deliberatione blasphemant, qui quidē grauius delinquant. Et hæc necessario iudicis arbitrio, atque prudentiæ relinquenda sunt. vid. Ias. in. l. si duo patroni §. vlti. de iureiuran.

10 ¶ Cum itaque sint multi gradus blasphemix, non potest eadem pœna

poena omnibus conuenire. debet enim commensurari delicto, & iuste cōmutari pro modo culpæ, iuxta quod cap. 25. Deutero. scriptum est, Pro mēsiura peccati, erit & plagarum modus. Et vt eleganter Marcellus ait, respiciendum est iudicanti, ne quid aut durius, aut remissius constituitur, quàm causa deposcit. nec enim aut seueritatis, aut clementiæ gloria affectāda est, sed perpenso iudicio, prout quæque res ex postulat, statuendum est. l. respiciendum. de pœnis. Sunt autem considerandæ circumstantiæ septem modis, causa, persona, loco, tempore, qualitate, quantitate, euentu, prout est apud iureconsultum. in. l. aut facta. eo. titul. & in legibus septipartitis. l. 8. ti. 31. parte. 7. Tradit Lucas. de pœn. in. l. 1. C. de colo. illiricia. lib. 11. Sanctus Thom. prima secūdæ. q. 7. Duran. & Ricar. in. 4. sententiarum. dist. 16.

11 ¶ Scriptum est in Leuitico. cap. 24. & à Iustiniano repetitum in authē. vt nō luxurien. con. nat. qui blasphemauerit nomen domini, morte moriatur. Legibus verò & pragmaticis regijs pro grauioribus blasphemijs amputatur lingua, & pars bonorū publicatur. Pro leuioribus autem blasphemijs triginta diebus in vinculis blasphemus detinetur. Similis ferè pœna statuitur in constitutionibus Siciliae. lib. 3. rubri. 54. Sed iure canonico mitius agitur cum blasphemis, vt videre est in. c. 2. de maledi. Hodie verò inquisitores talem solent iniungere pœnitentiā, vt blasphemus aliquo die festo, dum aguntur missarum solennia, adsit publicè in ecclesia, sine chlamyde, capite aperto, resti succinctus, cādela incēsa, & ibi publicā pœnitentiā agat. in super ieiunia, & oratiōes adiungūt, & pœnam aliquam pecuniariam. Sed in grauioribus blasphemijs, trahitur blasphemus in publicum spectaculum, forcipibus lingua compressa, & pro modo suspicionis abiurare cogitur, aliasque arbitrarias pœnas patitur.

12 ¶ Verum prædicta pœnitentiā non est inferēda clericis blasphemis, vt rectè docent Hosti. Ioan. And. Cardina. Ioan. de Ana. & Abb. qui ait hanc esse communem sententiā in. c. 2. de maled. quod probant ex tex. in. c. 1. de biga. melius tamen elicitur ex. c. de his. 50. distin. & cap. presbyter. 82. distin. & ratione suadet, ne grex fidelium scandalum patiatur, neque dignitas sacerdotalis vilescat

vilescat, cui summa reuerentia debetur, vt ostendit Ambrosius libro de dignitate sacerdotali, & Chrysoftomus lib. 3. de sacerdotio. Est itaque pœna clerici blasphemii arbitraria. Sed in Lateranensi cōcilio sub Leone decimo talis pœna statuta est, Clericus pro prima blasphemia, priuetur fructibus beneficiorum vnus anni. pro secunda verò, ipso beneficio priuetur. quòd si plura habuerit, electio sit iudicis, quo illorum priuadus sit. pro tertia demum blasphemia omni beneficio ipso iure priuatio existat, & fructus fabricis ecclesiarum, aut pauperibus concedantur. Refert noster Ioan. Bernar. in practica pœnarum iuris canonici.

13 ¶ Potest ex alijs etiam causis commutari publica illa pœnitentiā, vt puta, si blasphemus in dignitate sit constitutus, vel alioqui fuerit probus & honestus vt asserunt Hostien. Cardina. Abbas. & Anania. in. c. 2. de maledi. Tametsi leges regiæ grauius puniant nobiliorem blasphemum. l. 2. & 3. tit. 28. parte. 7. quòd quidem in pœna pecuniaria exaudiendum est, non autem corporali, aut honoris offensa, iuxta receptam doctrinam Barto. in. l. quædā. de pœnis. & in. l. properandum §. si autem vtraque. C. de iudi. Late. Feli. in. c. cum quidam. de iureiuran. & Andr. Tiracquel. vir certè diligens, & multæ lectionis. lib. de nobilitate. cap. 20. nu. 120.

14 ¶ Quòd si blasphemus vilis & abiectus sit, flagellis etiam cædi potest, iuxta prædictorum sententiā. Cum autem publica pœnitentiā ex iustis causis commutatur, iniungi solent ieiunia, & orationes, & pœna pecuniaria crescit, reusque in monasterium ad certum tempus includitur. quæ omnia iudicum arbitrio prudenter moderanda sunt. Alia multa de blasphemis in legibus regijs inuenies, colliguntque Lucas de pœn. in. l. penul. C. de delato. libro. 10. Ancharra. confi. 196. Philip. Corn. confi. 181. libro. 1. Socin. confi. 120. libro. 1. Ponzin. de lamijs. nume. 85. Matth. de afflicto. in constitu. Siciliae. libro. 3. rubrica. 54. Cassen. confi. 1 §. 5. & Nicola. Bohe. decisione. 301. Brunus lib. 5. de hæretic. cap. 20.



- I**NTER alias poenas, quibus hæretici iustissime puniuntur, non leuior est bonorum omnium publicatio, quam ipso iure à die commissi criminis incurrunt. c. cum secundum. de hæreti. lib. 6. l. manichæos. C. eo. tit. nam cum hæretici grauissimè delinquât, dignum est & è republica, vt nedum vita illis impœnitentibus auferatur, verum etiam, vt cõuersis adimatur bona temporalia: quia malè meritis publicè, vt exemplo alijs ad deterrenda maleficia sit, etiam egestate laborare debet. l. bona fides depositi. Quæ quidem iure ac meritò confiscantur, ne in posterum subsidio esse queant, fortassè fictè conuersis. Scripsit enim verissimè Plato lib. 4. de legibus. bona externa sine virtute, non modò nil iuuare, sed esse quoque damnosa, & pernicie plena, & quæ in sceleratis hominibus aliud nõ sint, præter paratissima flagitijs, magnisque malis instrumenta. ideò auferendas esse diuitias malis hominibus rectè Aristoteles censuit lib. 2. magno. mora. cap. 3.
- 1 ¶ Olim autem hæreticorum bona filijs orthodoxijs relinquerebatur. l. manichæos. l. cognouimus. authenti. idem est. C. de hæret. regia. l. 2. tit. 26. parte. 7. c. iudæi. 1. quæstio. 4. quod iustius fuisse, quam quòd postea statutum est, quibusdam placere video: magis in hoc pijs fortassè, quàm circumspectis aut cautis. Cuius opinionis fuit quidam Iodocus Loueringus, iuris professor insignis, & Corrasius Gallus. in. l. qui liberos. de ritu. nuptia. nu. 62. & huiusmodi multos se in Fládria inuenisse Castrensis noster ait, qui ob eam rem Hispaniam impetebant, & pariter in iura ciuilia & canonica inuehebantur. Sed & Bartholomæus Mirandensis, vir multis nominibus suspiciendus, in canone. 59. quarti cõcilij Tolletani, vbi id ipsum decretum fuerat, hoc desiderat obseruari.
- 2 ¶ Verum quicquid illi sentiant (quorum quidem benignitatè non omninò improbamus) nihilominus tamen firmiter asserimus, iustissimè, atque prudentissimè sancitum esse, vt hæreticorum

- rum bona publicentur, quanuis filios habeant fideles. authenti. gazaros. C. de hæreti. qua constitutioe omnia iura antiqua sublata & abrogata sunt, iuxta communem sententiam vsu etiam comprobata, quam docent glo. & interpretes. in. c. cum secundum. de hæreti. lib. 6. & in. c. vergentis. eo. ti. lib. 5. vbi Henricus refert huius sententiæ Lau. Ioan. Ray. Asten. & Archidia. Quibus adde Hostien. in. c. excommunicamus. 1. & Alberi. in. l. cognouimus. C. de hæreti. Jacob. Aluaro. in §. gazaros. de statu. & consuetu. lib. feudorum. qui laudat Ray. Jacob. de Bel. Nicol. de Neapo. Jacob. de Rauc. & Cinum. Idem quoque asserit noster Fortun. in. l. gallus. & quid si tantum. de libe. & pòsth. col. 120. Brunus. lib. 5. de hæreti. cap. 5. & Ioan. Lup. in. c. per vestras. de donatio. inter vir. & vxor. §. 72. num. 15. ubi nominatim inquit, leges septipartitas, antiquo iuri concordas, pariter abrogatas esse.
- 3 ¶ Quod multis etiam argumentis iustissimum esse cõuincitur: quorum pauca breuiter hic subijciemus. Et in primis illud, quòd ipse deus summa iustitia, sæpe filios puniuit pro peccatis parentum. Sic punitus fuit Dauid morte filij. cap. 12. lib. 2. regu. Sic paruuli Sodomæ propter parentum scelera igne consumpti sunt. Gene. 19. quod & in Dathan & Abiron contigisse scimus, nume. 17. Sic pro peccato Chã, filium eius maledixit Noë, Gen. 9. Sic filij Acham cum patre interfecti sunt. Iosue, ca. 6. Sic & filij Giezi propter peccatum patris percussi sunt lepra. 4. Reg. cap. 5. Et sæpe alibi deus visitauit peccata parentu in filios vsque ad tertiam & quartam generationem, iuxta id, quod ipse prædixerat Exodi, cap. 20.
- 4 ¶ Humanis quoque, sed tamen vrgentissimis rationibus, hoc ipsum probari potest. nam filius res patris est, & quædam præcipua parentis possessio. l. 3. & vlti. C. de pat. potesta. Proinde mirandum non est, si ad illum, tâquam ad rem patris propriam, interdum pars poenæ pertingat. quid quòd natura pater & filius eadem esse persona penè intelliguntur. l. vlti. C. de impuber. & alijs substi. Lactan. lib. de opificio dei, cap. 9. Sed & Picus ille mirandula quadam ad Hermolaum epistola maxima, inquit, patris pars in filio est. puniri ergo potest pater in filio, cum pro affectu

et parentes magis in liberis terreantur. l. isti quidem, quod met. cauf. Confert regia lex. 3. titu. 20. parte. 2. & quod scripsit Chrysofto. super Genesim homilia. 29. & alia multa collecta per Feli. in. c. afferte. de praesumptio. per Hippoly. in. l. 2. de sicar. per Tiraquellum. in. l. si vnquam. C. de reuocan. dona. parte. donatioe largitus. nume. 271.

5 ¶ Præterea quandiu pater viuit, ipse est dominus bonorum suorum. quæ sicuti conseruare atque augere potest, sic etiã casu, fortuna, vitio, & necessitate, perdere, consumere, atque prodigere valet. Quid igitur in causa erit, cur lex iusta pro bono publico parentis bona publicare non queat? Iam verò vbicunque pro alijs criminibus multis omnia bona delinquentis confiscantur, quantum numero liberorum facinorosus abundet: cur magis in hæretici poena lex ista prædura vel iniqua putatur? Nonne antiquis legibus Romanorum pro quocunque crimine capitali bona publicabantur, nulla filiorum habita consideratione? l. i. de bonis. damna. Nonne hoc ipsum hodie in regno Franciæ est in vsu, & viridi obseruantia? in cõsuetu. Burgun. rubrica. 2. §. 1. vbi hoc notat Cassé. & Guillel. Benedict. in. c. Rainuntius. de testamen. parte & vxorem. nume. 896.

6 ¶ Quòd si filij eius, qui committit crimen læsæ maiestatis, non solum parentis successione priuantur, sed etiam infamia notantur, alijsque damnis afficiuntur. l. quisquis. C. ad leg. iul. maieft. multò magis in filijs hæreticorum eadem poenæ locum habent: cum sit longè grauius æternam, quàm temporalem offendere maiestatem. authen. gazaros. C. de hæreti. Neque his refragantur, quæ Budæus scripsit in l. i. ad leg. iul. maieft. & post eum Igneus in. l. vlti. ad fillania. qui enixè contendunt, prædictam. l. quisquis. abrogatam fuisse per aliam. l. sancimus. C. de poenis. Nã vt verè inquit Arnal. Ferronus in consuetu. Burdigalen. tit. de furibus §. 3. non est verisimile, quòd lex illa tam celebris, verbis tantum generalibus sublata fuerit. Quid quòd legibus septipartitis ea constitutio comprobata est. l. 2. ti. 2. & l. 9. ti. 31. parte. 7.

7 ¶ Marcus quoque Tullius lib. epistolarum ad Brutum, loquens de filijs Lepidi, Nec verò, ait, me fugit, quàm sit acerbum, parentum

tum scelera liberorum poenis lvi, sed hoc præclare legibus comparatum est, vt charitas filiorum amiciores parentes reipublicæ redderet. Et rursus in alia epistola, Illud videtur, inquit, esse crudele, quòd ad liberos, qui nil meruerunt, poena peruenit, sed hoc & antiquum est, & omnium ciuitatum. Quam sententiam longa & eleganti disputatione tuetur Plutarchus lib. de sera numinis vindicta. Sed & Quintus Curtius lib. 6. meminit cuiusdam legis Macedonum, qua cauebatur, vt propinqui eorum, qui regi insidiati erant, cum ipsis etiam infantes necarentur. Quod quidem iniustissimum erat. non enim vllò modo licet quèpiam pro peccato alterius occidere, sed neque flagellare, neque vulnerare, neque alia poena corporali punire. sicuti docet Alexan. de ales. parte. 3. q. 41. & sanctus Tho. 2. secūda. quæst. 108. arti. vlt. & Alfonf. Castré. lib. 2. de iust. hæretico. punitio. cap. 11. Qui verò plura in hac materia desiderat, is legat commentarios Abulè. Matth. 5. quæstio. 330. & quæstio. 335. & 4. Reg. 14. quæstio. 5. & rursus Exodi. 34. quæstio. 9. & item Iosue. 6. quæstio. 26. cum sequenti. adeat præterea Lucam de penna. & cæteros, in. l. i. C. vt nullus ex vicarijs. lib. 11. Alexand. consil. 113. lib. 7. Socin. consil. 31. lib. 1. Philipp. Corne. consil. 50. lib. 4. Felin. in. cap. cognoscen. tes. de constitu. Decium consilio. 64. Hippoly. in. l. infans. de sicar. & Franciscum de Ripa in. l. vltima. C. de reuocan. donatio. quæstio. 53.

8 ¶ Bona itaque hæreticorum ipso iure confiscata sunt à die commissi criminis. c. cum secundum. de hæreti. lib. 6. neque illa recuperant, quamuis conuersi redeant ad catholicam fidem. vt illic rectè aiunt Guillel. & Domi. vbi antiquiores quidam contrariū falsò putabant. Quorum opinio iam dudum explosa est, vt eleganter diserit Brunus. lib. 5. de hæret. cap. 6. Nam & si aliquando bona illis reddantur, hoc fit ex misericordia, & supererogatione. c. vergentis. de hæreti. Quod tunc demum hodie concedi solet, cum regis benignitate & gratia intra certum tempus ab eo præfinitum conuertuntur, prout statutum est in prima instructione Hispalé. cap. 3. & 7. De quo etiam extat pragmatica sanctio, in fine instructionū impressa. data Cordubæ. die. 21. Martij.

Anno salutis. 1487.

- 9 ¶ Confiscatio autem bonorum haeretici non debet alijs esse dam-
nosa, sed ius suum omnibus reddendum est. quia poena vnius al-
teri nocere non potest. l. sancimus. C. de poenis. Hinc est, quod cre-
ditoribus haeretici, qui ante crimen commissum creditores erant,
soluendum est ex bonis haeretici publicatis quidquid verè illis de-
beatur. l. 2. & ibi glo. de alimen. & ciba. lega. l. 1. vbi adducuntur
alia iura. C. poenis fisc. credit. praeferr. regia. l. decima. tit. 2. par-
te. 3. & l. 16. titu. 7. parte. 6.
- 10 ¶ Inde etiam fit, vt non publicetur dos vxoris catholicae propter
haeresim viri, nisi sciens illum haeticum contraxerit matrimo-
nium. c. decreuit. de haeret. lib. 6. l. si marito. solut. matri. & vtro-
bique docto. & Guillel. Benedi. in. c. Rainuntius. de testamen.
parte, & vxorem. decisio. 5. num. 277. tametsi maritus dicatur do-
minus rerum dotalium. l. doce ancillam. C. de rei vendi. & non
obstante, quod post contractum matrimonium vxor scierit ma-
ritum haeticum, vt aiunt glo. Archidia. Domini. & Philip. Fra.
in praedicto cap. decreuit. Idemque est in arris, regia. l. 8. titu. 10.
parte. 7. Lupus in rubrica de donatio. inter virum & vxorem §.
66. nume. 23.
- 11 ¶ Ex eodem fonte manat, quod cum legibus regijs bona quaesita
constante matrimonio communia sint vtriusque coniugis: si al-
ter illorum in haeresim incidit, pro sua parte tantum bona illius
publicantur, vt est apud Ioã. Lup. in rubrica de donatio. inter vi-
rum & vxorem §. 66. quod prolixius diserit Iacob. de Segura. in tra-
ctatu de bon. lucrati. Sed non erat opus in re aperta diffundi. nam si
pars bonorum est coniugis non delinquentis, quorsum attinet
controuertere, vtrum bona illa publicentur? Adde quod regia
l. taurina. 77. nuncupatim quaestionem propositam decidit, hoc
amplius addens, vt procedat in bonis quaesitis vsque ad senten-
tiam declaratoriam. Sed quamuis haec sint vsque adeo manife-
sta, vt probatione non egeant, nihilominus tamen consuetudi-
ne Niuern. seruetur contrarium, & omnia bona illa quaesita pu-
blicantur propter delictum viri, etiam si pars illorum ad vxorem
pertineat: quod quam fiat rectè, illi viderint: mihi certè pquam
durum

- durum videtur, ne dicam iniquum. consule Chafe. in consuetu.
Burgun. rub. 2. §. 2. in fine.
- 12 ¶ Pari ratione feudum, quod habet hereticus, non confiscatur in
praedictum domini superioris. c. excommunicamus. 1. §. mo-
neantur. de haeret. vbi notant Abb. Ancharra. & Ana. l. imperia-
lem §. illud. de prohib. feud. aliena. per Federi. c. felicis §. si qua
verò feuda. de poen. lib. 6. Idem docet Bart. & post eum Alexan.
& caeteri in. l. si finita §. si de vectigalibus. de damn. infect. Aluar.
Prepo. Iacob. & Zasius. qui eos refert, in epitome feudorū, parte
decima. Caro. Ruinus. con. 23. lib. 5. & Gozadi. confi. 84. Brunus
lib. 5. de haeret. cap. 6. & alij multi, quos sciens praetereo, tum cau-
sa breuitatis, tum etiam, quia materia feudorum in Hispania pa-
rum frequetatur. Quod si qua feuda reperire liceat, ea magis ac-
cedunt emphiteusi perpetuae, aut censuali contractui, quam an-
tiquis feudorum vsibus.
- 13 ¶ Simili quoque modo res aliena reperta inter bona haeretici, non
publicatur, sed vero domino reddenda est: siue illam habuerit cō-
ductionis titulo, siue commodati, depositi, siue quocūque alio.
Quinimo & si filius familias, viuo patre, dominus bonorū eius
quodammodo existimetur. l. in suis. de libe. & posthu. nihilomi-
nus tamen in confiscatione bonorum filij, non venit portio legi-
tima, quae quidem non nisi patre mortuo illi debetur. l. si qua poe-
na. de his qui sunt sui vel alie. iur. l. qui superstitis. de acquiren. he-
redita. not. Bal. in. l. 1. C. de bon. liberto. Bar. Alue. Ange. & reli-
qui omnes. vt ait Ias. in authen. nouissima. C. de inof. testa. col. 2.
- 14 ¶ Praeterea publicatis bonis filij familias, non confiscatur pecu-
lium eius profectitium, neque castrense. l. 3. C. de bo. damna. &
ibi notatur. Et haec est concors omnium sententia in peculio pro-
fectitio. quia nondum est à patre penitus alienatum. Sed in ca-
strensi maius dubium est, eo quod filius in illo censeatur paterfa-
miliis. Et fortè probabilior est haec opinio, & multi asserunt illā.
cōtraria tamen aequior & receptior videtur, quam sequuntur Bal.
Imol. Paul. & Alexan. nume. 49. in. l. si finita §. si de vectigalibus.
de damn. infect. Et hanc ait magis communem sententiā Alex.
in. l. 3. §. si filius. quod quisque iur. vbi eam tenent Ias. & Phil. De-
c ij cius

- cius. vide Igneum. in. l. senatusconsulto §. si filius. ad fillania.
- 15 ¶ Et è regione publicatis bonis patris, non confiscatur peculium profectitium filio concessum. l. 3. §. sed vtrum. de mino. Bar. Bald. & Iaf. eos referens, in repetitio. l. frater. de condict. in debi. col. 2. Sed multi contrarium tenent, quorum sententia probabilior est. vide Alex. in. d. §. si de vectigalibus. nume. 45. Item, publicatis bonis aduentitijs filij, non priuatur pater suo vsufructu. quod rectè docent Barto., Bald. Ange. Imol. & loco proximè citato Alexan. nu. 44. & Nicola. Bohe. decisio. 7. Verius etiam videtur, quòd publicatis bonis patris, vsufructus ei debitus in bonis aduentitijs consolidetur proprietati, & statim ad filiū redeat: quia mors quædam tunc euenit, & quia cessat ratio, qua vsufructus ille patri conceditur. Est & alia ratio in hæretico damnato, quia filius statim efficitur sui iuris, & à patria potestate liberatur. cap. 2. §. vltim. de hæret. lib. 6. vide Bohe. decisione prædicta. & Caro. Rui. consil. 24. lib. 5.
- 16 ¶ Quòd si vxor iudicetur hæretica, nō publicantur bona ei donata à cōsanguineis viri, quādo data fuerant contemplatione mariti, iuxta considerationes Bartoli, & aliorum in. l. sed si plures §. in arrogato. de vulga. & pupi. & nominatim tradit Ioan. Lup. in rubrica de donatio. inter vir. & vxor. §. 45. Idemque erit in confiscatione bonorum filij arrogati. & in alijs id genus. vid Rom. con. 172. Philip. Corne. consil. 81. & item consil. 149. lib. 1. Socin. consil. 33. libro tertio.
- 17 ¶ Sed qui bona ecclesiæ confiscat pro hæresi clerici, sententiā excommunicationis ipso facto incurrit: à qua non potest absolui, nisi in mortis articulo, priusquam ecclesiæ integrè satisfaciatur. clem. 1. de hæreti. In hanc tamen pœnam non incidit, qui libros hæretici minoritè confiscat, quamuis monasterij esse videantur, cum ille nil proprium habere queat. Hoc asserit Ioan. Calderin. con. 1. titu. de hæreti.
- 18 ¶ Cum autem bona clericorum, quæ ex ecclesijs, vel earum intuitu quesierunt, ad easdem ecclesias pertineant. c. relatum. 2. & c. requisisti. de test. colligit Gratia. 12. q. 3. & sequenti. consequens est, vt si clerici fuerint hæretici, talia bona eisdem ecclesijs restitui

- tui debeant. c. excommunicamus. 1. §. 1. de hæreti. vbi hoc notant glo. Collecta. & cæteri. Quibus accedit Bald. in. l. si quis presbyter. C. de episcop. & cleri. Ancharra. in. c. cum secundum. de hæreti. lib. 6. Cardina. in clem. 2. & Felin. in. c. vergentis. eo. tit. Brunus. lib. 5. de hæreti. cap. 6. & regia lex. 2. titu. 26. parte. 7.
- 19 ¶ Bona verò patrimonij clericorum hæreticorum deferuntur episcopis, qui tenentur in vsus pios ea distribuere. vt asserunt Abb. Ancharra. Mari. Ana. & Felin. in prædicto §. 1. & Ioan. Lup. in rubrica de donatio. inter vir. & vxor. §. 39. in quo ego subsisto. verius enim videtur, quòd pro salario & alijs expensis huius officij vendicetur. neque satis intelligo, quid magis piū esse queat. Quid, quòd in regno Franciæ omnia bona immobilia clericorum damnatorum regius fiscus rapit. Quod iure fieri multi contendunt, scilicet Oldral. consil. 17. Ioan. Andr. ad specul. titu. de feudis §. penulti. Ancharra. in. c. ea quæ. de regul. iur. lib. 6. quæstio. 22. Paul. Castren. consil. 154. & item consil. 162. & qui eos refert Guillel. Benedi. in. c. Rainuntius. de testa. parte. & vxorem. nume. 240. Proinde mirum videri non debet, si leges regiæ statuerint, vt si ecclesia, vel episcopus bona clericorum damnatorum non petierint, fisco regio tanquam vacantia deferantur. regia lex. 7. titu. 7. & lex. 2. titu. 26. parte. 7.
- 20 ¶ Bona hæreticorum ipso iure confiscantur, non tamen prius addicuntur, quàm per iudicem ecclesiasticum proferatur sententia super hæresi. c. cum secundum. de hereti. lib. 6. verum post eā sententiam statim iudices seculares possunt illa bona capere, absque alia causæ cognitione, vt asserunt Ioan. Andr. Ancha. & Philip. Fran. super eundem textum. Quibus accedit Alcia. in. c. 1. de offic. ordina. nume. 74. qui hoc ipsum deducit ex epistola, inter claras. in fine. C. de summa. trinita. & ex authenti. gazaros. de hæreti. Sed hodie receptores in hoc negotium priuatim deputati, bona hæreticorum occupant. Quod cautum est prima instructione Hispalensi cap. 8. & item. cap. 10.
- 21 ¶ Vnde necessariò relinquitur, quòd hæreticus alienare nequit bona, quæ à tempore commissi criminis fisci esse videntur. Et inde consequitur, quòd si secus fecerit, bona alienata possunt vendicari

- dicari per fiscum à quocunque possessore, nullo pretio ei restituito. Quod regulare est in quolibet vendicaterem suam. l. 2. C. de furt. regia. lex. 9. titu. 14. parte. 7. Siluester in summa. verbo, restitutio. 3. §. 7. & hoc etiam obseruatur in alienatiõe ab eo facta, qui læsæ maiestatis crimine infectus fuit, quic similia facinora perpetravit. l. vlti. C. ad leg. iul. maiesta. regia. l. 4. titu. 2. parte. 7. Bar. & recentiores. in. l. post contractum. de donatio. Philip. Decius, confi. 235. Tiraquel. in. l. si vnquam. C. de reuocan. donatio. verbo, reuertatur. nume. 267. Ioan. And. Zenze. Domini. & Philip. in cap. cum secundum. & est in materia nostra decisum per secundam instructionem Hispalen. cap. 6. & per primam. cap. 10.
- 22 ¶ Hoc tamen perpetuum non est, sed exceptiones patitur nota dignas. Quarum prima est, quod fiscus tenetur pretium restituere illi, à quo vendicat bona prædicta, quando illud inueniret in bonis hæretici: tunc enim periniquum esset, vt fiscus rem et pretium haberet. Quod rectè docent Archidia. Ioan. And. Ancharra. Domini. & Philip. in. c. cum secundum. de hæretic. lib. 6. Siluester. verbo, hæresis. r. q. 8. & est nuncupatim cautum cap. 6. secundæ instructionis Hispalen.
- 23 ¶ Altera huic affinis exceptio est, vt fiscus pretium restituat, quãdo aliquid pretio æquiualens reperit inter bona publicata, vt puta, si hæreticus aliquid emit illa pecunia, vel si eam conuertit in vtilitatem bonorum, & illa vtilitas extat, & ad fiscum peruenit. ac multò magis, si permutatio intercessit, & rem permutatam habet fiscus. Hæc est concors sententia omnium, quos proximè recensuimus, & nominatim cauetur eodem cap. 6. & probatur in. l. si cum dotem. §. vlti. solut. matri. & in. l. imperator. §. vlti. cum ll. sequenti. de lega. 2. & tradit Conradus tracta. 1. de contracti. quæstio. 7. col. 3.
- 24 ¶ Illà quoque species excipienda est, cum ex pecunia hæretico data, ille proprijs creditoribus soluit, quibus & fiscus soluere teneretur. tunc enim restituenda est pecunia emptori, quia extare meritò censetur. l. idem seruandum. de leg. 2. Quod ad similes casus ipse facillè prorogarem, ne fiscus locuples fiat, cum innocentis iniuria.

¶ Proinde

- 25 ¶ Proinde sententiam illam, æquitate plenissimam, libenter amplector: vt si quidem hæreticus ex causa necessaria aliquid alienauerit, nempè pro victu, & vestitu, pro medicinis, & alijs id genus, rata sit talis alienatio, neque possit fiscus eam retractare, nisi fortè velit pretiũ restituere. Quod tenere videtur Siluester, verbo, hæresis. prima quæstione. 8. notat Paulus de monte Pico, in. l. post contractum. de donatio. col. 19. & illic Ioan. Hannibal. nume. 481. Quibus subscribit Didacus noster Cobarruias, vir quidem non vulgaris eruditionis. in lib. 4. decreta. parte. 2. cap. 6. §. 8. nume. 9. Addimus rationem viuam & spirantem. nam & si iudices inclusum carceribus tenerent hæreticum, nihilominus tamè ante exequutionem sententiæ deberent ex illis bonis supradicta facere. non ergo possunt ea reprobare, quæ necessariò & vtiliter gesta sunt.
- 26 ¶ Cæterum quæstionis est in omnibus exceptionibus suprascriptis, vter probare teneatur, fiscus ne fraudem, an reus pretium conuersum in vtilitatem bonorum? Quod veriùs videtur, argumento eius, qui cum ecclesia vel ciuitate contraxit. authent. hoc ius porrectum. in fine. C. de sacrosanct. eccle. & quæ latius docentur in. l. ciuitas. si cert. peta. & hoc in specie proposita tenuit Iacob. de Segura, in. l. quemadmodum. de acquiren. posse. num. 50. Crediderim tamen interdum fiscum probare debere, saltem cum abest præsumptio fraudis. nec nimium grauandus est ille, qui pretium numerauit, & bona fide contraxit. Quis enim hæresim, in imo pectore latètem, videre, aut præcauere potest? Aut quenam culpa imputari debet ei, qui cõtraxit cum homine, qui putabatur verè christianus? Pœna impij & hæretici vertenda nõ est in perniciem innocentis. Iuxta quod Gen. 18. dixit Abraham, Nunquid perdes iustum cum impio? Idcirco admittendam puto leuiorem probationem ex parte rei cõuenti à fisco, vel per cõfessionem hæretici, vel quia indigenti venditori pecuniam dedit, vel si quippiã simile probet. vid. Zabare. con. 71. & item con. 110. Philip. Decium. confi. 36. Caro. Moline. de contractibus. nume. 280. & regiam. l. 3. titu. 1. parte. 5. & l. 2. ti. 5. lib. 1. fori legum. l. 2. titu. 2. lib. 1. ordina.

c iij ¶ Est

- 27 ¶ Est & alia quaestio plurimum animaduertenda, Nunquid haereticus, neque accusatus, neque damnatus, teneatur bona, quae possidet, fisco deferre: alioqui nisi ea restituat, lethali ter peccet? In qua quaestione multi asserunt, tantam esse vim poenae ipso iure inductae, ut eam teneatur delinquens fisco sponte offerre, alioqui tutus non sit in foro conscientiae. Quam opinionem defendere conantur Conrra. lib. 1. de contracti. quaesti. 7. Ludouii. Gomes in. c. 1. de rescript. lib. 6. nume. 9. Alfonsi. Castren. lib. 2. de iusta haereticor. puniatio. cap. 6. Abb. & Felin. in cap. 1. de constitu. Cardina. Barba. Parpa. Corse. & Matth. de afflict. in locis adductis per Tiraquell. in. l. si vnquam. C. de reuocan. donatio. parte, reuertatur, nume. 236.
- 28 ¶ Habet haec opinio argumenta, quae satis virgere videtur. Quorum illud est praecipuum, quod cum dominium talium bonorum ipso iure sit in fisco translatum: consequens est, ut res alienas detinere non debeat haereticus, sed fisco earum domino restituere. nec enim multum interest quo ad periculum animae, an quispiam iniuste detineat, vel alienum inuadat. c. saepe. de restit. spolia. Praeterea probari videtur haec assertio in cap. 2. de praescriptio. lib. 6. vbi aperte deciditur, haeredes haeretici, qui sciunt illum in haesim incidisse, bona defuncti vsucapere non posse contra fisco: quia sunt malefidei possessores, & iniuste detinet alienum.
- 29 ¶ Contrariam tamen sententiam ipse tam veriore, quam benigniore puto, quae assertores habet non poenitendos. nam eam tenet Siluester verbo, haesim. 1. quaestio. 8. Adrianus. quolib. 6. q. 2. Franciscus. de Victo. vir foelicissimi ingenij, & eruditionis eximia, in relectione de Indijs. Et Didacus Cobarruias, regius senator bene meritis, in lib. 4. decreta. parte. 2. cap. 688. nu. 10. Et eam sentiunt plerique theologorum & iuris peritorum.
- 30 ¶ Quae sententia validioribus quidem, & equioribus argumentis fulcitur. Ac primum illud euidens est, quod propter haesim, aut infidelitatem, aut aliud crimen, quantumuis horredum, nemo priuatur dominio bonorum suorum iure naturali, diuino, aut gentium. Quod si quo iure bona delinquentis publicantur, illud erit positium, & profus humanum. Sed nullum tale est, quod

- quod expresse praecipiat, ut haereticus sponte bona sua deferat fisco: relinquitur ergo, eum ad hoc nullo iure teneri. Neque obstat Pontificis decisis in. c. cum secundum. de haereti. lib. 6. Quinimo in idem sententia nostra elicitur apertissime: cum statuatur, occupationem bonorum, & exequutionem confiscationis fieri non debere, antequam per iudicem ecclesiasticum super crimine sententia sit promulgata. quod si fisco ante sententiam bona haeretici capere nequit, igitur neque haereticus ipse prius tradere bona illa tenetur: alioqui ante praefinitum tempus ea deferens, obuiam lupo (quod aiunt) exiret.
- 31 ¶ Praeterea, confiscatio bonorum non est aliud, quam pura poena: ergo priusquam exigatur, non debetur in foro conscientiae, nulla enim poena obligat in conscientia, nisi legitime petatur, ut ait glo. vulgaris, in. c. fraternitas. 12. q. 2. quam in. c. 1. de constitu. approbant Abb. Felin. Deci. & alij, Philii. Corne. confi. 119. lib. 2. Fortunius noster de ultimo fine iuris. illatio. 18. & Cobarru. loco superius adducto. Sanctus Thom. & Caiet. 2. secundae. quaest. 62. arti. 3. Gabriel in. 4. sententiarum, distinct. 15. quaestio. 4. & Ioan. Driedo. lib. 1. de libertate christiana. ca. 2. art. 3. & alij multi.
- 32 ¶ Adhaec, iure diuino delinquens nil restituere tenetur, praeter damnum illud, quod intulit, nam poena legis exequutionem iudicis exigit, quam contra seipsum nemo facere tenetur, ut Thomas & reliqui proxime commemorati concludunt, vbi ad dunt Decius, Caietanus, & Cobarruias, hoc etiam procedere, quamuis poena sit ipso iure imposita, Quod & Felin. tenet in. c. audiuius, de simonia. Siluester verbo, poena. quaest. 25. & Adrian. quolib. 6. arti. 1. Quibus & ipse subscribo, quia verba haec, ipso iure, non efficiunt, ut in foro conscientiae obligetur delinquens ad exequendam poenam contra seipsum: quod quidem durissimum esset, ac penè impossibile. Neque satis compertum est, an leges humanae ad hoc obligare possint, etiam si expresse id statuere velint. nam & ius dicerent extra forum suum, & contra naturam poenam facerent: de cuius ratione est passio, & non actio: confunderentque partes accusatoris & testis, iudicis & rei, atque indueret haereticus omnes pleni iudicij personas. c. forum, de verbo, significa,

significa. Proinde mihi dubia videtur decisio quarundam legū regiarum, quæ obligare nituntur ad certas pœnas, in foro conscientiae præstandas. tametsi ad hoc prius exigant iuramentum, qua vna ratione fortasè sustinentur. l. vlti. titu. 3. & l. fina. titu. 9. lib. 2. ordina.

33 ¶ Deinde humanæ leges, & gentium principes, ac magistratus, nil intendunt aliud, quàm publicis iudicijs, actionibus, & sanctionibus, publico & communi bono consulere, omniaque palàm agere: denique nihil occultum admittunt. nam & leges ipsæ non ante obligant, quàm publicentur. c. in istis. distin. 4. & athen. vt factæ nouæ. constitutio. principes & magistratus neminem punire debent, nisi publicè: neminem iudicare possunt, nisi palàm conuictum, aut confessum, etiam si priuatim nouerint illum esse malefactorem. l. illicitas, & veritas. de offic. præsidis. c. pastoralis, & penul. de offic. delega. & illic interpretes. Sanctus Tho. 2. secundæ. q. 64. artic. 6. & iterum quæstio. 67. artic. 2. Lucas de pên. in. l. 2. C. de tabula. lib. 10. sine accusatore legitimo nemo dānandus est. c. 1. de accusatio. Occultum crimen reuelare nō licet, neque de illo inquirere. c. qualiter. de accusatio. De quo Alberti. Ioan. Sepulueda Cordubensis. & Domi. Soto, singulares tractatus ediderunt. Hæc, & alia id genus multa, quæ consultò prætereunda duximus, id euidentissimè probant: nil minus humanas leges curare, aut velle (ne dicā posse) quàm vt hæreticus, aut quilibet alius facinorosus, seipsum libens iudici tradat, bonæque sua non accusatus offerat fisco.

34 ¶ His accedit, quòd nemo seipsum prodere debet in publicum, vt inquit Chrysofomus in epistola ad Hebræos. c. quis aliquando. de pœnitent. dist. 1. Qui autem omnia bona fisco deferret, vix vnquam latere posset. quòd si caperetur à iudice, subiret insuper infamiam grauissimam, aliasque pœnas contra hæreticos, etiam conuersos, iure statuas: ad quod obligare homines, acerbissimū quidem esset, ac difficillimum factu: cum tamen lex debeat esse possibilis, & secundum naturam. c. erit autem. 4. distin. non sunt imponenda humeris onera graua & importabilia, vt est apud Matth. cap. 23. Docet Chrysofomus in. c. alligant. 26. q. 7. Vbinā
quæso

quæso inueniretur, qui pœnas istiusmodi subire auderet, etiā si iustior videri vellet Zachæo illo, qui Lucæ, ca. 19. dicebat, si quid aliquem defraudau, reddo quadruplum? certe iugum domini suaue est, & onus eius leue. Matth. cap. 11.

35 ¶ Adde, quòd iudicium illud occultissimum inter deum & hominem, quod forum conscientiae vocant, tantum distat à forensibus disceptationibus, quantum cælum à terra, ideoque nil minus legislatores cogitare solent, quàm vt in forum illud falcem immittant: cuius solus deus, & minister eius sacerdos, esse solet testis & iudex: homo verò, accusator & reus. Neque aliud illic exigitur, quàm spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum, & damni dati satisfactio. Legales autem pœnæ ab humano iudice declarandæ sunt, & ab exequutoribus exigendæ, idcirco nil commune habet alterum forum cum altero. Quod multis exemplis ostendere possem, gratia tamen breuitatis sat fuerit, quosdam locos indicasse. cuiusmodi sunt in. c. inquisitioni. de senten. excommuni. in. c. 1. de re iudica. lib. 6. & quæ docet Adrianus, quolib. 6. & iuris commentatores in. l. iulianus verum debitorem. de condi. in. debi. in. c. de his. de accusa. & sæpe alibi.

36 ¶ Quòd si contraria opinio vera esset, inter alia multa inaudita (ne dicam absurda) illud etiam consequeretur, quòd hæreticus deberet fisco restituere, nedum omnia bona, quæ possidet, verum etiam quicquid post hæresim expendit in alimentis, & alijs rebus necessarijs, cui consequens est, vt fiscus omne id ab eo possit exigere, si quando perueniret ad pinguiorem fortunā. Quod nec factum est hætenus, neque fiet vnquam. Quinimo ex bonis huiusmodi, semper alimēta præstari solent hæretico capto, & filijs eius, vsque ad sententiam diffinitiuam: tametsi multò ante cōstitit, illum hæreticum esse. Quod ego interpretor, nō tam ex liberalitate, aut misericordia fieri, quàm vera iustitia.

37 ¶ Illud quoque animaduertendum est, quòd contrariæ opinionis assertores fortasè decepit, non sufficere, quòd lex verbis quātumuis præcisīs & efficacibus loquatur, nisi & is, cuius interest, tali lege vtatur, & iudex illam exequatur. non enim sat est, quòd lex aliquid statuatur, vt illud statim fiat, nemine id aut petente, aut
exequente:

exequente: quia hoc solius dei est, qui dixit, & facta sunt. at leges magistratibus egent, qui iura reddant, alioqui frustra cōditā forent, ut ait lex. 2. §. post originem. de origine. iur. Plato in principio libri sexti. de legibus. cap. 1. §. ultimo. de statu. regula. lib. 6. & eorum sententia semper necessaria est, ad executionem saltem declaratoria. c. cum secundum. de hereti. lib. 6. & lex. eius qui delatorem. de iur. fisci Felin. in. c. Rodulfus. de rescript. nume. 35. Curtius senior. con. 20. col. 12. Decius con. 613. Hippoly. in rubrica de falsis. nume. 24. & alij sexcenti, quos Tiraquel. refert in. l. si vnquam. C. de reuocan. dona. parte, reuertatur, nu. 318.

38 ¶ Ceterum nisi is, cuius interest, postulauerit, iudex nil facere debet ad priuatam utilitatem. l. 4. §. hoc autem. de damno. infect. & illic diffusè interpretes. neque lex beneficium suum impartitur non petenti. l. peto §. fratre. de lega. 2. l. vlti. §. 1. quorū legato. Alex. con. 96. lib. 4. Socin. con. 19. lib. 3. Ias. in. l. admonendi. de iure iuran. Felin. in. c. si autem. de rescrip. Decius in. c. licet causam. de probatio. Hippoly. con. 56. Ergo nullo pacto tenetur hereticus bona sua offerre fisco, antequam aut fiscus petat, aut iudex eum condemnet.

39 ¶ Comprobari possunt isthæc innumeris ferè exemplis, quorū paucula, verbi gratia, subijciam. Hæres qui non facit inuentariū, eo ipso debitis hæreditarijs omnino tenetur. l. vlti. §. si vnquam. C. de iur. deliberan. & tamè vera & recēpta sententia est, quòd in conscientia non tenetur vltra vires hæreditarias. Philip. Corn. ibidem, post Bar. & alios in rubrica de acquiren. hæredit. Sic supplementum legitimæ fit ipso iure. l. scimus. C. de inofficio. testa. si tamen à parte petatur, ut illic habet communis opinio. Sic & compensatio fit ipso iure. l. vlti. C. de compensatio. sed necesse est, ut id petatur. Similiter intelligenda est rescatio, quæ fit per falcidiam ipso iure. l. linea. ad leg. falci. Sic etiam interpretata sunt similia verba in alijs locis relatis per Tiraquel. in. l. si vnquam. C. de reuocan. donatio. parte, reuertatur, nu. 8. & sequenti. Neque aliam iuris veram interpretationem pati possunt eadē verba posita. in. c. cū secundū. de hereti. lib. 6. nisi quòd tunc demū transit in fiscū dominiū, si fiscus petat, & iudex cōdenauerit.

¶ Quinimo

40 ¶ Quinimo non est obligatus ad exequendam pœnam in se ipsum reus, etiam dānatus: sed tantum in conscientia debet iudici exequenti obedire, cui resistere nullo modo licet. Quæ sententia satis probabilis est, eamque nominatim asserunt Adrianus, Caietanus, Decius, & Cobarruias, in locis ante commemoratis. Neque video rationem vrgentem qua facilè subuertiqueat. Nam & iura quæ de confiscatione loquuntur, executionem eius non reo damnato, sed iudicibus ipsis committunt: qui quidem sententia declaratoria nō præcipiunt reo, ut bona deferat fisco, sed publicationē bonorum solummodo à iure factam declarant, vnde noua obligatio induci non videtur.

41 ¶ Iam verò illud contrariæ opinionis fortius fundamentum, quòd hæreticus aliena bona, hoc est fisci, retinere nequeat, ex eo corrui: quia dominium, quod ipso iure in fiscum transit, non est naturale verumque dominium, sed ius quoddam vendicandi atque acquirēdi bona hæreticorum: quæ non ante fisci verè ac perfectè fiunt, quàm vbi præcedente iudicis ecclesiastici sententia, per principes, aut alios rerum dominos, aut per ministros eorū occupantur. c. cum secundum. de hereti. lib. 6. Sunt quidem certi modi acquirendi verum dominium iure inducti, qui ferè omnes naturalē actum ex parte acquirentis requirunt. cuiusmodi sunt apprehensio, traditio, possessio, & similia. l. 1. & sequen. de acquiren. rer. domi. l. traditionibus. C. de pact. Quòd autem per illa verba, ipso iure, verum & naturale dominium transeat sine traditione, aut deprehensione, sine petitione aut sententiā, atque ita transeat, ut possessor bona illa offerre teneatur in conscientia, hoc mihi non probatur, sed neque fit verisimile.

42 ¶ Illud quoque argumentum inefficax est, quòd lex iusta obligat in foro conscientia. nam id verisimū esse fateor: non tamen inde sequitur, quòd hæreticus bona, quæ possidet, in foro illo debeat restituere. Quia lex humana suos limites habet obligandi, & sua media exequendi. obligat quidem (quod sæpe diximus) ad patientiam, ne iudici iustè exequenti resistat reus. obligat in foro conscientia, ut peccator illic seipsum accuset, ac salutarem pœnitentiam subeat. non tamen ita lex obligat, ut omni iuris ordine

dine prætermisso, delinquens, nemine persequente, in propriam substantiam, famam, & honorem, acerbissimum iudicium exercereteneatur: alioqui & seipsum occidere deberet, si delictum commissum poenam mortis legibus mereretur. Quod nemo sanæ mentis concedet.

43 ¶ Vbi quaestionem hanc, pro ingenij mei imbecillitate, ac instituti operis breuitate, qua vidisti serie tractaueram: prodierunt in publicum libri illi eruditissimi, de potestate legis poenalis. editi ab Alfonso à Castro, viro quidem doctrina & religiōe celeberrimo. In quorum posteriori fortissimè impugnat præscriptam sententiam, & vsque adeò vndique vrget, vt tantū non illam subuerterit. Quamobrem coactus sum, eandem solita breuitate repetere. Quatuor igitur succinctè tractabo. Primum, An legislator possit legem condere, qua expressè obliget reum ad magnā aliquam poenam in seipsum exequendam in foro conscientia. Secundum, Esto quòd possit, an id facere expediat. Tertium, Vtrum id voluisse in dubio credendus sit. Quartum, Nunquid iure canonico hæreticus hac obligatione teneatur.

44 ¶ In prima quaestione Alfonso lib. 2. de potestate legis poenalis, cap. 4. multis argumentis contēdit, legillatorem id facere posse. Quod quibusdam legibus veteris testamenti comprobatur: quarum exemplo putat, humanis legibus eadem licere, Sed meo iudicio longè alia causa est diuini legislatoris, & humani. Deus enim in omni foro potest leges condere, homo autem in sua tantum iurisdictione: extra quam (sicuti prædiximus) forū conscientia est. Præterea, leges ab eo citatæ, vel de satisfactione damni dati loquuntur, vel de modica poena offerenda pro remissione peccati: at in quaestione proposita, nullum damnum hæreticus fisco intulit: & omnia bona in meram poenā eidem offerre deberet. Denique iudicialia illa veteris testamenti, non sunt hodie in exemplum nostræ actionis trahenda. c. vlti. 6. distin. & in summa. 15. q. 3. Thom. 1. secundæ. quaestio. 100. Durandus in lib. 4. senten. distin. 1. quaest. 9. & sæpe alibi.

45 ¶ Adeundem modum responderi posset cæteris argumentis, si per otium & breuitatem liceret. Vnde fortassis vera sententia est, legillatorem

legillatorē nō posse talē cōdere legē: tū quia extra suū territoriū id attentaret, tum etiam quia lex huiusmodi, moraliter loquendo, impossibilis esset. Demum, quia (vt paulò ante diximus) cōtrarius naturalis, diuinus, gentium, & ciuile videtur, quòd idem sit sui proditor, accusator, seu delator, & reus, testis, iudex, & exequutor. quippe solus deus est simul testis & iudex. Ieremiæ, cap. 29. neque illa distinctio personarum confundenda est, vt ex patrum decretis probat Gratianus. 4. quaest. 4.

46 ¶ Sed vt demum talem legē fieri posse, Nunquid legislatori quicquid licet, expedit facere? Imò verò multa considerare debet, priusquam legem condat. Verum Alfonso ait posse leges poenales ferri de quacunque re, quæ non sit contra ius naturale, vel diuinum: præsertim si res illa iuuat ad meliorem mandatorum dei obseruationem. Vnde videtur consequi, quòd princeps possit talem legem condere, Quicumque dictis, aut factis odio habuerit amicum vel inimicum, is pro huiusmodi crimine soluere teneatur fisco dimidium patrimonij sui. Ad quam poenam in seipsum exequendam in foro conscientia illum obligamus, & ipso iure damnatum esse declaramus. Ecce legem maximè accommodam ad charitatem seruandam, iuxta primum & maximum dei mandatum, & quæ punit peccatum punitione quantacunque dignum. nil enim æquè odit deus, atque hominem sine charitate, & iniuriarum memorem, vt inquit Chrysostomus super Genesim homilia. 27. At quis hanc legem ferat?

47 ¶ Quòd si talis lex, aut illi similis, condenda non est, quamuis nulli iuri naturali vel diuino repugnet: ergo non expedit, vt legislator quicquid possit facere, id protinus legem esse velit. non sunt itaque condendæ leges, nisi de his rebus, quæ necessariò dirigere oportet, vt pacatus sit status reipublicæ. Legislator, inquit Plato. 9. de legibus, necessitate coactus leges imponit. ipse namque nullum vellet vsum necessitatemque legum vnquam fore. Neque leges optimas expedit condere, sed tantum illas, quæ imperfectæ multitudini quadrēt. alioqui leges perfectissimæ, quia tolerari non possent, pessimæ censerentur, vt rectè docet episcopus Abulen. tracta. de optima politia. nume. 102. Vnde Plato. lib.

lib. 5. de legibus, ait, Illud etiam legislatoribus multi præcipiunt, ut leges huiusmodi ferant, quales multitudo & populus libenter suscipiant. Aristoteles quoque lib. 4. politicorum inquit, Leges omnes ad rempublicam accommodandæ sunt, non autem respublica ad leges.

48 ¶ Neque omnia, quæ praua sunt, legibus puniuntur: sed multa eiusmodi tolerantur. qualia sunt lupanaria, vsuræ semissēs, concubinatus, & alia, quæ iustè interdum dissimulantur, & permittuntur, ut notant interpretes ex textu. in. c. inter opera. de spō. sali. Alex. ab ales. 3. parte summæ. quæstio. 46. Thom. 2. secundæ. quæstio. 10. arti. 11. Driedo. lib. 1. de libertate christiana. cap. 2. pagina. 112. Tiraquel. in. l. 9. connubiali. nu. 2. Alfon. aduersus hæreses, verbo, peccatum. hæresi. 7. Corrafius. lib. 1. miscella. c. 3. Nec singula quæque per leges statuere oportet, ne dum cunctis prouidere intendunt, in omnibus contemnantur. quod lib. 7. de legibus, in prin. Plato notauit. Et Sapiens prouerbiorū cap. 30. ait, Qui vehementer emungit, elicit sanguinem.

49 ¶ Præterea iudex neminem punire debet, nisi accusatum. Quia æqualitas iustitiæ non est, nisi inter duos. ut post Aristote. 5. ethi. explicat. Tho. 2. secundæ, quæst. 63. arti. 3. Quod lumine naturali gentes cognouerunt, sicuti Festus commemorauit actorū. 25. Nec fatigandus est accusatus, si legitimus non fuerit accusator. c. 1. de accusa. Vlpianus quoque inquit, Si quis accusatorem nō habet, ab honoribus prohiberi non debet, quemadmodum neque is, cuius accusator destiterit. l. rescripto. §. si quis. de muner. & honori. Quod & redemptor noster insinuauit, Ioannis. cap. 8. dicens, Nemo te condemnauit mulier? nec ego te condemno. Et Ambrosius super illud prioris epistolæ ad Corinthios, cap. 5. de incestuoso. Iudicis, inquit, non est sine accusatore damnare quæquam. Quia & dominus Iudam, cum fur esset, sciebat: sed quia non est accusatus, minimè abiecit. Planè satis consultum est tranquillitati reipublicæ, si publica & notoria peccata non dissimulentur, & petentibus vindictam, refarciatur iniuria. Nec debent iudices, tanquam hostes, occulta peccata præter ius in publicū traducere, sed ut patres ex charitate corripere, vel dissimulatione præterire

præterire. Sicuti docet Dominicus Soto in relectione de tegēdo secreto. membri secundi. quæstio. 6. dubio. 1.

50 ¶ Hæc autem omnia eò pertinent, ut faciant euidentissimum, non expedire villo pacto fieri legem, qua reus in conscientia teneatur, omnia bona sua non accusatus offerre fisco. nam ad ferendam talem legem, nulla necessitas cogit, neque ea tolerari posset, nec populus illam susciperet, neque est accommodata reipublicæ, quia vehementer emungit. Præterea durissima lex esset, quæ reum in foro conscientia cogeret ad talem executionem, cum tamen leges non debeant esse duræ. l. prospexit. qui & à quib. Quippè difficillimum est, vniuersum patrimonium simul tradere ac perdere, seipsum, statum, & familiam in paupertatē fordidā præcipitare: deniq; sui proditorē, & carnificem esse. nam & iactura omnium bonorum iure mortis æquiparari solet. glo. in. l. aduocati. C. de aduoca. diuerso iudicio. & in. l. illicitas. §. ne tenuis. de offic. præsi. Bartolus, in authenti. de manda. princi. §. patrocinia. Hippoly. in. l. 1. §. præterea. de quæstion. numero. 42. post Baldum in. l. 2. C. de constitutu. pecu.

51 ¶ His adijce, quòd in rebus ciuilibus atque moralibus nimia difficultas impossibilis esse censetur. l. idem iulianus. §. ultimo. de legatis primo. l. continuus. §. illud. de verborum obligationi. Tradunt interpretes. in. l. quòd te mihi. si cert. peta. Vnde sicuti de re impossibili fieri non potest lex aliqua. capitulo. erit autem. quarta distinctione. ita nec de re nimium difficili condenda est. Quod idem Alfonso, capitulo primo eiusdem operis rectè docuit. qualis foret lex illa, quæ in conscientia obligaret ad prædictam executionem. Planè tali lege multò magis illaquearentur hæreticorum animæ, quàm ipsi ab hæresi deterrerentur. nam qui leges dei non formidat, ut hæresim fugiat, is hominum leges in conscientia non reuerbitur, At verò qui ad ecclesiam ab hæresi redire voluerit, si nouerit se teneri ad bonorum omnium restitutionem, is proculdubiò in barathrum desperationis incidet. Nec enim

d fuit

fuit vllus, aut erit vnquam, qui vltro bona sua omnia offerat fisco.

52 ¶ Præterea vix fieri potest, vt hæreticus bona sua omnia fisco restituat, quin seipsum pdat & infamet: ad quæ lex obligare nequit, vt ipse Alfonso rectè fatetur, libro illo secundo. ca. 11. Nec satisfacere videtur ab eo data responsio, scilicet, quòd hæreticus diligentissimè debeat inquirere, qua via bona omnia restituat sine infamia: nam & id longè dissimile est ab exemplo furis, quo ibidem vtitur. & præterea vix casus eiusmodi contingere poterit. Leges autem ad ea, quæ frequentius accidunt, aptari debent, non ad ea quæ perrarò eueniunt. l. nam ad ea. de legibus. Et iuxta Ciceronis sententiam, ea quæ sunt in vsu, vitaque communi, non ea quæ finguntur, aut optantur, spectanda sunt in materia morali.

53 ¶ Ad extremum ex legis prædictæ obligatione sequitur aliud nimis durum (ne dicam absurdum) quòd hæreticus, qui in abscondito, vel submurmurans protulit hæresim, quantumuis occultam, statim teneretur ad restitutionem omnium bonorum suorum fisco faciendam. Quod idem Alfonso asserit lib. 2. de iusta. hæreti. punitio. cap. 6. & rursus libro posteriori de potestate. legis poena. cap. 15. quia talis hæreticus, iuxta veriorem sententiam, confestim incidit in excommunicationem, & alias poenas iure statutas. Quæ omnia quàm sint intolerabilia, nemo est qui non planè intelligat. Concludimus ergo ex ante dictis omnibus, quòd vel talis lex fieri non potest, vel certè nullo modo fieri debet.

54 ¶ Vnde tertium, quod proposuimus, facilè resoluetur: nempe in dubio non esse præsumendum, aut interpretandum, quòd legislator voluerit obligare reum ad poenam omnium bonorum in seipsum pro fisco exequendam. quia nunquam legislator cõsensus est velle, nisi quòd possibile, iustum, bonum, & æquum fuerit. l. ex facto. de vulga. & pupilla. vbi notant interpretes. Et Roma. consilio. 320. Lupus in rubrica de donatio. inter virum & vxorem §. 7.

¶ Superest,

55 ¶ Superest, vt postremum illud tractemus, An iure canonico expressim & apertè probetur, hæreticum supra scripta obligatione teneri. Quod magis Alfonso videtur ex decisione. tex. in. c. cum secundum leges. de hæreti. lib. 6. Sed videamus, An id illic euidenter probetur his verbis, bona hæreticorum ipso iure decernimus confiscata. Sanè hic nil explicatur de exequutione faciendâ ab hæretico in foro conscientiæ, nec in dubio verba in eâ sententiam trahenda sunt. Adde, quòd melius est, vt verba improprie accipiãtur, imò etiam vt nil operentur, quàm quòd operentur absurdum. not. glo. in. c. paratus. 23. quæstio. 1. Et in. l. vltima §. in computatione. C. de iure. deliberan. Et illic Alexand. nume. 10. Et Corneus. nume. 9. Decius. consil. 374. Ioan. de monte Sperelo. in. l. 1. de eo quòd cert. loco. melius Gozadinus. consil. 88. nume. 9. Ruinus. consil. 60. lib. 5. Aymo. consil. 70. Ripa. in. l. ex facto. de vulga. & pupilla. nu. 9. & Salomonius. in. l. gallus §. & quid si tantum. de libe. & posthu. nume. 2.

56 ¶ Multa verò absurda (vt prædiximus) consequerentur, si ex illis verbis talem sensum extorqueremus. Præterea, verba hæc, ipso iure, non tantam vim habent, quantam iuris periti vulgò putant. nam, ipsum ius, per antonomasiam iurisconsulti appellare solent, ius illud antiquissimum duodecim tabularum. nil ergo aliud proprie significant verba, ipso iure, quàm legibus duodecim tabularum. vnde Caius, Inter fideiussores non ipso iure diuiditur obligatio, sed ex epistola diui Adriani. l. inter. de fideiussio. Vlpianus, Seruitutes quoque prætorio iure cõstituuntur, & ipse ad exemplum earum, quæ ipso iure constitutæ sunt. l. 1. & vlti. de superficiebus. Idem quoque alibi ait, Siue ipso iure quis vsufructum habeat, siue etiam per tuitionem prætoris. l. si vsus fructus §. illud. vsufructua. quemadmodum caue. Et iterum inquit, Satis ipso iure munitus est. Et paulò post, Non enim ipso iure, sed per conditionem munita est. l. in causâ. 2. de mino. Et rursus, Valebit per tuitionem prætoris, non ipso iure. l. 1. quod falso. tut. aut. Item Pau. in. l. post legatū. de his quib. vt indig. Demum Iustinianus ait, Oēs actiões aut ipso iure cõpetunt, aut à prætore datur §. 1. inst. de perpe. & tépora. actio. Quibus alijsq; similibus

d ij locis

locis euidenter probatur, horum verborum germanam intelligentiam parum obstare nostrae sententiae, quem verissimum sensum notauit Francisc. Duarenus. in. l. in actionibus. de in lit. iuran. nume. 15.

57 ¶ Sed quia significatio haec, nullo modo quadrare potest illi textui. c. cum secundum leges. idcirco nouisse oportet, alium quoque sensum horum verborum inueniri, scilicet, vt eisdem intelligamus vim alicuius constitutionis, mox & sine hominis ministerio operantis. Quo sensu ea dixisse videtur Vlpianus in. l. 3. §. sciendum. & in. l. cum hic status. de donatio. inter virum & vxorem. & in. l. 1. de curato. furio. in. l. graece §. 1. de fideius. Caius in. l. in suis. de suis & legiti. haere. Martianus in. l. qui decem. de solutio. quam intelligentiam Ioan. Corrafi. perpendit in. l. seruitutes ipso quidem iure. de seruitu. numero. 26. & ad hunc sensum exaudienda est praedicta constitutio, de bonis haereticorum ipso iure publicatis.

58 ¶ Quorum verborum intelligentia nil aliud significare videtur, nisi quod bona haereticorum per decretum illud confiscantur. Adde etiam, si libet, statim, a die commissi criminis, sine aliquo hominis ministerio. his enim omnibus nil exprimitur de restitutione, vel executione ab haeretico facienda in foro conscientiae: nec in dubio talis interpretatio sumenda est. Verum Alfonsus lib. 2. de potesta. legis poena. cap. 10. opinionem suam inde necessario consequi ait. nam si dominium bonorum est fisci, manifeste relinquitur, quod in foro conscientiae debent fisco bona illa restitui. Huic argumentum iam olim responderam §. 41. neque video solutiones illas plene subuersas esse.

59 ¶ Caeterum, quia hoc fundamento praedicta opinio potissimum sustinetur, non ab re fuerit, alijs quoque machinis illud subuertere. ac Primum, quod in iure inueniatur dominium quoddam improprium & irregulare apud aliquem, & earundem rerum verum & naturale dominium sit apud alium, eodem tempore, & vtrunque sit iustum, euidenter probatur in seruo dotali, in quo maritus habet ciuile, impropriumque dominium, efficax tamen ad alienandum eundem. l. 3. C. de iure. dot. l. doce ancillam.

cillam. C. de rei vendica. & tamen idem seruus est in dominio proprio & naturali vxoris. l. in rebus. C. de iure dot. l. 1. §. si vir. ad fillania. vbi Igneus id subtiliter diserit.

60 ¶ Praeterea dominus rei saepe in iure dicitur, qui ius habet ad rem consequendam, propterea quod, iuxta sententiam iurisconsulti, Qui actionem habet ad rem recuperandam, ipsam rem habere videatur. l. qui actionem. de regul. iur. vnde meum, pro mihi debito, inuenies in. l. qui autem §. apud labeonem. de his que in frau. credito. in. l. 1. in fine. de eo quod cert. loco. in. l. vt mihi donares. de dona. in. l. si & me & Titium. si cert. peta. in. l. 1. quod cum eo. in. l. si pecuniam. C. de negot. gest. in. l. si fratres §. idem respondit. 2. pro socio. docet Roma. confi. 195, & iterum confi. 201. Zasius contra Petrum Stelam, & alij.

61 ¶ Cum ergo iureconsulti, qui sermonis proprietatem studiosè obseruarunt, in varios sensus ea verba posuerint, mirum non est, si Romanus pontifex, qui decernit bona haereticorum ipso iure confiscata esse, nil aliud illic significauerit, quam ius & actionem competere fisco ad bona haereticorum petenda, & occupanda, vnde verum dominium in fiscum translatum non sit. Adde, quod nil aliud est confiscare, quam fisco applicare. vnde bona dicuntur ipso iure confiscata, quae fisco per legem delata sunt, & quae ad fiscum pertinent. quo sensu videntur haec verba posita in. l. 1. de iur. fisci.

62 ¶ Quae si vera sunt, facile refellunt potissimum illud fundamentum contrariae opinionis, quo pretenditur, bona praedicta restitui debere fisco eorum domino. nam & si dominium aliquod imaginemur in fisco, id improprium vt sit, necesse est, cum tamen verum & naturale dominium nihilominus haereticus habeat: eo accedente, quod naturale directumque dominium per actus corporales, possessionem, traditionem, & deprehensionem acquiritur: non autem nudis pactis, aut nuda legum dispositione. l. 1. de acquiren. posse. l. traditionibus. C. de pact.

63 ¶ Hinc etiam enervari posse videtur aliud Alfonsi argumentum, quo sic instat. Vbi aliquid generaliter prohibetur alicui, quod expressè non conceditur, intelligitur denegatum. clem. exiij. §. d. iij. de inde

deinde. de verbo. significatio. at iure diuino prohibitum est retinere alienum, domino inuito, ergo haereticus tenetur in conscientia restituere bona fisco: quando quidem expressè non est ei concessum ea retinere. Huic, inquam, argumento facile respondetur, quòd fiscus non est verus dominus talium bonorum, sed ipsemet haereticus: qui iure naturali, diuino, gentium, & ciuili, dominiū eorū retinet, nec iure canonico expressim ab eo est ablatū.

64 ¶ Deinde petit legem, qua haereticus nominatim bonorum retentione concedatur. Sed è regione possemus legem quoque petere, quæ nūcupatim retentionem prohibeat, vel ad executionem reum obliget. Ceterum & si lege illud nō inueniatur expressum, fortassis non deerunt argumenta vrgentia. nam ei qui est in reatu, hoc est in statu & conditione reorum, quamuis accusatus fuerit de tali crimine, pro quo bona omnia publicantur, nihilominus lex eidem expressim permittit, vt interim bona sua administrare possit. l. aufertur §. in reatu. de iur. fisci. l. reo. de solutio. & vtrouique notatur. Pari ergo ratione videtur, quòd haereticus nō dum accusato lex permittat retentionem, à quo nec possessionē nec administrationem aufert.

65 ¶ His adijce, quòd id ipsum satis videtur significari. in. c. cum secundum §. confiscationis. de haereti. lib. 6. Cui tamen ingeniosè respondet Alfonso, quòd illic prohibetur occupatio bonorum, sed non conceditur haereticus retentione. nec enim sequitur necessariò, haereticum retinere posse ante sententiam, propterea quòd fiscus bona occupare ante illud tempus nequeat. Nam & multi antequam condemnentur, debent in conscientia restituere aliqua, quæ ab eis perpetuò, vel ad tempus per leges peti non possunt. Quid, quòd fiscus ante declarationem iudicis ecclesiastici prohibetur capere bona haeretici, quia non est secularis iudex cōpetens, vt de tali crimine cognoscat: vnde ratio diuersa est restitutionis, & occupationis.

66 ¶ Quæ quamuis vera sint, nihilominus tamen euidenter innuere videntur, non ante bona haereticorum pleno iure ad fiscū pertinere, quàm per iudicem ecclesiasticum sententia super haeresi pronunciata fuerit, ac proinde interim haereticos ea retinere posse

se: cum & titulum habeant, & possessionem, & naturale dominiū: quibus & hoc accedit, quòd fortassis pōtifex summus nō tantam habet potestatem in laicos tēporali iurisdictioni eius non subditos, vt dominiū bonorum ab eis auferre queat. & prius quàm accusentur, vel damnentur, iam secularis fisci vsque adeò sint, vt ab ipsis haereticis protinus restitui debeant. in quo tamen amplius deliberandum cenfeo.

67 ¶ Secundum principale argumentum illius opinionis tale est. Post sententiam declaratoriam commissi criminis, haereticus tenetur in conscientia bona omnia tradere fisco, ergo & ante sententiam tenebatur. Assumptū probatur in dicto §. confiscationis. vbi tantum exigitur sententia de crimine, non autem de pœna. Consequētia ex eo vera videtur, quia sententia declaratoria nō inducit nouam obligationem. Item conuertitur argumentum ex ratione illius tex. quæ non alia est, nisi vt constet per sententiā declaratoriam crimen esse commissum. ergo cū haereticus sit hoc notissimum, frustra sententiam spectabit ad faciendam restitutionem. eo accedente, quòd iuxta Dominici & quorundam opinionem, talis sententia necessaria non est in crimine notorio.

68 ¶ His tamen (ni fallor) facile responderi potest. nam quòd haereticus post sententiam declaratoriam nō teneatur in conscientia tradere bona fisco nisi petantur ab eo, sententiā probabilis est, non solum Caietani, sed & aliorum, quos supra retuli. Nec probatur contrarium in prædicto §. confiscationis. Quia non tantum ibidem sententia declaratoria exigitur de solo crimine, sed etiam de pœna. inquit enim tex. sententiam super crimine promulgandam esse. quod sic exaudiri debet, vt reus declaret haereticus, & incidisse in pœnas iure statutas, in quibus per eandem sententiā condemnandus est. & ita obseruari constat, ex his quæ de sententijs alio loco scripsi. Nec valet sententia diffinitiuā, quæ condemnationem, vel absolutionem nō continet. l. i. de re iudi. l. præses. C. de senten. & interlocutio.

69 ¶ Inde manifestè relinquatur, inualidam esse prædictam consequentiam: quia in pœnalibus omnes consentiunt, aliam esse reorum causam, diuersamque rationem ante sententiam, vel post illam

lam. nec mouet ratio assignata ad §. confiscationis, quia meo iudicio longè distat à ratione vera illius textus. nam propterea exigitur sententia, vt ante illam reus accusetur, audiatur, defendatur, & conuincatur: quibus præmissis, ordineque iudicij obseruato, per sententiam iudicis competentis reus vel absoluitur, vel publicè cõdemnetur. neque enim profertur sententia, vt per illam de crimine constet: sed vbi de innocentia vel crimine per acta iudicij constat, tunc sententia proferenda est.

70 ¶ Nec vera esse potest opinatio illa Dominici, de notorio crimine: tum, quòd nullo iure, aut euidenti ratione fulcitur: tum etiã, quia manifestissima crimina egent iudicialibus actis, & sententia iudicis competentis. Porro euidentia patratu sceleris, nõ eget clamore accusatoris, sed tamen eget sententia iudicis. c. euidentia. de accusa. vbi glo. vlt. not. Vnde illud quoque falsum esse conuincitur, quòd propterea reus tenet omnia bona tradere fisco, quia sibi ipsi manifestum est crimen. nõ enim est id quod obligat reũ, sed iudicis iusta sententia super crimine promulgata: quæ quamuis declaratoria sit, applicat tamen pœnam legibus statutam, singulis malefactoribus.

71 ¶ Planè lex pœnalis non aliud esse videtur, quàm generalis quædam sententia principis, dånans omnes, qui in crimen aliquod certum incidunt: quæ quia non condemnat neminatim Luciũ, vel Titium, nec reorum defensiones audit, necesse habet, vt per iudicem custodem legis atque ministrum reus examinetur, & iuris ordine præmissis, damnetur, ac declaretur pœna & sententia legis comprehendendi. Nam quemadmodum generalis sententia iudicis, non designatis certis personis, nullius momenti est. l. in summa. §. 1. de re iudica. §. curare. inst. de actio. sic sententia illa generalis et incerta, qua summus Pontifex condemnat omnes hæreticos, & eorum bona decernit confiscata, nullam vim habere videtur, anteq̃ per iudicem iustè Lucius vel Titius hæretici declarentur, & iuxta decretum illud pro hæresi condemnentur.

72 ¶ His adijce, q̃ non habet lex maiorem potestatem, q̃ princeps: tum, quia Princeps leges ipsas condit. l. 1. de constitu. princi. Tũ etiã, quia ipse est lex viua & animata, cui deus leges humanas subiecit,

subiecit. authè. de consuli. §. vlti. Sed Princeps non potest hæreticum ante damnare, quàm cum hæreticum esse conuincat, præmissa citatione, alijsque iudicialibus actis, legitimisque defensionibus præcedentibus. clem. pastoralis §. vlti. de re iudi. Ergo nec per legem potest hæreticus, aut quiuis alius, sic dånari, vt priusquam de crimine legitime constet, iam sit ipso iure ita condemnatus, vt seipsum p̃dere atque accusare teneatur, & ante iudicis sententiam astrictus sit in conscientia omnia bona offerre fisco.

73 ¶ Præterea, quamuis proprium crimen sit ipsi reo manifestum, non tamen propterea tenetur ad executionem in conscientia, priusquam per iudicem sit iure damnatus. Quemadmodũ nec iudex debet, neque potest, illum reum condemnare, quem scit manifestissime crimine commisisse, nisi tanquam iudici hoc illi cõstiterit, id est, ex fide eorum, quæ probata fuerint ex actis processus, ordine iuris seruato. l. illicitas §. veritas. de offic. præsi. l. prolatam. C. de senten. & interloquutio. c. si peccauerit. cum seq. 2. q. 1. Denique omnes pœnæ legibus statutæ publicis accusatiõibus, publicis actis, & sententijs, item publicis egent executionibus: nihilque aliud legislatores suis legibus aut præcipiunt, aut intendunt. Et hætenus de secundo argumento satis & super.

74 ¶ Tertium principale argumentum nil meo iudicio vrget, idèò breuiter illud discutimus. argumentum autè tale est, Si per euidentiam rei constaret fisco, Titium hæreticum esse, & ob id bona, eo inuito, ante sententiam occuparet, non teneretur ea restituere illi: ergo Titius antequã fiscus capiat, tenet illi reddere. Consequentia est manifesta, quia fiscus dominus est illorum bonorum, & eo inuito, Titius illa possidebat: ergo iustè possidet fiscus bona per vim à Titio capta. Quòd verò non teneatur fiscus ad restitutionem, probatur in. l. quod à quoquã. de reg. iur. Cõfirmatur hoc ex eo, quia in prædicto §. confiscationis. non irritatur executio facta per fiscum ante sententiam. Demum id comprobatur, quia si fiscus ante sententiam vellet per vim capere bona illa, Titius ea iniustè defenderet: igitur spontè debet omnia bona restituere fisco.

75 ¶ His sola negatione satisfactum erit, si ostendere potuerimus, totius

totius argumenti partes falsas esse. Nam quod fiscus eo modo possit per vim capere bona ab haeretico nondum condemnato, id contra ius & æquum est. Quia & si sit aliquis sceleribus implicitus, idcirco tamen iudiciorum vigor, iurisque publici tutela in medio constituta est, ne quisquam sibi ipsi permittere valeat ultionem, neque auctoritate propria vim cuiquam inferat. l. nullus. C. de iudæis. l. 1. & sequen. ad legem. iul. de vi. Est quidem talis possessio temeraria, violenta, & punitione digna. Et ita innumeris legibus, & constitutionibus declaratur.

76 ¶ Deinde, quod fiscus non teneatur illorum bonorum possessionem restituere, falsissimum esse mihi videtur. Cum enim ea possessio violenta sit, & à vero possessore contra ius ablata, consequens est, ut eidem omnino restitui debeat. nam etiam predo spoliatus, confestim restituendus est. Nec obstat restitutioni exceptio proprietatis, quamvis à iudice fuerit spoliatus iuris ordine prætermisso. c. 1. c. in litteris. c. conquerente. de resti. spol. Et quavis fiscus verus dominus esset illorum bonorum, nihilominus tamen priuare non potuit ante tempus verum possessorem auctoritate propria magno commodo suæ possessionis: cuius emolumentum ratione tenebitur spoliato ad restitutionem & retinendam. inst. de interdictis & s. plus autem. de actio. c. peccatum. de reg. iur. lib. 6.

77 ¶ Nec obstat. l. quod à quoquam. de regul. iur. quia nil minus illic agitur, quam de violenta spoliatione. Verba legis hæc sunt, Quod à quoquam poenæ nomine exactum est, id eidem restituere nemo cogitur. Ecce tex. loquentem de iusta exactione, non autem de violenta occupatione. Siquidem exigere, est instituta actione petere. l. exigere dotem. de iudic. l. 1. §. exactio. C. de rei vxor. actio. not. Alciatus. in. l. transacta. de verbo. significa. Quod si prædicta lex de violenta occupatione intelligeretur, iam unicuique liceret, auctoritate propria poenas extorquere. Quo, quid absurdius, aut periculosius dici potest? Quod verò Decius, & Motanus ibidem aiunt, legem illam locum habere in foro conscientiae, nil ante dictis repugnat: sed aduersus quosdam iuris interpretes loquuti sunt, qui falso putabant, poenam salua conscientia nec exigi, nec retineri posse: qui decepti fuerant ex praua intelligentia text. in. c. fraternitas.

fraternitas. 12. q. 2. Quos rectè coarguit Fortunius noster. lib. de ultimo sine. illatione. 18.

78 ¶ Præterea illud argumentum confunditur in §. confiscationis. vbi prohibetur expressim, confiscationis executio ante sententiæ prolationem. Nec prodest quicquam, quod illic non sint nominatim posita verba irritantia executionem: quia sat est prohibitum esse aliquid per legem, ut in contrarium facta, irrita sint, quamvis legislator verbis irritantibus non fuerit usus. Quod nuncupatim deceditur in. l. non dubium. C. de legib. Quid, quod is qui violenter occupatum, vel quod sibi debetur, eo ipso dominium, & ius crediti amittit. l. extat, quod met. causa. l. si quis in tantam. C. unde vi. Ad extremum haereticus non damnatus possessionem iure defendet. Nec Innocen. & Bal. ab Alfonso citati executionem contra iuris ordinem permittere potuerunt, sed aut loquuti sunt de mera executione, quæ post sententiã legitimè fieri solet, aut euidenter errarunt.

79 ¶ Quartum principale argumentum (ni fallor) alijs debilius est. supponit enim, fiscum posse clanculum auferre ab haeretico bona omnia in compensationem sui debiti, idque ante sententiã, quamvis hæresis testibus probari nequeat. Quod his, quæ paulò ante diximus, plurimum aduersatur, confunditurque per §. confiscationis. vbi prohibetur talis occupatio. Præterea æquè iniusta est clandestina, atque violenta occupatio. l. 1. §. denique. quod vi aut clam. c. item cum quis. de restitutio. spolia. Deinde probabilius est, verum & naturale dominium illorum bonorum apud haereticum esse usque ad sententiã, ut antea retuli. Demum ab haeretico inuito non possunt bona per fiscum exigere ante sententiã. ergo ante illam verus & purus debitor non est. l. debitor. de verbo. significa.

80 ¶ Quintum argumentum probare nititur, iniustam esse possessionem haeretici, etiam ante sententiã, quia nullo iure aut iusto titulo retinetur ab eo. Sed è regione probabilius esse fortassè probauimus, hunc lege naturali, gentium, & ciuili, usque ad sententiã verum dominum esse, ac proinde iustum possessorem. Præterea titulus iustæ possessionis ab haeretico non aufertur ante

te sententiam, nec ipse definit corpore aut animo possidere: igitur verè ac iustè possidet, neque lex vlla est, quæ talem possessionem improbet. Quinimo pontifex ipse, qui hæreticorum bona decernit confiscata, possessionem tamen eorum non tantum relinquithæreticis, verumetiam vsque ad sententiam tuetur, atque defendit illam, prohibens nominatim, ne prius occupetur à fisco, quam sit promulgata §. confiscationis.

81 ¶ Sextum & vltimum argumentum eo tendit, vt suadeat hæreticum à die commissi criminis nullum habere dominium: nam hæredes hæretici conueniri possunt à fisco, etiam si fuerit mortuus hæreticus ante criminis accusationem. c. accusatus §. in eo. de hæreti. lib. 6. Quòd si hæreticus verum dominium haberet, transmisisset illud in hæredem: à quo auelli non posset sine propria culpa, vera, vel præsumpta: sed omni culpa hæredis cessante auferuntur ab eo talia bona, ergo verum dominium nec hæreticus habuit, nec ad hæredes transmisit. Huius argumenti vires facile intelligit, qui vulgare hoc iuris nouit principium: hæredes representare personam defuncti, & ex contractibus eorum teneri, etiam vbi vires hæreditatis excederent. l. vlti. C. de iur. deliberan. Item eosdem ex delictis defunctorum teneri, si lis fuerit cepta cum defuncto, vel pœna ipso iure imposita, vel ex maleficio aliquid ad eos peruenerit: quibus casibus nihilominus defunctus verum dominium habuit, & ad hæredes illud transmisit, & ab eis auferitur sine culpa sua. l. 1. C. ex delict. defuncto. c. à nobis. 2. de senten. excommu. & vtrobique, ac sæpe alibi traditur.

82 ¶ Ad postremum Alfonso. cap. 10. alterius libri de potestate legis pœnalis. citat suæ opiniõis assertores quosdam, scilicet, Abb. & Felin. in. c. 1. de constitu. Paul. de Cast. in. l. 1. §. ad bestias. de postulan. Angel. in. authen. de incest. nup. Andr. Sicul. in. c. Rainal. de testa. Corset. in. singula. Maineri. in. l. quod à quoquam. de regul. iur. Quibus & illos addere poteris, quorū supra meminimus §. 27. Sed contra hos pugnant agmina ingentia theologiæ, ac iuris peritorum, quorum catalogum recensere, longum esset, ac sine fructu. Sat fuerit scire hanc esse communem, & ab omnibus ferè approbatam, atque receptam sententiam. Quam ego libens

bens amplector: quia mitior, & benignior est. at ex diuerso contraria opinatio durissima est, ac desperationi proxima. ea enim pœna hæreticis pœnitentibus, & redire volentibus grandem difficultatem ingerit: quos & si pontifex summus vellet absolueret, nihilominus tenerentur ad prædictam restitutionem. Quia ius fisco plenè quæsitum, remittere non posset. c. peccatum. de reg. iur. lib. 6. l. 1. §. si quis à principe. ne quid in loco publi. fiat. Pertinacibus autem parum eadem opinio prodest: cū in sua perfidia viuere ac mori parati sint, ac proinde nil minus, quam de tali restitutione cogitare soleant.

83 ¶ Quamobrem sententia nostra sequenda videtur, tametsi argumentorum argutia, vel stricto iuris rigore nimium disputando succuberet. hanc enim equitas dicat ac suggerit, quæ rigori præferenda est. l. 1. §. item Varus. de aqua pluua. arcen. l. si ex duobus. de pecu. l. placet. C. de iudic. & vt eleganter Iulianus ait, Multa in iure ciuili contra strictam rationem disputandi, pro vtilitate cõmuni recepta sunt. l. ita vulneratus §. pe. ad leg. aquili.

84 ¶ Hæc à me sicuti ferè alia omnia perfunctoriè scripta, nec satis præmeditata, nec maturè correctasunt. nam assiduus negotiorū fluctibus penè submersus, importunis litigantium interpellationibus impeditus, & quæ me magis occidunt, prolixis aduocatorum allegationibus fatigatus: vix ea, quæ semel vtcunque dictauerã, relegere, nêdum eliminare potui. Nec dubito, quin in opere præcipitato, plus semel fuerim hallucinatus. Quapropter libentissimè patiar, errata mea, ne cuiquam imponant, à doctioribus corrigi. Vellem tamen, vt ipsi meliora & veriora ederent: quæ paratus equidem sum, cum primis discere, atque illorum sanioribus doctrinis acquiescere, contentus interim, si cui vel in paucis prodesse potuerim.

85 ¶ Ex prædicta sententia infertur, quòd hæreticus absque peccato alienare nequit, oneroso titulo bona fisco delata, ne decipiat contrahentem, quem ignorantem ponit in periculo amittendi rem et pretium, nisi fortè in eo statu res esset, vt cessaret periculū confiscationis. Quod Adrianus, & alij rectè docent. sed tamen potest ex illis bonis alimenta percipere, eademque alienare titu-

lo lucratio, puta donationis, legati, aut alio simili: quia cessat ratio suprascripta. Et hoc nominatim aiunt Siluester. verbo. hæresis. l. q. 8. & Franciscus de Victoria. in relectione de indijs: quibus & ipse subscribo. Tametsi Bal. & quidam alij contrarium tenuisse videntur, vt est apud Tiraquell. in ante dicta parte. reuertatur. nume. 272.

86 ¶ Planè hoc præcedentibus non malè cohæret, quòd successor eius, qui incidit in hæresim, præscribere potest bona illa contra ecclesiam, tempore quadraginta annorum. c. 2. de præscriptio. lib. 6. vnde aperte colligitur, possessionem ipso iure in fiscum nõ transire. quod Ancharra. notauit in. c. cum secundum. de hæreti. lib. 6. post glo. in. l. vlti. C. de sacrosan. eccl. & Bar. in. l. commissa. de publica. & vetiga. nam sine possessione præscriptio non procedit. vt est regula iuris vulgata. Et idem tempus sufficit contra fiscum. Quamuis aliud statutum videatur in prima instructione Hispalensi. cap. 20. sed id abrogatum est per tertiã instructionem Vallifolitanam. cap. 1. vbi ad ius commune hoc reducitur alijs instructionibus sublatis. De quo videndi sunt interpretes in dicto. cap. 2. Abb. & Felin. in. c. cum nobis. de præscriptio. & Põzini. de Lamijs. nume. 76. Bar. in. l. in omnibus. de diuers. & tempora. præscriptio.

87 ¶ Vxor constante matrimonio nõdum potest perdere dotem, si in hæresim incidat. l. quinque legibus. de bonis damna. l. 3. §. proinde. de mino. sed etiam partem bonorum quæditorum, quæ moribus & legibus Hispaniæ communia sunt inter cõiuges. Et hoc nuncupatim decisum est in. l. regia. taurina. 78. Sed probabiliter ambigi potest, Nunquid maritus alienare queat bona illa quæ sita constante matrimonio pro parte ad vxorem pertinente, ab eo tempore, quo illa hæretica facta est, vsque ad sententiam declaratoriam? Et prima facie videbatur, id nullo iure fieri posse: quando quidem à die commissi criminis bona vxoris ad fiscum pertineant, vt sæpe in præcedentibus diximus. Quod quidem omnino dubio caret, cum alienat maritus in fraudem fiscali, vt puta, si sciat vxorem hæreticam esse. argumento. l. 1. & sequen. quæ in fraud. credito. & l. 1. si quid in fraud. patro. & eorum, quæ diffusè traduntur

duntur in §. item si quis in fraudem. inst. de actionibus.

88 ¶ Sed omni fraude cessante, maritus potest liberè bona illa, constante matrimonio quæ sita, in scia, & inuita vxore alienare. vt est signanter decisum per legem regiam, quæ vltima est, sub titu. 4. lib. 5. ordina. Quo iure, ac facultate, vir priuandus non est, vsque ad sententiam diffinitiuam. Quod mihi satis suadet alia taurina lex regia. 77. quæ considerat augmentum talium bonorum, vsque ad sententiam declaratoriam: etiam vbi poena confiscatiõis ipso iure statuta est. sequitur ergo, quòd interim vir ea bona administrat, ac proinde bona fide minui possunt, sicut augeri. l. secundum naturam. de regu. iur. l. 1. §. pro secundo. C. de cadu. tol.

89 ¶ Maius tamen dubium in eo vertitur, An fiscus fraudem probare teneatur, an potius maritus bonam fidem? quam equidem in dubio præsumendam puto. l. penul. C. de euictio. Ripa. in. c. cõ ecclesia. de caus. possel. & proprie. nume. 98. Alciatus. lib. 3. præsumptionum. c. 5. Quid quòd vir alienas, dat operam rei permiffæ, ac iure suo vtitur, proinde nemini facit iniuriam. l. iniuriarum §. 1. de iniurijs. Neque est cur aduersus eum præsumatur, nã vt eleganter Vlpianus ait, sanè plerunque credendum est, eum qui partis dominus est, iure potiùs suo vti, quàm furti consilium inire. l. merito. pro socio. quippe dolus & fraus non præsumuntur, sed potiùs bonitas & sinceritas. c. 1. de scruti. Alciatus toto ferè libro supradicto. Idcirco regia lex vltima. titu. 4. lib. 5. ordina. onus probandi transfert in eum, qui dixerit, hanc alienationem dolo vel fraude factã. Sub qua regula fiscus quoque includitur. tum, quia in ius vxoris succedit. l. 2. §. ex his. de verbo. obligatum etiam, quia nisi expressim fiscus excipiatur, iure priuatorum vti debet. l. item veniunt §. in priuatorum. de petitio. hæredi. l. 2. & 3. de alimen. & cibari. lega. Decius. in. l. 1. de regul. iur. Tiraquell. de retractu municipalis §. 1. glo. 14. nu. 96.

90 ¶ Et hæc generaliter verba esse existimo, nisi aliud ex circumstantijs negotiorum colligatur, quo fraus iure præsumi queat: tunc enim fortior præsumptio probationis onus in maritum reijciet. l. diuus. de restitui. in integ. c. literas. de præsumptio. Vnde maritus non posset bona prædicta donare, quia licet liberam administrationem

nistracionem habeat, nihilominus donare nequit. l. filiusfamili-
 as. de donatio. donare enim, perdere est. l. cōtra iuris §. si filius.
 de pactis. nec sine causa permittitur viro liberè alienare. regia lex
 206. stili. Et ita nuncupatim asserit Suares. in. l. 1. titu. 3. lib. 3. fori
 legū. versi. vlt. quæro. Cuius sentētia vera est, & in specie p-
 posita minorem dubitationem habet, quia faciliùs fraus præsu-
 mi potest. argu. l. post contractum. de donatio.

91 ¶ Sed & illud in hoc tractatu animaduertendum est, quòd Mo-
 destinus in lege decima de iure fisci scripsit in hæc verba, Nō pu-
 to delinquere eum, qui in dubijs quæstionibus contra fiscum fa-
 cilè responderit. nam quoties fiscus de lucro confiscationis cer-
 tat, aduersus illum est in dubio iudicandum. Quo casu respon-
 sum illud Modestini plerique exaudiendum putant. in. l. 1. solu-
 mat. scilicet, Cumanus, Alex. Socinus, Bulgarinus, Ias. Ripa, Za-
 sius, & alij. quibus accedunt Ange. in. l. sciendum. de appellatio.
 recip. Felin. in. c. pastoralis. de rescript. Decius. in. c. ex literis. de
 probatio. Cuius ea ratio est viua & spirans, quam Tullius officio-
 rum. 2. generaliter signauit, hoc verborum tenore, Non vno mo-
 do in disparibus causis affecti esse debemus. Alia causa est eius,
 qui calamitate premitur, & eius, qui res meliores quærit, nullis
 suis rebus aduersis. Propensior, inquit, benignitas esse debet in
 calamitosos, nisi fortè erūt digni calamitate. Cui ferè simile est,
 quod inuenies in. l. vlt. C. de codicil. & in. l. fi. C. de acquir. pos.

92 ¶ Quinimo probabile est, quòd semper in dubio contra fiscum
 debeat iudicari, tametsi de lucro non tractet. nam & Modestinus
 generalius loquitur. Et Plinius in panegyrico ad Traianum ait,
nunquam esse malā fisci causam, nisi sub bono principe. est enim
 fiscus lieni similis, quo crescente, reliqui artus tabescunt. Et ita
 docet Alciatus. lib. 3. præsumptionum. capit. 41. Et iterum lib. 8.
 parergon iuris. cap. 6. Cōferunt quæ scripta sunt in. l. vlt. de bonis
 damna. in. l. 1. de interdict. & relega. & in. l. 1. ad finem. C. de ca-
 du. tollen. et alia, quæ contra fiscum colligunt Guillel. Benedic.
 in. c. Rainuntius. parte, mortuo itaque. r. nu. 142. & Franci. Ripa.
 in. c. inter cæteras. de rescrip. numc. 64.

93 ¶ Quæstio quædam se mihi offert, quam diligentius tractare in-
 tendo

tendo, in gratiam conciuuium meorum. nam frequenter ex facto
 agitata est Cordubæ, vbi mihi natalis patria est. Euenit sæpe ali-
 quos illic matrimonium contrahere, ac postea in aliam vrbem
 domicilium transferre, vel contra. Posthæc, alter coniugū in hæ-
 resim incidisse deprehenditur. Dubium est in confiscandis bo-
 nis quesitis constante matrimonio, vtrius loci consuetudo inspi-
 ci debeat, contractus ne matrimonij, an potius domicilij? Mo-
 uet dubitationem, quia vt verè testatur Ioannes Lupus in rubri-
 ca. de donatio. inter virum & vxorem §. 60. Cordubæ, non diui-
 duntur inter cōiuges bona quesita cōstante matrimonio, prout
 in tota ferè Hispania communia sunt, sed solis acquirentibus ce-
 dunt. Dubium insuper augetur, lege quadam regia, quæ prima
 facie videtur iuri communi contraria. statuit enim, quo ad lu-
 cra prædicta, semper inspiciendam esse consuetudinem loci con-
 tractus matrimonij, non autem domicilij.

94 ¶ Verum, disputatione omiſsa, quidam casus seorsim confide-
 randi videntur, quorum primus, & indubitatus est. Quan-
 do in contractu matrimonij pacta conuenta expressim fiunt
 de bonis illis, siue huic, siue illi, siue vtrique coniugum, in to-
 to aut parte querendis. nam conuentiones huiusmodi non
 sunt contra leges aut bonos mores, sed magis legibus ipsis com-
 probantur. Quapropter seruandæ sunt, reiecta distinctione lo-
 corum & consuetudinum. capi. 1. de sponsa. vbi hæc notant An-
 tonius, Felinus, & cæteri, capitulo primo. de filiis natis ex matri-
 mo. ad morga. contra. lib. feudorum. Et nuncupatim decidi-
 tur regia lege. 24. titulo. 11. parte. 4. De quo multa scripse-
 runt Alexander consilio. 150. lib. 2. & iterum consilio. 87. lib.
 6. Guillelmus Benedictus. in cap. Rainuntius. de testa. parte,
 duas habens filias. numero. 197. noster Suares. in. l. 1. titulo. 3.
 libro. 3. fori legum. limitatione prima & sexta. Decius in. l. pa-
 ctum, quod dotali. C. de pact. numero. 10. & consilio. 225. &
 iterum consilio. 402. Et rursus consilijs. 578. & .655. Gozadi-
 nus consilio. 87. & Boherius decisione. 204.

95 ¶ Alia species est, cū cessantibus pactis conuentis, locorū cōsuetu-
 dines variant: quo casu semper consideranda videtur cōsuetudo
 e loci

loci, vbi matrimonium fuit contractum, & iuxta illam lucra prædicta distribuenda, & addicenda forent, ex generalitate illius regiae legis. 24. titu. 11. parte. 4. Et ita fuisse pluries iudicatum, testis est Ioannes Lupus. in rubrica de donatio. inter virū & vxorem. §. 55. nume. 12. & iterum §. 62. prope finem. Verum quia saepe aliud obseruatum est, ac secundum varietatem casuum diuersimodè iudicatum, ideò amplius deliberandum cenfeo. Cæterum hæc sententia tunc vera esse videtur, cum lucra facta fuere in loco contractus matrimonij. nam etsi postea in alium locū migrantes cōiuges, domicilium constituerint, nihilominus tamen consideranda est consuetudo prioris loci.

96 ¶ Sed prædictis obstare videtur lex. exigere dotem. de iudicijs. vbi deciditur, inspiciendum esse locū domicilij mariti, non autem locum, vbi instrumentum dotale conscriptum est, & iuxta communem intelligentiam, neque locum contractus matrimonij. Sed cum leges septipartite perrarò iuri communi aduersentur, nunc videndum est, qua via in proposita specie cōcilientur. Et quidem in promptu est intellectus passim receptus, quo interpretes aiunt, speciale esse in contractu matrimonij, vt exactio dotis fiat in loco domicilij mariti: quia illuc videntur coniuges destinasse solutionem, vbi mulier, virum sequutura, forum forti ri debet. l. cum quædam. de iurisditio. omni. iudi. at prædicta regiae lex, alio tēdit: nempè ad eam diuisionem lucrorū, quorū ante meminimus: in quibus alia, atque alia consideratio facienda est. Et ita omnes ferè commentatores intelligunt legem. exigere dotem. super illum tex. & in. l. 1. C. de summa trinita. Archidia. & Præpo. in cap. illud. distinctio. 12. Ioannes And. Antonius, Abb. Baldus, & Felinus. numero. 24. in capi. 1. de sponsa. Siculus consilio. 4. lib. 2. Alexander, qui asserit hanc esse communem intelligentiam consilio. 129. & iterum consilio. 155. libro septimo. & Iason. in. l. qui certo loco. de conditio. indebiti. idem ait Decius tribus consilijs. 19. & 283. & 402. Et Tiraquellus. post leges connubiales. numero. 46. dicens, nullum vnquam de hoc dubitasse.

97 ¶ Alio quoq; modo cōcordari possunt iura supra scripta. s. quòd regia

regia lex tunc procedat, cum celebratum est matrimonium animo permanēdi in loco contractus: ius verò commune loquatur, quando maritus contraxit vt aduena, & statim redijt in locū habitationis suæ: quo casu considerari magis debet viri domiciliū, quàm contractus matrimonij. Quam concordiam suadere nititur Roderi. Suares. in. l. 1. titu. 3. lib. 3. fori legum. limitatio. 6. Cui fauet ratio similitudinis eius, qui contraxit cum aduena, quem sciuit confestim recessurum: is enim videtur destinasse contractus exequutionem in locum domicilij talis aduena. l. hæres absens §. proinde. de iudi. Accedit etiam prædictis vulgaris illa regula, qua traditur, ea quæ obiter & casu fiunt, non esse in cōsideratione. l. si ita legatum. de lega. 3. l. nihil interest. de capti. Oldra. con. 248. Ancharra. confi. 90. Alex. con. 216. lib. 7. Felin. in. c. rodolphus. de rescript. & in. c. quoniã. de offic. ordina. Decius. con. 472. & iterum con. 523. Ripa. in tractatu. de peste. titu. de priuilegijs contractuum. nume. 180.

98 ¶ Conuestiri potest hæc sententia, ex eo, quòd pluribus placet, et verum est, quòd lex illa, exigere dotem. non procedit, cum vir transit in domicilium vxoris, & suum relinquit: tunc enim domicilium nouum consideratur, non autem locus contractus, aut habitationis illius temporis. Hoc aiunt vno ore Ioan. And. Imo. & Felin. nume. 26. in. c. 1. de sponsa. Bal. in. l. vlti. C. si à non competen. iudice. & alibi Angelus. & Cremen. Ias. in. l. cum quædam. de iurisditio. omni. iudic. Barba. consilio. 4. lib. 2. Decius consilio. 283. Hippolytus. singula. 267. Purpura. in. l. 1. C. de summa trinita. numero. 120. Casse. in consuetudinibus Burgundiæ, rubrica. 4. §. 2. colum. 8. Tiraquellus, post leges connubiales. numero. 47. & Hieronymus Gratus, qui est aduendus. consilio. 113. lib. 2. Et iuxta cōsiderationem hanc, videtur intellexisse regiam illam legem Ioannes Lupus in rubrica de donatio. inter virum & vxorem. §. 55. & quamuis generalia sint verba regiae legis, non tamen est nouum, vt posteriores leges per priores declarentur, ac limitentur. l. non est nouum. l. sed & posteriores. de legibus. Romanus consilio. 345. Alexander consil. 123. lib. 4. & Corneus consil. 172. lib. 4.

99 ¶ Haecenus de concordia iuris communis & legis Hispaniae diximus, Nunc videndum est, utrum semper considerari debeat locus matrimonij, vel domicilij, an potius quod attinet ad lucra diuidenda & confiscanda, consideranda sit consuetudo, aut lex vigens in loco, vbi lucra facta & acquisita sunt? Quod magis tenendum videtur: quia lex aut consuetudo non extenditur extra territorium, maxime vt includat res alibi existentes, vbi contraria vel diuersa lex aut consuetudo seruetur. cap. illa. 12. distinctio. l. vltima. de iurisditio, omni. iudic. Deinde consuetudo Hispaniae de lucris inter coniuges diuidendis, est in rem scripta, respicit enim bona illa quesita constante matrimonio, quae coniugibus ex equo acquiruntur. l. 1. & sequ. titul. 3. lib. 3. fori legum. Quo casu considerari debet lex, & consuetudo loci, vbi res ipsae consistunt. Quae sententia multis iuribus aperte probatur, & communi iurisperitorum calculo recepta est. In qua inducuntur sequentia iurifconsultorum responsa. l. forma. §. si vero. de censu. l. pupillo. de tuto. & curato. dat. ab his. l. venditor. §. si constat. commu. praedio. l. titium. §. tutor. de administratio. tuto. l. constitutio. ad municipa. Cōferunt & Caesarum constitutiones in codice Iustiniani. l. an in totum. de aedific. priua. l. vlt. vbi in rem act. l. certa forma. de iur. fisci. & l. 1. de mulieri. & in quo loco. lib. 10. His accedunt quaedam patrum decreta, quae Gratianus collegit. 13. q. 1. c. ecclesias. & rursus. 16. quaest. 1. cap. de decimis. & sequenti.

100 ¶ Sed & iuris interpretes communi consensu hanc sententiam asserunt. in. l. 1. C. de summa. trin. scilicet, Iacob. de Raue. Guillel. Petrus, Cinus, & Barto. nu. 42. Bald. col. 12. Alciatus. in glo. vlti. col. 1. & penul. & hanc ait communem sententiam Alexan. cōfi. 16. lib. 1. & iterum consilio. 44. lib. 5. Socinus. consilio. 288. & rursus consilio. 292. lib. 2. Rubens. consil. 71. Gozadinus. consil. 49. Cirierus. tractatu de primogenitura. lib. 2. quaestione. 7. noster Cobarruias. in. 4. decretalium. parte. 2. capitu. 7. numero. 9. & omnium plenissime Tiraquellus. de iure primogenitorum. quaestione. 46. nume. 2.

101 ¶ Praeterea comprobatur suprascripta sententia ex eo, quod consuetudo Cordubensis videtur odiosa & contra societatem illam diuinam & humanam

humanam domus, quae inter coniuges plenissima & arctissima est. l. 1. de rit. nuptia. l. aduersus. C. de crimi. expila. haeredi. quapropter non videtur extendenda ad bona quesita in alio loco. Est enim hoc generale in quibusuis consuetudinibus odiosis, ex recepta doctrina. in. l. 1. C. de summa. trinit. vbi hoc docet Bar. nu. 32. & post illum Bal. Salice. & ingens agmen. Quod etiam ex facto consulti responderunt Paul. con. 223. Cardi. consi. 2. Alex. consi. 16. lib. 1. Capra. con. 42. Siculus. con. 38. lib. 3. Corneus. con. 115. lib. 2. Decius. consi. 276. & iterum consi. 314.

102 ¶ Postremo ad quaestionem propositam propius accedentes, multi docti viri aiunt, bona quesita constante matrimonio, quae Gallorum quadam consuetudine inter coniuges diuiduntur, diuidenda & addicenda esse, iuxta consuetudinem locorum, in quibus bona illa quesita sunt, etiam si in alijs aut diuersis locis domicilium habeant coniuges, aut alibi matrimonium contraxerint. Et quidem illa Franciae consuetudo, vel est eadem cum nostra, vel certe nostrae simillima. Hanc itaque sententiam tenet Oldra. con. 249. & Ioan. And. ad specu. ti. de instrumento. editio. §. compendiosè. Et item Signorolus. con. 166. Ancha. con. 163. Curtius. senior. con. 43. Casseneus. con. 7. Et in consuetudinibus Burgun. rub. 4. §. 2. col. 8. plenius ac melius Aymo Crauetta. consi. 30.

103 ¶ Sed in contrarium fortiter urget regia illa lex. 24. titu. 11. parte. 4. quae generaliter decidit, considerandam esse consuetudinem loci contractus matrimonij, tametsi coniuges in alium locum postea migrauerint. Et generaliter eam intellexisse videntur Ioannes Lupi, & Suares locis ante commemoratis. Et id auget difficultatem, quia ex praecedente sententia redderetur quodammodo frustratoria decisio legis regiae: quae ociosè meminisset loci contractus matrimonij, cum locus lucri facti fuerit potius considerandus. Adhaec in specie proposita non agimus de consuetudine vi sua extra territorium proroganda, sed de intelligentia legis regiae, hoc in vniuersa ferè Hispania generaliter statuētis. Neque illud verum est, quod supra velut indubitatum assumpsimus, consuetudinem Cordubensem odiosam esse: nam potius consonat, iuri communi, quo quicquid alter ex coniugibus acquirit, sibi soli acquirit.

l. ex pecunia. C. de iur. dot. vnde fauorabilis censenda est, quia redit ad ius antiquū, l. si vnus §. quod & in specie. de pact. & quia in fauorem virorum introducta est, non autem in odium vxorum. Quapropter considerari debet causa potentior, & quæ principaliter intēditur. l. qui exceptionem. de conditio. indebi. Bartol. Pau. & Alexan. in. l. 2. C. quod met. caus. Et speciatim aiunt, contrariam consuetudinem, qua lucra fiunt communia, exorbitantem, & contra ius esse. Ioan. Andre. in cap. 2. de donatio. inter virum & vxorem. Nicola. de Vbal. in tractat. de successio. ab intesta. parte. 4. & Casseneus in consuetudinibus Burgūdię. rubrica 4 §. 2. colum. 2. Vnde etiam videtur consequi, quod consuetudo seu priuilegium Cordubensium, tanquam fauore dignum extendatur ad bona alibi existentia. l. propter litem §. licet. de excusatio. tuto. l. 2. C. eodem titulo. l. magis puto §. illud. de rebus eorum. Roma. consil. 39. Alexand. consil. 41. lib. 5. Capra. consil. 21. Sicul. consil. vltim. lib. 3. Corneus, consil. 222. lib. 4. & est communis & recepta sententia, Decio teste, in. l. vltim. nume. 13. de iurisditio. omn. iudi.

104 ¶ Verum his non obstantibus prior sententia tenēda est: quā, vt audio, vsus etiam comprobauit. Cui non refragatur prædicta lex regia, quæ subtiliùs considerata, magis supradictis concordat. ait enim, inspiciendam esse consuetudinem loci, vbi matrimonium fuit contractum, quo ad lucra, quæ coniuges fecerunt. Hic siste paululum, & attende, quod lex loquitur per verbum præteriti temporis, quod rem perfectam, & certo tempore factā significat. l. 3 §. hæc verba. de negot. gest. Vnde nil aliud mihi lex illa significasse videtur, quàm quod locus contracti matrimonij consideretur, quo ad lucra, quæ illic fecerunt coniuges: in loco videlicet, vbi contraxerunt: non autem attendatur lex, consuetudo, aut statutum loci, ad quem post acquisitionem bonorum trāsierunt. Et secundum hanc veram intelligentiam, lex regia neque frustratoria est, neque iuri communi, aut receptis doctrinis aduersatur, neq; vires cōsuetudinis vltra territorium extēdit. quod autem prædiximus, consuetudinem, seu statutum fauorem cōtinens, extendi posse ad res alibi existentes; id tunc demū verū est, cum

cum principaliter personas respicit, & in consequentiam bonas quo casu iura & interpretes loquuntur. Aliud prorsus est, quando consuetudines, priuilegia, seu statuta, in rem scripta sunt, vt in proposita specie antea notauimus.

105 ¶ Ex hoc prolixo tractatu in summa colligere potes talem distinctionē. Aut in cōtractu matrimonij pacta cōuenta facta sunt circa bona querenda inter coniuges, & ea seruari debent. Aut nil de his nominatim cautum est, & tunc obseruanda est consuetudo loci, vbi bona quesita sunt, stante illa consuetudine in rem scripta. siue omnia lucra in eodem loco, siue in diuersis facta fuerint. Semper enim cuiusque loci vsus considerandus est, nisi forte casu extra domicilium quispiam negocietur, vt puta, in nundinis, tunc enim lucrum afferens in domicilium proprium, illis legibus & consuetudinibus illud subijcit. Aut consuetudo fauorabilis respicit ipsas personas, & illa ad res alibi existentes prorogari potest. Igitur in publicatione bonorum hæretici, ea omnia veniunt, quæ pacto, lege, consuetudine, aut quouis alio modo ad eum pertinebant. c. cum secundum. de hæreti. lib. 6.

106 ¶ Si autem bona hæretici fuerint inuenta in alio territorio, quā vbi ipse damnatur, vel in diuersis locis iurisdictionis externæ: quilibet dominus temporalis capiet ea, quæ in sua prouincia repererit. cap. vergentis. de hæretic. l. si quis presbyter. C. de episcop. & cleri. l. vltim. de exactorib. tribut. lib. 10. l. iuris peritos §. cum oriundus. de excusatio. tuto. Et per argumentum à paritate rationis, ab vno ad plures, à loco ad locū, à toto ad partem probatur in. c. cum secundum. de hæreti. lib. 6. & illic notant. Ioan. And. Domini. Ancharra. & post Calderi. Philip. Fracus. & Probus. Hoc etiam tradit Collecta. in. c. excommunicamus. 1. referens alios eiusdem sententię. Hoc Alex. duobus locis respondit. consil. 31. lib. 1. & consil. 111. lib. 4. Hoc noster Gonsalus, tracta. de hæretic. questio. 15. Hoc eleganter ait Zasius. consil. 17. lib. 2. & Aymo Crauetta. consil. 128. Brunus. lib. 5. de hæreti. cap. 6.

107 ¶ Quæ oīa indubiè procedunt in bonis immobilibus, & etiā in his, quæ mobilia sunt: nisi forte in aliū locū destinatę fuerint, quo casu nō cēsantur illic esse, vbi inueniuntur, ac proinde magis ad lo-

cum destinationis pertinent, & illius consuetudinibus & legibus regulantur. l. si ita legatū. de leg. 3. l. ex facto §. rerum. de hæredib. institu. l. testamento. de alimen. & cibar. lega. Alex. confi. 16. lib. 1. Cirierus. de primogenitura. lib. 2. quæsti. 8. diffusius Tiraquel. de iure primogenitorum. quæstio. 48. sed cum per damnationem & confiscationem destinatio cesset, non putarem errare illum, qui talia bona in sua prouincia reperta occuparet.

108 ¶ Iura verò realia, quæ ad hæreticum pertinebant, sequuntur locum rei, ad quam competunt: vt puta redditus annui, ius pignoris, & similia. clem. exiui de paradiso §. cumque annui redditus. de verbo. significa. l. qui actionem. de regul. iur. l. vlti. C. vbi in rem actio. Federi. consil. 82. Zabare. consil. 66. Alex. consil. 15. lib. 7. Cirierus de primogenitura. lib. 2. quæst. 9. Rubeus con. 136. Caslen. in consuetu. Burgundiæ. rubrica. 5. §. 1. Tiraquel. de retractu municipalis §. 1. glosa. 6. & iterum. titu. 1 §. 32. nume. 76. & sequen. & tandem idem ipse multa colligit in tractatu de iure primogenitorum. quæstio. 49.

109 ¶ Sed maius dubium est de actionibus personalibus, cuius loci esse censeantur. Hæc enim & nomina debitorum nō circumscribuntur loco. l. fideicommissum §. tractatum. de iudicijs. l. caius. de lega. 1. l. vlti. C. de præscriptio. longi. tempo. sed quodammodo cohæret personæ creditoris. l. quis ergo casus. de peculio. l. 3. pro socio. Et quamuis in hac specie diuersi opinentur diuersa: mihi tamen magis placet, vt huiusmodi iura & actiones pertineant ad fiscum loci, vbi creditores conueniendi sunt. Nam & nomina debitorum ad eum locum pertinere dicuntur, in quo de iure fieri debet exactio. l. titium §. tutores. de administra. tuto. l. quæro. de solutio. l. ex facto §. rerum. de hæredib. institu. asserunt Lopus allegatio. 92. Roma. in. l. si constante §. vlti. solut. matri. Alex. cōfil. 16. lib. 1. Socinus consil. 101. lib. 1. Bertrandus cōfil. 74. lib. 2. & Alicia. in. l. cum stipulamur. de verbo. obligatio.

110 ¶ Id quoque notandum est, quòd lata sententia declaratoria contra hæreticum, statim dominus alterius prouinciæ potest occupare bona ibidè existentia sine nouo processu, quia ipso iure sunt fisco delata. c. postulasti. de foro compe. c. cum secundum. & illie notat

notat Ancharanus. de hæreti. lib. 6. Vtilitas harum quæstionum in iudæis baptizatis, qui ex Portugaliæ regno veniunt, quotidie cognosci potest: sed & in Hispania, cū sint inquisitorum prouincia diuisa, non debent receptores vnus prouinciæ occupare bona confiscata, quæ inuenerint in alterius inquisitoris prouincia, sed illos certiores de his rebus facere tenentur, vt statutum est secundæ instructionis Hispalensis. cap. 11. Alia in hac materia tractant Oldra. consil. 219. Roma. consil. 509. Cardi. consil. 72. Alexā. consilij. 21. & 244. lib. 6. Corneus consil. 104. lib. 2. Decius. cōsilijs. 414. & 442. & 461. & Tiraquellus de iure primo. quæstione 46. & deinceps.

111 ¶ His illa quæstio affinis est, Vtrum bona hæretici damnati cedant immediato domino, cuius ille vasallus erat, an potius fisco regis aut imperatoris superioris? Guido papæ. quæst. 76. respondit pro domino immediato, qui adducit in hoc tex. in. c. cum secundum. de hereti. lib. 6. vbi id mihi non probatur. Sed in apostil lis ad Guidonem, adijcitur pro eadem opinione illud, non satis certum, quòd quicumque dominus temporalis habet ius confiscandi. Et huius etiam opinationis est Bonifacius de vitali. in cle. 2. de hæreti. nume. 85. Verum contraria sententia melior est, quā & Aymo Crauetta probat. consil. 128. nam bona damnatorum ad solum principem pertinent. cap. 1. quæ sint regalia. lib. feudo. neque ad inferiorè pertinere possunt, nisi priuilegio principis, aut longissima præscriptione memoriam hominum excedente, vt ibidem à plerisque traditur. Et generaliter nil ex regalibus magnates habere queunt, nisi ex his duabus causis. quod interpretes docent in. c. 1. quis dicatur dux. & sepe alibi. & cauetur regia. l. 12. tit. 1. parte. 2. Quid, quòd solus princeps habet verum fiscū, vt Bal. ait, in rubrica. de priuile. fisci. & in authenti. bona damnatorum. C. de bonis. damnato. Ioan. de Plat. in rubri. de iure fisci. lib. 10. & Alexan. ad Bar. in. l. 1. nume. 12. de bonis vacan. cod. lib. Mathe. in præludijs constit. Siciliae. q. 15.

112 ¶ Sanè bona hæreticorum per quasdam constitutiones pontificias diuiduntur in tres partes. Quarum vna datur domino temporali, altera officio sancte inquisitionis, tertia ecclesie Romanæ. Referunt

Referunt Ioan. Andr. Domi. & Philip. in. c. cum secundum. sed illæ constitutiones non sunt generales, vt rectè Gonsalus noster ait in tracta. de hæret. quæstio. 15. Planè hodie in Hispania omnia salaria & alimenta pauperum captorum, & omnes aliæ expensæ necessariæ ad expeditionem huius officij ex his bonis præstantur: si quid autem post hæc reliquum est, id regio fisco datur, vt cauetur secunda instructione Hispalensi. cap. 12. Quo abrogatæ sunt omnes regiæ leges, quæ olim solam partem horum bonorū fisco deferbant. l. penulti. & vlti. titu. 4. lib. 8. ordina. l. 2. tit. 7. & l. 2. & 4. titu. vlti. eodem libro.

113 ¶ In publicatione tamen bonorum hæretici non veniunt ea, quæ in futurum illi deberi possunt. Et similiter illa, quæ post confiscationem acquiruntur, non sequuntur fiscum. Quia pœna hæc certa est, & suos limites, suumque tempus habet. l. si mandauero §. is cuius bona. mandati. l. quoties. de nouatio. Et confert ratio legis. nõ quemadmodum. de iudicijs. De quo plura scripsere Bal. Ange. Ias. & Philip. Decius. in. l. 3. §. illud. quod quisque iuris. Idè Decius. consil. 445. Casseneus. in consuetu. Burgun. rubrica. 2. §. 2. nume. 23.

114 ¶ Sed neque publicantur alimenta hæretico debita. nam ius alimentorum cohæret personæ, atque ad hæredes non transit: neque in eo locus est iuri accrescendi. Corneus. consil. 204. lib. 4. Suares. in. l. 1. titu. 6. lib. 3. fori legum. Vnde si hæreticus in ignem fuerit missus, non est cui alimenta illa debeantur: sin autem ecclesiæ reconciliatus vixerit: etsi alijs bonis priuetur, nihilominus illi debentur alimenta. l. penul. de capit. diminutio. l. vltim. C. qui bon. cede. pos. Sic damnatis in metallum debentur alimenta. l. is cui annua. de alimen. & ciba. lega. l. si in metallum. de his quæ p non scriptis. Sic & clerico deposito alimenta præstantur ex redditibus beneficij. Felin. in. c. apostolicæ. de exceptio. nume. 9. Vide Bar. & alios. in. l. si victum. de re iudica.

115 ¶ Quamuis autem regulariter in ciuilibus iudicijs non debeat fieri sequestratio bonorum. l. 1. C. de prohibi. sequestra. in criminalibus tamen, vbi quoquomodo iudici constat de facinore alicuius, propter quod bona eius veniunt publicanda, statim fieri solet

solet sequestratio bonorum, ne ab ipsis delinquentibus, vel ab eorum domesticis, consanguineis, & amicis abscondantur. l. imperatores §. idem rescipserunt. de appellatio. & illic notat Bar. l. si fideiussor §. vlti. qui satisda. cogan. Et hoc iure inquisitores vtuntur. Debet autem fieri sequestratio, scribendo omnia bona hæretici sigillatim, atque nominatim, & iuxta formam traditam. in. l. si quis intra. C. de bonis damna. & in. l. 3. de bonis vacan. lib. 10.

116 ¶ Hæc sequestratio bonorum hæretici fieri non debet, nisi speciali mandato inquisitorum, & tunc facienda est per exequutorem coram notario sequestrationum, & alio tabellione. Et vterque facere debet propriam scripturam. Hæc autem bona deponenda sunt apud aliquem ciuem idoneum, qui ea custodiat. Præterea monendi sunt receptores ab exequutoribus, vt præsentés sint eo tempore, quo fit sequestratio. Cæterum receptores bona illa fisco deferre nec debent, nec possunt, donec sententia damnationis contra ipsos hæreticos proferatur. Hæc statuta sunt in secunda instructione Hispalensi. cap. 8.

117 ¶ Eadem ferè repetuntur quarta instructione Tolctana. cap. 22. vbi præcipitur, vt sequestratio fiat coram receptore, exequutore, atque notarijs: & vt omnia bona conscribantur, & postea sequestro tradantur, cum iuentario subscripto à notario & exequutore: & aliud ei simile maneat apud notarium sequestrationum. Et quòd bona aliena illic reperta, cum ea non fuisse hæretici legitime constiterit, protinus dominis eorum reddantur: & quòd æs alienum, de quo liquidò cõstiterit, soluatur ex bonis sequestratis, non expectato rei totius euentu. Quòd si reus fuerit absolutus, omnia bona reddantur ei per inuentarium. Hæc ibi,

118 ¶ Præterea bona sequestrata, quæ seruari nequeunt, quia tempore pereunt: qualia sunt vinum, triticum, & similia, inquisitorum iussu in auctione publica distrahenda sunt: & pretiũ inde redactum, apud sequestrum deponendum est. Alia verò bona, quæ seruari possunt, in publica subhastatione locari debent à sequestro & receptore, secunda instru. Hispa. cap. 9. Quòd à iure communi non abhorret, vt videre est. in. l. pro hærede. de acquiré. hæredita. in. l. Aristo. & seq. & in. l. ait prætor §. vlt. de iure. deliberã.

¶ Post

- 119 ¶ Post sententiam publicationis, iudex priuatim deputatus ad causas horum bonorum, instante receptore, debet facere, vt voce præconis denunciatur omnibus: vt quicūque sua interesse putauerit, compareat intra certum tempus, & de iure suo doceat, si quid habet, quod bonorum venditionem retardare queat. quod si nullus comparuerit, bona liberè distrahantur. quarta instructione toletana. cap. 23. vbi & illud adijcitur, vt bona litigiosa nō vendantur, donec iudex sententiā proferat. quod & in alijs quibuscunque regulare est. authenti. litigiosa. & l. vlti. C. de litigio. De quo Roma. consil. 270. Abbas consil. 110. lib. 2. Fabia. de emptio. & venditio. 4. parte. quæstio. 13. Felin. in. c. dilecte. de exceptio. Ripa. in. c. cum. m. de constitut. nume. 190. & lib. 2. respon. cap. 29. Igneus in. l. lege. §. ex hoc edicto. nume. 69. ad fillania. Et regia lex. 13. & seq. ti. 7. parte. 3. & l. 1. cū alijs. tit. 12. lib. 1. fori legū.
- 120 ¶ Item propter res alienum & lites, non est differenda diu bonorum publicatorum venditio, sed eorum tantummodo distractio suspendi debet, quæ verè litigiosa sunt: & ex aliorum venditione seruanda est apud sequestrū quantitas pretij æquiualens æri alieno in iudicium deducto. quod mandato quodam supremi consilij sanctæ inquisitionis cauetur, dato Granatæ die. 7. Augusti. Anno domini. 1499. extat inter instructiones impressas fol. 18.
- 121 ¶ Bona quoque publicata, communia fisco cum alijs, si congruā diuisionem patiantur, diuidenda sunt. Sin autem aliud fisco fuerit vtilius, integra, & indiuisa vendi possunt: pars tamen pretij restituenda est protinus absque diminutione domino partis venditæ. vt cauetur quarta instructione toletana. cap. 23. Et hoc à iure communi non exorbitat, quo idem priuilegium fisco indultū est. l. 1. de venditio. rer. fisca. lib. 10. & l. 2. C. de communi. rer. alienatio. Decius, consil. 235. & regia. l. 53. titu. 5. parte. 5.
- 122 ¶ Item hæc bona vendi nequeunt, nisi in auctione publica: neque addici debent licitatori ante diem tricesimum, idque solennibus præmissis. Quarta instructione toletana. cap. 24. cui ad stipulatur. l. 1. & 2. C. de fid. instru. lib. 10. & regia. l. 52. titu. 5. & iterum. l. 7. titu. 7. parte. 5. Adde quod procurator fisci, & hi omnes, quorum interest, vocadi sunt ad hanc venditionem. Bohe. decisione.

sione. 277.

- 123 ¶ Præterea, nullus officialium quicquam emere debet ex bonis publicatis, etsi publicè vendantur. Neque receptores aliquid ex his solennibus, prætermittere debent: alioqui sententiā ex communicationis incurrunt, & centum aureorum pœna mulctantur, officioque priuantur, & fisco damna refarcire coguntur. quarta instructione toletana. cap. 23. Alijs similia facientibus alia pœna statuitur in. l. non licet. de contrahen. emptio. Decius. in. l. singularia. si cert. petat. De his quoque rebus receptores transigere nequeunt. vt statutum est eodem capite. 23. Adde. l. 1. de offi. procurato. Cæsa. & l. præses. C. de transactio. & illic interpretes.
- 124 ¶ Bona autem restitutioni subiecta, quæ possidet hæreticus, nō confiscantur, sed ei, cui debentur, sunt restituenda. l. imperator. de fideicommissa. liberta. Alexan. consil. 23. lib. 1. Ruinus. con. 23. lib. 5. Casseneus in consue. Burgun. rubri. 2. §. 2. Quinimo si filio grauatus sit hæreticus restituere aliquid, nihilominus id non confiscabitur: quia in eo non succedit vt hæres patris, sed illud habet à primo disponente. l. vnum ex familia §. 1. & seq. de leg. 2. Et hoc speciatim ait Probus ad Ioan. Mona. in. c. cum secundum. de hæreti. lib. 6. Aliquando tamen fructus talium bonorum publicantur ad tempus, quandiu viuit condemnatus, vt puta, si tunc tantummodo restituere tenetur, cum naturaliter mortuus fuerit. l. statius §. cornelio. de iure fisci. Ioan. Lup. in. c. per vestras. de donatio. inter vir. & vxor. §. 38. elegāter Fortunius. in. l. gallus §. & quod si tantum. de liber. & posth. col. 28. Decius. consil. 442. Igneus in. l. vlt. ad fillania. nu. 19. Ripa. in. l. ex facto §. ex facto. ad treb. nu. 11.
- 125 ¶ Inde quæritur, An bona primogenitorum, quæ nostri Maioratum vocant, propter hæresim possidentis confiscentur? Cui quæstioni priusquam respondeamus, quædam non inutilia, neque iniucunda præfanda duximus. Et in primis illud, quod bona maioratus, non sunt illa primogenia Hebræorum, quæ certis prærogatiuis constabant, vt videre est apud episcopum Abulensem Genesis. 25. quæstio. 6. & iterum Deutero. 25. quæst. 5. & rursus primo Paralipo. 5. quæstio. 5. sed neque sunt bona illa, quæ in Gallia filijs primogenitis maiore portione, quàm alijs, deferuntur,

tur, de quibus Cirierus & Tiraquel. integro tractatus ediderunt, sed bona maioratus vocant ea, quæ sic à primo disponente ligantur, vt integra, & indiuisa primogenitis perpetuò deferantur.

126 ¶ Sed quia in his bonis colligendis multa plerunque vulgò peccantur, operæ pretium erit quosdã frequentiores abusus, & assiduas vanitates breuiter hoc loco notare. Sunt enim quidam vsque ad eò cupidi relinquendi bona vinculis obligata, vt contra diuinam illam Esaiæ cõminationem. c. 5. si possunt rectè, si non, quocunque modo, coniungentes domum ad domum, & agrum agro copulantes, se & posteros suos, solos habituros putent in medio terræ. Quibus veritas per Matth. c. 6. interdicit, ne thesaurizent in terra. Et inquit Paulus apostolus, prioris ad Timotheum epistolæ, cap. 6. Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli, & in desideria multa inutilia, & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. nam & radix omnium malorum est cupiditas, & idolorum seruitus. Et ait Sapiens prouerbior. cap. 28. Qui festinat ditari, non erit innocens. Et Augustinus. lib. 9. de ciuitate dei. cap. 17. incorporali, æterno, & incommutabili deo tanto est anima hominis dissimilior, quanto rerum temporalium, mutabiliumque cupidior. & alia sexcenta huiusmodi in diuinis literis & sacris doctoribus passim occurrunt. Vide Basilium in concione dicta in Lazizis. Ambrosiũ. lib. 2. officio. cap. 26. & iterum lib. de nabuthe. cap. 1. & deinceps Chrysostomũ super Genesim homilia. 22. & super Matthæum homilia. 4. & Cassianum. lib. 7. Plutarchum, lib. de cupiditate diuitiarum.

127 ¶ Verum, vt demus aliquem iustis titulis locupletem, quod certè non facile fit: nam illud prouerbiũ generaliter verũ est, Diues aut malus, aut mali hominis hæres. sed tñ in illo, quicũque reperitur, protinus aliud peccatum occurrit, quòd vni tantum filio, cui bona prædicta relinquit, pater est: reliquis verò, vitricus: filias inuitas in monasteria detrudit, aliosque filios omnes in egestatẽ acerbam deicit: violans profectò æqualitatem illam, quam iura naturalia & humanæ leges maximam inter fratres esse voluerunt. l. vt liberis. C. de collatio. vnde contentionis & rixæ maxima datur

tur illis occasio, inter quos nimius amor & concordia esse debet. l. cum oportet. C. de bonis que liber. auth. de trien. & semis. & quod sape. Luc. de pen. in. l. cum allegas. de castrè. pecul. mili. lib. 12. Stephanus Niger in opusculo de fraterna beneuolentia.

128 ¶ His accedit alia iniquitas, quòd non eligitur ad hæc successiõnem filius melior, sed maior: cum contra omninò faciendũ esset. Pater enim arbiter inter filios constitutus, digniorem illorũ præferre tenetur, aut saltem illum non postponere. l. fœminæ. C. de secund. nupt. & quæ colligit noster Lupus in. c. per vestras. de donatio. inter vir. & vxor. §. 75. fol. 99. Neque mysterio caret, quòd sepe in scripturis diuinis non primogeniti accipiunt hereditatem, sed secundi. Primogenitus fuit Caim, sed Abel munera placuerunt deo: primogenitus Ismael, sed Isaac accepit hereditatẽ: primogenitus Esau, sed benedictionem patris Iacob supplantator præripuit: primogenitus Ruben, sed tamen benedictio seminis Christi transfertur ad Iudam. Quæ diuus Hieronymus Esaiæ cap. 1. notauit. Cui adde Alber. Pighi. de libero hominis arbitrio. lib. 9. cap. 2. Quinimo interdum non maior, neque melior eligitur, sed vanior: nempe is, qui sit inuerecundus, callidus, aleator, superbus, iracundus, & malus: talis quippe ille est, qui maximè tantè cõgruit vanitati. Non sic docuit Ecclesiasticus cap. 16. cum ait, Ne iucunderis in filiis impijs. melior est enim vnus timens deũ, quàm mille filij impij.

129 ¶ Excluduntur quoque à multis ab hac successiõne fœminæ, quòd sint finis agnationis, & in aliã familiam transeant. Sed hoc maximũ vitium esse Iustinianus ait, viderique naturæ accusatores, qui hoc inducunt: quasi natura omnes masculos generare debuerit, vt vnde generentur, nõ sint. sublato nanque fœmineo sexu, alterum perire necesse est. l. maximum. C. de liber. præteri. l. lege. de legit. hæredi. Sed & diuus Augustinus. lib. 3. de ciuitate dei. cap. 21. meminit legis Voconia, fœminas ab hereditate repellentis: & ibi subiungit, qua lege, quid iniquius dici, aut cogitari possit ignoro. Et irrationabilissimũ esse fœminas excludere, Signorolus ait, confi. 101. Vide Thomam prima secundæ. quæstio. 99. arti. vlti. Richar. in 4. sententiarum. distin. 44. arti. 1. quæst. fi.

Lucam

Lucam de penna. in. l. vlti. C. quando. & quib. lib. 10. Corneum
confi. 97. lib. 3. Decium consil. 299. & 538. & 574. Zafium con. 1.
lib. 2. Gratum consil. 20. lib. 1.

130 ¶ Est & alia horum omnium vanitas, existimantium, hac via, me-
moriā perpetuam se consequuturos. gentiliū prorsus cæca
& inanis opinio, & eorū qui credere videantur nil gloriæ, aut pœ-
næ post hanc vitam superesse mortalibus. Nam quid, queso, indi-
gnius homine christiano, quàm hūcce rebus fœlicitatem metiri,
quas vt stultissimas risit Democrates, vt miserimas fleuit Hera-
clitus, vt friuolas spreuit Diogenes, vt onerosas abiecit Crates, vt
pestiferas semper fugere sancti? Quid, quod neminem ab inferis
reuocauit filius locuples: neque tantillum beatis deperibit glo-
riæ propter hæredem pauperem. Quid, quod certissimè scimus,
veram & æternam esse memoriā iustorum: & contra, memo-
riam impiorum putrescere. Quid, quod nil sub sole perpetuū,
nil non occiduum & caducū. Fallitur quisquis putat (quod ele-
gāter Salomonius ait) numerosa progenie, successiua prole æter-
nitatem gigni. Nullus Fabiæ, nullus Portiæ, nullus Corneliæ gē-
tis: neque quisquam veterum superest illustrium. Non est prio-
rum memoria, inquit Ecclesiastes, sed neque eorum quidē, quæ
postea futura sunt, erit recordatio apud eos, qui futuri sunt in
nouissimo.

131 ¶ Iam verò, Quid homini incertius est, quàm aut mores, aut ca-
sus, aut hæredum successio? Detestatus sum, inquit Ecclesiastes,
cap. 2. omnem industriam meam, qua sub sole studiosissimè la-
borauit, habiturus hæredem post me, quem ignoro vtrū sapiens,
an stultus futurus sit: & dominabitur in laboribus meis, quibus
desudauit, & sollicitus fui, & est quidquam tam vanum? Quo-
ties prudētī succedit stolidus, quoties fortiori timidus, nobiliori
ignobilis, optimo denique pessimus hæres fit? Ad alienissimum
& indignissimum sapiensimè transferuntur hæreditates. omnia
palsim corruunt, atque mutantur: tanta est rerum humanarum
inconstantia, tanta fragilitas.

132 ¶ His cōiuncta est alia vanitas, & quidem valdè noxia, quòd bo-
na illa, quæ primogenitis relinquuntur, plerunque causa sunt
multorum

multorum malorum. Inquit enim eodem loco Ecclesiastes, Cū
alius laboret in sapientia, & doctrina, & sollicitudine, homini
otioso quæsitā dimittit. & hoc quoque vanitas, & magnum ma-
lum. Nullus quippè est ex his primogenitis in Hispania, qui nō
educetur & viuat in otio: quod seminarium & mater est malo-
rum omniū, iuxta illud Ecclesiastici. 33. Multa mala docuit otio-
sitas. Et sapiens prouerbiorum. 12. ait, Qui sectatur otium, stul-
tissimus est. Diuus quoque Ignatius epistola. 3. inquit, Nemo
otiosus in vobis sit, mater em̄ egestatis, est vacuitas. Et rursus epi-
stola. 8. Nemo otiosus manducet, ne vagus & fornicarius efficiat-
ur. Et vt verè dicebat quidam: otiosi dæmonis baiuli sunt, eius
sarcinas spectantes, imò quærentes. Plura nota digna contra otii
scripsere multi, quorum sequētes videre potes. Basiliū ex ame-
ron, homilia. 7. & 8. & iterum in quæstiōibus diffusè explicatis.
cap. 37. Chrysostrōmū in actis apostolicis. homil. 35. & 54. Casia-
num lib. 10. contra accidiam. Thomam. 2. secundæ. q. 187. arti. 3.
& iterum quolibet. 7. articulo. 17. Gabriclem in. 4. senten. distinct.
15. quæstio. 12. Vualdensē in doctrinali fidei antiqua tom. 1.
lib. 4. cap. 21. & deinceps. Raimundum de Sabunde in theologia
naturali titu. 82. Alfonso Castrensem lib. 9. aduersus hæreses,
verbo, labor.

133 ¶ Ex eodem fonte manat vitiorum riuulus perennis. Fiūt nan-
que regulariter isti primogeniti, superbi, impudici, tyranni, &
his quandoque deteriores. parentum appetunt mortem, eorum
conscientias non exonerant, neque iusta persoluunt, neque solēt
creditoribus satisfacere. Sed parentum bonis repudiatis, suo ipsi
modo liberè viuūt, quod ex praua educatione plerunque contin-
git. Aduersus quorum parētes exclamabat antiquus ille Crates,
inquiēs, Quorsum ruitis homines, qui omne in comparādis pe-
cunijs vestrū studium facitis: filiorū verò, quibus eas relinquitis,
nullā sanè curā suscipitis? Quapropter scētissimi viri virtutes po-
tius, quàm diuitias multas filijs relinquēdas docēt. nā diuitiæ fi-
lijs iuuenioribus relicte, causa sunt multorū malorū, vt verè scri-
psit Chryso. sup. Gen. homil. 66. & psal. 36. inquit propheta, Me-
lius est modicū iusto, sup. diuitias peccatorū multas. Olympiod.
f quoque

quoque ait, Melius est nos ipsos, dum sumus in vita, dispensare diuitias nostras in pauperum ac egenorum necessitates, ut ita thesaurum habeamus indeficientem in caelis, quam alij in hereditatem transmittere, qualescunque demum illos fore contingat. Alia multa memorabilia contra hos, qui pro filijs & haeredibus locupletandis, anxie laborant, inuenire potes apud Basilium in concione ad diuites. apud Ambrosium lib. 2. de Iacob, & vita beata. cap. 2. & iterum lib. de Ioseph patriarcha, cap. 2. apud Chrysostomum super Genesim homilia. 30. & rursus homilia. 59. apud Roderi. Suarez. in proemio commetariorum super. l. quoniam in prioribus, C. de in officio. testamen.

134 ¶ Quid dicam de sollicitudine illa vanissima, qua isti rapti, & impulsivi, non in praesentia tantum, sed in futura etiam secula suam vanitatem extendunt? Non enim contenti sunt, filijs, aut nepotibus prouidisse, nisi & in millia millium suas ad inuentiones prorogent. Hi leges multas imponunt innumeris generationibus, duraturas (ut putant) in aeternum & ultra: ac si non deus noster preceperit nobis, ne solliciti simus in crastinum; aut non docuerit nos ipsa rerum euidentia, imperia maxima, & potentissima regna, non diu in eadem sanguinis successione mansisse, velociusque defecisse illustrium virorum omnium domos atque familias. His fomentum praebent maximum, qui tantam licentiam christianis hominibus permittunt: ut sanctius forte Iustinianus sanxerit, haec vincula ultra quartam generationem esse inefficacia, in authen. de restitutio. fideicommiss. quod Philip. Decius centum annorum tempus esse dicebat con. 378. id enim longissimum spatium vitae hominis est. Pauci quidem pronepotes cognoscunt: sed pauciores sunt, qui auorum suorum meminerint. Parentibus cura sit filiorum, eadem erit filijs nepotum. Deus autem solus est, qui omnibus largitur affluenter in omnem generationem. in eo uiuimus uniuersi, & in eo mouemur, & sumus, ei nos & nostra omnia offerre debemus. Et hanc existimo veram esse sapientiam. Alias inanes curas, nil aliud reputo, quam vanitatem, & afflictionem spiritus.

135 ¶ Illa vero certissima & frequentissima est vanitatum vanitas, de nomine

nomine, de insignibus & armis familiae ferendis, obseruandis, & ostentandis. Digna profecto res homine christiano, mansuetudini atque humilitati euangelicae conuenientissima, & his, qui (ut ista facerent) sunt in inferno, plurimum profutura. magni quidem refert, an heres dicatur Actius, vel Titius. Id cineres, aut inanes credis curare sepultos? scilicet, is sanctis labor est, ea cura quietos sollicitat. Et quid tam vanum, quam fabulosa illa stigmata, seu insignia, ferarum, volucrum, arborum, & arcium picturis deliniata: quorum velut egri somnia, vanae finguntur species. Et tamen haec materia digna visa est, de qua Bartolus per tractatum elaboraret, Fernandus noster Mexia librum conderet, & Casseneus multa misceret in catalogi sui parte. i. consideratione 38. ut iam in artem heraldicam haec insania transferit: quam tamen iure irridet impurus alioqui Cornelius. Caeterum conditio illa ferendi nominis, non parui momenti visa est Caio iuriconsulto ethnico, in l. facta & si in danda. ad trebellia. Sed & iuris periti christiani eam rem pluris quandoque facere videntur. Socinus lib. 2. consil. 259. Decius consilio. 273. Alciatus lib. 9. parergon iuris. cap. 16. Gratus consil. 5. lib. 2. Tiraquellus in quinta lege connubiali. numc. 24.

136 ¶ Sed hoc omnem praetergreditur vanitatem, & iniquissimum est: quod plerique his primogenijs adijciunt, ne diuidantur, permulentur, aut alio quouis modo alienentur, etiam si iustissima causa id exigat, ut puta, neque pro redemptione captiuorum, neque pro dotibus filiarum, neque pro domesticorum quidem alimentis. Quod, quaeso, quid aliud est, quam diuinae legi consulto resistere, eiusque prouidentiae ex professione contraire? Sed bene habet. nam deus ipse (qui haec bona uniuersorum vobis destinauit) permittere solet, ut successorum prodigalitate, aut scelere, casu, fortuna, vel principum venia in commercium omnium haec redeat, ruptis vinculis vanitatis, & colligationibus impietatis. Vnde illud saepe contingit, quod vulgo in prouerbio est, ut quod Christo denegatur, id rapiat fiscus. c. maiores. 16. q. 7. Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra deum, ut est in proverb. c. 21.

137 ¶ Haecenus praeter institutum longius euagati sumus, sed pro-

pterea fortassis veniam deprecabimur, quòd frequentissimam & perniciosissimam multorum vanitatem reuelauimus: & què nédum coniugum animos inficere soleat, verum etiam clericorum, praelatorum, & antistitum animas iam diù peruasit, non sine magna (ni fallor) totius Hispaniæ iactura. Nam quæ domus, aut fundus non vinculis primogenitorum ligatur? vt neque liberum sit rerum commercium, neque earum vtilitas ad multos perueniat. Inde etenim fit, vt quòd plurimorum egestatem, ac paupertatem depelleret, id vix paucorum primogenitorum vanitati sufficiat. Nec mihi quispiam obijciat, beatissimum illum Bernardum, qui falsò iactatur à quibusdam, hæc eadem olim suafisse: quia longè alia fuit semper diuini patris de rebus humanis sententia. Quid, quòd opusculum illud, quòd sub nomine Bernardi circumfertur, non huius authoris est, sed cuiusdam alterius, doctrina & sanctitate longè inferioris: quapropter ceu nothum, & adulterinum, ab operibus diui Bernardi reiectum est. In summa nisi hæc honesto aliquo fine dirigantur, nisi bonis, pijsque operibus temperentur, denique si non absque cuiuspiam iniuria fiant, nil aliud quàm vitæ superbiam, noxiam tyrannidem, & meram gentiliū vanitatem spirare mihi videntur.

138 ¶ Sed vt iā tandem ad quæstionem propositam redeamus, Triplex contingit bona primogenitorum inueniri obligata: vel principum autoritate, vel facultate legis regiæ, vel antiqua successione: de quibus seorsim videndum est. Et primo illud omni dubitatione caret, quòd ea primogenia, quæ principum autoritate fiunt, propter hæresim successoris confiscantur: nam & hoc expressim in ipsa facultate principis declarari solet. Cum enim rex noster concedit, vt quispiam bona sua primogenitis suis posteris integra & indiuisa relinquat, & vt quas velit conditiones adijciat: & insuper indulget, ne propter aliqua crimina publicentur; semper tamen excipitur crimen hæresis, propter quod & alia quædam quæ similiter excipiuntur, confiscari possunt.

139 ¶ Quinimo si in ipsa regia licetia foret concessum, ne bona illa publicari queant, propter huiusmodi crimina; nihilominus tñ confiscari

confiscari possent, quòd collega meus Franciscus Galindus afferit in regia disputatione, cap. 18. Cuius sententia mihi probabilis videt: ne anfa delictis atrocioribus relinquatur, neue pars potissima pœnæ, quæ talibus sceleribus debetur, facillè cōdonata videatur: denique ne ius confiscationis, quòd regale est, in præiudicium principum concedentium, & successorum remissum intelligatur: eo potissimum accedente, quòd istiusmodi cōcessiones fieri solent sine causæ cognitione iusta.

140 ¶ Multi sunt, qui putant, aliud esse in primogenijs, factis legis concessione. Existimant enim ea confiscari non posse, si primus testator expressim hoc declarauerit. Nam cum taurina regia lege. 27. permissum sit omnibus, qui filios habent, in tertia & quinta bonorum parte, quascunque velint conditiones, & quæcunque vincula & grauamina restitutionis ponere: & tantundem in omnibus bonis concedatur ei, qui liberis caret; videtur quidem illis, quòd & hanc legem dicere possunt, ne primogenia, seu meliorationes publicari queant: etiam si possessor illorum in hæresim, aut crimen læsæ maiestatis incidat. Et hæc vulgò psuasa sunt, quia bona restitutioni subiecta, vt supradiximus, nō confiscantur.

141 ¶ Sed, mea sententia, hæc opinio falsissima est. Quis enim vnquam tantam licentiam priuatis concessit, vt legem principibus suis imponere queant, qua regale ius confiscationis eludant, & horrenda crimina magna ex parte impunita relinquunt? Certum quippè est, legumlatorum benignitate concessum, vt morientium dispositiones eo tempore valeant, quo illi non sunt in rebus humanis, & quo iam rerum dominium amiserunt, & ab huiusmūdi commodis & incommodis liberati sunt. Quod notauit Abbas in rubrica de transactio. Decius in. l. eum qui. de iurisd. omni. iudi. quicquid Viglius dixerit in §. sed prædicta. in. sti. de testa. Sed tamen hæc facultas suos modos, suosque limites habet, scilicet, ne contra leges quicquam vsurpet. l. nemo. de leg. 1. at contra legem est, ne talia bona publicentur.

142 ¶ Planè bona hæreticorū multis legibus cōfiscantur, neq; ad eorum filios vllò pacto trās mittuntur. Cū igit hæc primogenia ordine legitimæ successiōis ad filios & pximiores trāseant, neque

id alia ratione, nisi quia filij sunt & proximiores: consequens etiã est, vt ab eis quemadmodum & ab ipsis hæreticis, ea primogenia simul cum alijs parentum bonis auferatur. Quod & illis legum rationibus comprobatur, quia parentes in filijs acerbè puniuntur: quia diuitiæ atque honores filiorum, parentum propriæ censentur: quia hæreticorum filij debent paupertate fordescere: denique quia horum filij à parentum & proximiorum successione habentur alieni. l. isti quidem. quod metus causa. l. quisquis. §. filij. C. ad leg. iul. maiesta. c. vergentis. de hæreticis.

143 ¶ Possent hæc pluribus alijs non leuibus argumentis conuinci, sed gratia breuitatis pauca quædam indicasse sufficiet. Nam generaliter delictum patris nocere solet filijs, & eius exhæredatio illos excludit: eius culpa, priuat etiam concessione illis facta: & eisdem feudo excludit, tamen si antiquo, & tandem filius regis, qui succedit iure primogenituræ, propter peccatum patris, regno iustè cum ipso patre pellitur. l. si quis filium. C. de inofficio. testamento. l. 2. vbi Bald. & cæteri. de liber. & eorum liberis. capitulo. 1. §. denique. quæ fuit prima causa beneficij amittent. c. 1. si vassal. feud. priue. c. 1. §. si vassallus. si de feud. fuer. controuer. inter domi. lib. feudo. Bar. in. l. 2. de interd. & relega. Bal. in. l. qui se patris. C. vnde liberi. Imo. & canonistæ in. c. 2. de feud. & Ioã. Lupus de iure Nauarræ, parte. 5. §. 7. Et nūcupatim, quòd primogenia pro his criminibus publicentur, Galindus noster probat in disputatione regia. cap. 18. cui libens accedo.

144 ¶ Hinc superuacaneus redditur ille casus, quo primogenia per testes probantur, iuxta regiam legem taurinam. 41. Nam siue à principū licentia, siue à legis cōcessione originè trahāt; vtroque casu confiscari possunt, etiam si primus disponens dixerit, quòd si quispiam possessorum inciderit in hæc facinora, ab hora præambula priuat illum bonis, & ea transfert in sequentem. Hoc enim pluribus videtur efficax remedium ad præcauendam publicationem: sed nihilominus verum existimo, quòd eo etiam casu publicetur, Nec enim sanè dispicio, quo iure, aut qua ratione id facere possit priuatus: cum & illa dies incertissima sit, & rerum dominia nō tam facillè ab vno in aliū transmitti queāt,
sola

sola defuncti voluntate absque naturali actu. Neque mihi fit verisimile, vt quod princeps, magni beneficij loco, quibusdam nobilioribus hanc facultatem concedens, expressim tamen denegare solet, id generalibus verbis regis legis sine delectu concessum intelligatur omnibus, etiam futoribus, atque tōsoribus: possintque pro arbitrio isti bona sua in æternum præseruare à periculo confiscationis, quamuis eorum successores hæretici fiant, aut rebelles.

145 ¶ Sed neque illud probare possum, quòd viri alioqui docti opinantur, quòd si possessor primogeniorum filios non habeat, tunc ea bona non publicentur in præiudicium transversalium. maior enim ratio confiscationis tunc mihi militare videtur. Nam si à filijs proximioribus auferuntur (quod illi concedunt) multò magis à remotioribus auferentur: qui quidem à filijs excludebantur. Præterea, primogenia hæc deferuntur proximioribus consanguineis ordine legitimo: vocanturque ad eorum successione omnes, quotquot in familia nascituri sunt, secundum gradus sui prærogatiuam: vt proculdubiò non tam sit hæc bonorum restitutio, quàm legitima quædam successio: ac proinde longissimè distat ab eo responso Modestini, quo maximè nituntur contraria opinantes. in. l. imperator. de fideicommissa. libert. Nec enim veteres iuris authores talia primogenia cognouerunt.

146 ¶ Adde, quòd pro ea sententiã, quam veram puto, vrget ratio viua & spirans. Nam quilibet successor in primogenijs, est verus dominus illorum bonorum. Quod vel ex eo conuincitur, quia dominiū primogeniorū nō auferitur à successore, neque per principem, neque per aliquam legem, neque per disponentem: sequitur ergo, quòd simul cum ipsis bonis transit: alioqui vacaret, ac nullius esset. Præterea, cum princeps facultatem cōcedit obligandi, permutandi, vendendi, aut alienandi bona prædicta: non dat eo tempore dominium, sed tantum vincula rumpit, & obstaculū prohibitionis aufert. Adde, quòd non ideò minus dominus est, à quo dominium abire potest. l. non ideò. de reuendica. l. ex asse. ad trebellia. l. vlti. §. sed quia. C. commu. de lega. Oldrad. consilio. 203. Decius consilio. 419. Fusius Tiraquellus de retractu
f iij conuentionali.

conventionali §. 2. glo. 1. nu. 36. neque ideò nō est dominus, quòd alienare non queat: quia neque pupillus, neque is, cui bonis interdicitum est, alienare possunt, & tamen veri domini sunt. Quid igitur prohibet, quin princeps bona illa publicare valeat, quae eius esse inuenit, qui rebellis est in deum, vel regem, aut in rempublicam? Certè nullus priuatus legem principi iuste punienti ponere, aut praescribere, quacunque cautione potest.

147 ¶ Sed inueni viros doctos, qui constanter asserunt, bona primogeniorum tunc publicari non posse, cum eorum origo à contractu descendit, vt puta, si in vim contractus matrimonij primogenia facta fuerint. Mea tamen sententia par causa est huius casus, & superiorum. Nam si semel in perpetuum bona fuerint obligata, & is, ad quem peruenerunt, in crimina inciderit supra dicta, nil dubito, quin princeps iure suo uti queat. Quia priuatorum pactioibus ius publicum mutari non potest. l. ius publicum. de pactis. neque pars illa poenae, qua bona sceleratorum publicantur, à priuatis impediri valet. Alioqui posset euenire, vt vniuersi regnicolae, omnium bonorum confiscationem perpetuo prohibentes, legibus publicorum iudiciorum locum non relinquerent: neque posset princeps quempiam facinorosum omnibus bonis, aut illorum parte priuare. Quo, quid absurdius dici, cogitari ve potest?

148 ¶ Et ut iam tandè ab his expediar, incredibile mihi videtur, quòd possit princeps (vt quotidie facit) facultatem concedere, qua haec primogenia obligentur, & alienentur: & tamen ea confiscare nequeat, in publicam vindictam, & subditorum exemplum, ac scelerum debitam punitionem. Quid, quòd primogenitus facinorosus, qui (vt praediximus) verus dominus est, & quidem vsque ad mortem: is caeteris omnibus praelatus, in sui locum admittit fiscum, qui eodem iure caeteros omnes excludit. l. si sequens. ad fillania. Et ita in exordio foelicissimi regni Caroli nostri maximi multa primogenia rebellium confiscata sunt. Quod quidem à christianissimo principe, & iudicibus prudentissimis factum nō esset, nisi iure quamoptimo id fieri posse cognouissent. Et hic est interdum iustissimus finis harum vanitatum, vt quod ille ait, malè

parta

parta, malè dilabantur.

149 ¶ Quamuis autem ius patronatus ecclesiasticum transeat natura sua etiam ad extraneos haeredes, vt notat Inno. in rubrica de iure patronatus. cuius est recepta sententia, testibus Federico Senensi, confi. 111. Calderino, confi. 2. de iure patro. Cardin. confi. 122. Decio. confi. 149. qua ratione confiscari posse videatur: quia fiscus loco haeredis extranei habetur: & hanc opinionem diffusè discutit Igneus in repetitio. l. necessarios §. non alias. ad fillania. nume. 403. benignius tamen est, quòd non confiscetur cum alijs bonis haeretici, sed ecclesia libertatem consequatur: ne fiscum, vel indignissimum quempiam emptorem habeat in patronum. Haec est pia sententia, quam tenet Imolenis in. l. infulam. solut. matr. Casseneus in consuetu. Burgund. rubrica. 2 §. 2. nume. 9. Et omnium plenissimè Lambertinus lib. 3. de iure patro. q. 8. arti. 8.

150 ¶ Quæritur insuper, Nunquid res haeretici, quæ censum debet ecclesiae, confiscari possit? Quod magis tenendum est: quia dominium illius rei erat penes ipsum haereticum: quod per contractum censualem plenè transfertur, vt inquit glosa vulgaris. in. c. constitutus. de religio. domi. Quam post plures approbat Alexan. confi. 14. lib. 2. & Philip. Decius confi. 146. & iterum consilio. 164. relinquatur ergo quòd publicari potest, saluo iure pensionis ecclesiae praestandae. Et hoc nominatim declaratum est decreto quodam huius consilij, quod impressum extat inter instructiones. fol. 22. Sed quia tabelliones censum & emphiteusim confundere solent: inter quos longa est differentia, vt Iason docet in. l. r. C. de iure emphiteo. col. 11. ideò considerari debet natura contractus, potius quam verba. l. infulam. de praescrip. verb. Aymo Crauetta. confi. 20. Tiraquellus de retractu municipalis §. 30. glo. 1.

151 ¶ Sed maius dubium est, de emphiteusi ecclesiae inuenta in bonis haeretici, an sit cum illis confiscanda. Nam cum fiscus sit haeres extraneus. l. iura liberorum. de iure patron. lis est inter iurisperitos, vt rum emphiteusis ecclesiae transeat in extraneos haeredes. Et quidem non pauci putant, quòd in quoscunque transire possit. Et hanc opinionem post plures iuris interpretes veriorcm asserit Felinus in. c. in praesentia. de probatio. num. 27. & eandem

ait

ait communiter approbatam Corneus con. 13. lib. 3. sed crebrior sententia est in contrarium, quam tenent Bal. Alexan. & Casseneus in consuetu. Burgun. rubrica. 2 §. 2. nume. 10. & alij multi, quos referunt Philip. Decius in eo. cap. in presentia. nume. 48. & Gozadinus consilio. 39.

152 ¶ Concordari tamen possunt opiniones prædictæ hac distinctione: ut si quidem emphiteusis ecclesiæ simpliciter concessa sit; ea in hæredes extraneos peruenire non possit §. emphiteusim. in authent. de non alienan. aut pmutan. reb. eccle. collatio. 2. Quod si res ecclesiæ in emphiteusim data fuerit, cum hac adiectione, ut ad quoscunque hæredes perueniat, idque solennibus præmissis, quæ necessaria sunt ad alienationem rerum ecclesiasticarum; tunc vera est illa sententia, quod transire possit in hæredes extraneos §. licentiam. in authent. de alienatio. & emphiteusi. collat. 9. & ita distinxit Matth. de afflic. Neapolitana decisione. 100. & Gozadinus referens plures consi. 86. nu. 22. & hanc asserit communem sententiam Gratus. consilio. 55. numero. 28. lib. 1. & iterum consilio. 128. nume. 6. lib. 2.

153 ¶ Generaliter itaque verum est, quod emphiteusis concessa in re ecclesiæ reddenda est illi à fisco, etiam si fuerit inuenta inter hæretici bona. c. felicis §. si qua verò. de pœnis. lib. 6. Oldradus con. 17. Anchara. in. c. cum secundum. de hæreti. lib. 6. & nuncupatim cauetur decreto procerum ante allegato. Quod si quo casu talis emphiteusis ad fiscum peruenit, optio datur ecclesiæ, ut intra biennium declaret, an velit habere fiscum in emphiteutam, vel potius rem illam ad se aduocare §. si verò contigerit quilibet rem. in authent. de alienatio. & emphi. collat. 9. Barto. in. l. si finita §. si de vectigalibus. nume. 6. de damno. infect. & illic Roma. & Alexan. nume. 34. Anchara. in. c. postulasti. de foro competen. Imola in. c. ex parte. de feudis. col. 14. Guillel. & Bal. in. l. si quis presbyter. C. de episco. & cleri. Decius con. 442. nu. 30. Et hæc videtur communis opinio, ut inquit Ruinus con. 23. nume. 33. lib. 5.

154 ¶ Sed quid fiet, si hæreticus in re illa ecclesiæ multa expendit, unde res emphiteutica longè melior facta est: nunquid gratis restituatur ecclesiæ, an fiscus meliorationes illas prius recuperabit?

Quæstio

Quæstio hæc tractata fuit superioribus annis inter ecclesiã Abulensem & fiscum: fuit que satis controuersa. In qua vocatus ipse solus, ut coram proceribus meam sententiam exponerem, dixi, fisci causam videri mihi potiore. vel ex eo, quod ius illud repetendi meliorationes, quod hæretici fuerat, iam per confiscationem totum in fiscum transierat: neque ius aliquod scirem, quo ecclesia lucrum illud propter hæresim faceret. Adduxi præterea tunc alia quædam, quæ sciens prætermitto, quia contraria sententia mihi nunc benignior videtur.

155 ¶ Quod si hæc opinionem sequaris, quæ quidem probabilis est, & secundum illam tunc fuit pronunciatum, quia post hæresim fuerat celebratus contractus, & ob eam causam ecclesia soluit meliorationes fisco, & fiscus pensionem ecclesiæ, quod & proceribus placuit: sed dubium statim occurret circa meliorationes, an estimandæ sint, iuxta id quod expensum fuit, an potius secundum quod res melior facta est? In quo talis distinctio traditur: ut si quidem centum expensa sunt, & fundus melior factus est quinquaginta, id tantum refici debet, quod melioratum, non autem quod impensum fuit. Hoc decidit Papinianus in. l. sumptus. de rei vendicatio. cum ait, meliore prædio facto, dominus restituere cogitur. Et ante illum Celsus in. l. in fundo. eo. titu. vbi eleganter addit aliud membrum distinctionis. ut si centum expensa sunt, & fundus centum quinquaginta melior fuit factus: id tantum præstetur, quod fuit impensum, hoc est centum solummodo. Et illic notant hanc distinctionem glosa, Barto. & cæteri. Abbas in. c. 1. de restitutio. in integ. Castren. con. 270. lib. 2. Felin. in. c. cum causa. nume. 28. de rei iudic. Matthæ. de afflic. Neapolitana decisione. 87. & similiter Capicius decisione. 72. & iterum. decisio. 93. Tiraquell. de retractu conuentionali §. 7. glo. 1. nu. 8.

156 ¶ Suboritur & alia quæstio, Nunquid ecclesia debeat compensare fructus perceptos cum meliorationibus? Et in promptu lex est hoc decidens in. l. sumptus. de rei vendicatio. quod generaliter verum est, ut fructus compensentur, nisi forte dominus fuerit, qui eos percipiebat. is enim non compensat, etsi postea desinat esse dominus. glo. Bar. Bald. Angel. & cæteri, in. l. emptor. de rei vendicatio.

vendicati. & alij sexcenti, quos recenset Tiraquell. in. l. si vnq̄. C. de reuocan. donatio. verbo. reuertatur. nu. 235. Quidam alium casum excipiunt, cum fundus alienus sterilis, industria, vel sumptibus bonæ fidei possessoris factus est fructiferus: tunc enim aiūt, fructus non debere compensari: quia magis pecuniæ, aut industria, quàm fundi esse videntur. Et hoc magnam præfert æquitatem: & suaderi potest ex ratione legis vltimæ. C. de alluio. & quæ illic notant Bal. & Salice. & in. l. si. C. de omni agro deserto. lib. 11. Ioan. de plate. & Molineus in tractatu contractuum. num. 605. Contraria tamen sententia vsu recepta est, satisque putant sufficere illi, qui in re aliena edificauit, si damnum nõ sentiat, quãuis lucrũ non capiat. Cætera collegit seriatim Andre. Tiraquel. de retractu conuentionali §. 7. glo. 1. qui in hoc est ad eundem.

157 ¶ Et vt ad præactam quæstionem redeam, cum considerarem in dubio contra fiscum esse respondendum. l. non dubito. de iure fisci. & quæ magna sit ratio, quæ pro religione facit. l. sunt personæ. de religio. denique, quæ pro ecclesia in dubijs quæstionibus sit iudicandum. l. sancimus. 2. C. de sacrosan. eccles. Mattheus neapolita. decisione. 23. ruinus. consil. 137. lib. 5. mutare sententiã nõ erubuimus, expertique sumus, verissimum esse, quod Iustinus philosophia & martyrio clarus, in exordio libri, quo gentes admonet, in hunc sensum græcè scripsit, Exacta rerum perscrutatio: ea etiã ipsa, quæ sæpenumero rectè se habere visa sunt, aliã omninò, quàm quæ prius apparuerant, ostendit: quandoquidem veritatem ipsam examinatio diligentior extorquet. Hactenus ille. Cuius rei extat exemplum memorandum Vlpiani & Metiani iurisconsultorum illustriũ, in. l. diui fratres. de iure. patrona.

158 ¶ Pro ecclesia igitur facit, quòd iure accessionis ac veluti consolidationis meliorationes in re illius factæ, ad eãdem pertinere videntur. arg. c. felicis §. si qua vero. de pœnis. lib. 6. & l. 2. C. de iure emphit. & §. ex diuerso. inst. de rer. diuis. Ad hæc fundus ecclesiæ propterea solet in emphiteusim pro exigua pensione concedi, vt melior, preciosiorque factus, aliquãdo ad ecclesiam redeat, & casus olim emphiteusis origo. Dabatur enim fundus in emphiteusim, id est in plantationẽ, vt qui acciperent, plantando & inferendo

inferendo, rem sterilem in meliorem statum reductam, fertilem redderent, vt est apud Corrasium. in. l. ei qui pignori. de seruitu. nume. 20. nimirum ergo, si per hæresim emphiteutæ, rem suam meliorem ecclesia recipiat.

159 ¶ Præterea, Quando propter culpam priuatur emphiteuta iure suo, tunc res ad dominum redit cum omnibus meliorationibus. Hæc est vera & recepta sententia iuris peritorum in. l. senatus §. marcellus. de lega. 1. & in. l. 2. C. de iure emphi. vt illic tradit Ias. per illum tex. col. 8. & probatur in authent. qui rem. C. de sacrosan. eccle. & ibi Decius. nume. 14. & luculentius consil. 171. & rursus consil. 518. Et quamuis iura prædicta certis casibus hoc decident, sententia tamen doctorum generalis est, & ratio in specie nostra videet esse eadẽ. Postremò hoc decisum est decreto illo procerum ante citato, quo nuncupatim præcipitur, vt emphiteusis ecclesiæ, quam hæreticus tenebat, restituatur eidem ecclesiæ cum omnibus meliorationibus. vbi non distinguitur an fuerint factæ meliorationes ante hæresim, vel post illam, neque vtrũ fuerit emphiteusis concessa in perpetuum, vel ad tempus.

160 ¶ Demum si nupta, propter hæresim damnata sit, potest fiscus vindicare, nõdum dotem & lucra, & alia quæcunque bona ad illam pertinẽtia, sed etiã quicquid alienauerit sine licentia viri, tametsi iuramentũ in cõtractu interuenerit, quãuis enim multi putauerint, quòd iuramentũ cõfirmet talẽ contractũ: stantibus tñ taurinis regijs legibus nil dubito, quin cõtraria sententiã sit vera, quia in fauorẽ maritorũ latae sunt leges, & quidẽ iustissimæ: quas vxorum iuramenta eneruare nequeunt. Vide Bar. in. l. vlti. C. ne fideius. dotiũ den. Lucam de pœn. in. l. fin. C. de prædijs decurio. lib. 10. col. 2. Angel. consil. 160. Aretin. consil. 54. Alex. consil. 27. lib. 1. & consil. 38. lib. 3. & 102. lib. 4. & consil. 18. lib. 6. & consilio 29. lib. 7. Corneum consil. 121. lib. 4. Socinum consil. 77. lib. 1. & consil. 279. lib. 2. Tiraquell. post leges connubiales. glo. 3. nu. 37.

DE

DE CAEREMONIIS. CAP. X.



LVTHERANI, & qui his consentiunt haereticis, ut christianam religionem funditus euertent, nil haecenus intactum aut incontaminatum reliquerunt. Inter alia verò innumera profana, & impia dogmata, hoc etiam adiiciunt, ut ecclesiae caeremonias afferant, nil aliud esse, quàm venenum pietatis: cum maximè pietatem promoueant & cõseruent. Quòd si nouum testamentum, quò isti falsò gloriatur, attentius legeris, nullam ferè paginam sine caeremonijs inuenies. Tãtus quippè est caeremoniarum fructus, ut illis sublati, cultum diuinum frigesceat, atque perire necesse sit. Paucissimi enim sunt ad res diuinas percipiendas idonei, nisi ad eas sensuum adminiculis conuertantur. Valent profectò caeremoniae, ut ceruicem superbam demittamus: illam subdentes rebus sensibilibus. Valèt rursus, ut per eas, veluti per gradus quosdam ad mysteria diuina euehamur. Valèt demum, ut qui corpore peccauimus, holocaustum etiam de nostris corporibus domino faciamus: qui & corpus, & animam à domino recepimus.

1 ¶ Sunt itaque caeremoniae à Christo, ab apostolis, & sanctissimis patribus institutae: ad honorem dei, ad hominum utilitatem, & eruditionem inductae. illis nempe instruimur, monemur, erudimur, ad sublimiora prouocamur: purgamur, illisque praeparamur, & proficimus in gratia, & charitate. Multas earum traditas esse ab apostolis testatur Dionysius Areopagita lib. de ecclesiastica hierarchia. cap. 1. Easdem esse vtilissimas probat Basilius lib. de spiritu sancto. cap. 27. & 29. Diuus quoque Hieronymus Nepotianum commendat, quòd piam habuerit sollicitudinem in omnibus caeremonijs. parte. 3. epistola. 64. Has denique vniuersa orthodoxorum approbavit semper ecclesia. In quo quidem ridiculi sunt haeretici; qui damnantes ecclesiae caeremonias, alias nouas & profanas ipsi introducunt. Vide Gratianum distin. 5. & compendium concertationis. titu. 27.

2 ¶ Cum autem caeremoniae, ritus, & obseruationes, sint quidam actus

actus externi ad cultum diuinum celebrandum; relinquitur inde, quòd talem quisque religionem tenere creditur, qualibus caeremonijs utitur. Vnde si quis Mahumetem adorauerit, aut se circumciderit, aut mori, vel sepeliri voluerit iuxta ritus iudaeorum aut aliorum infidelium; is tali religioni additus vehementer praesumitur, vsque adeò, ut iure habeatur pro haeretico consummato. c. filij. de haereti. lib. 6. & Guillel. Occam asserit huc pertinacem haereticum. lib. 4. dialogo. cap. 5. putantque plerique hoc solum ad condemnationem sufficere. Archidiaconus. Ioan. And. & Dominus. in. c. 2. de haereti. lib. 6. Ioan. de Anania. in. c. excommunicamus & credentes. eo. titu. lib. 5. Lopus, Butrius, & Imol. in clem. 1. & vlti. de vsuris. Siluester in summa. verbo, haeresis. 1. quaestio. 7. Squilacen. de fide catho. cap. 15. Arelata. de haereti. nota. 5.

3 ¶ Circa hanc materiam notanda est distinctio haec. In quaedam peccata natura ipsa prona sumus, ut puta, in auaritiam, gulam, aleam, venerem: & in haec interdum ruimus praecipites, etiam repugnante conscientia: capti voluptate, quae esca est malorum omnium. Sed tamè nihil minus credimus, quàm haec licere. Alia sunt peccata, in quae natura non fertur, eo quòd nil habeat, quo illam alligere queant. Quapropter cum ad illa peccata voluntas indifferens, ac dubia sit, consulit intellectum, qui est voluntati à consilijs, & nil in his agere solet repugnante conscientia, neque spreto intellectus iudicio, idcirco in his maior est praesumptio malitiae, ac maior deliberatio creditur praecessisse. Hanc distinctionem ponit Alfonso Castren. lib. 1. aduersus haereses. cap. 1. & iterum. lib. 1. de iusta. haeretico. punitio. cap. 1.

4 ¶ Hinc patet veritas conclusionis antedictae, quòd ex prauis caeremonijs praesumitur haeresis. nam in earum obseruatione, nulla est à natura pronitas, ut haec magis, quàm illae seruentur, aut fiant: idcirco vehemens suspitio est, quòd in illarum electione voluntas regitur ab intellectu, ita ut quòd facit, sic esse faciendum credat. Inde facile intelliges discrimen, cur magis praesumatur haeticus, qui prauas caeremonias obseruat, quàm qui alterius generis peccata committit: & quare ratione praesumatur haeticus, vel apostata, qui ad ritus iudaeorum transiit. c. contra christianos,

nos de hæreti, libro sexto.

5 ¶ Ex eodem fonte manat suspitio vehemens aduersus eos, qui cū sint ex genere iudæorum, abstinent à carne suilla, vel ab his rebus, quæ reputabantur immundæ legibus hebræorum, Leuitici vñdecimo, & alibi. Pari quoque ratiõ licet malè suspicari de descendentibus ex mahumetanis, qui vinū & suillam carnem execratur, aliãue obseruant, quæ maiorum suorum legibus cauebantur. nam ad ea, & id genus alia, nulla est pronitas à natura. Quinimo contra naturalem appetitum & inclinationem illa operantur. Sunt enim pleraque horum optima, & voluptatibus, quibus illi vnicè student, valdè accommoda. Ideoque vix aliud coniectari, aut alia benignior coniectura capi potest ex prædictis, quàm quòd fiant animo deprauato in religionem christianam.

9 ¶ Quòd si quispiam carnes, vinum, aut alia huiusmodi excretur, & monitus ab inquisitoribus, ea prægustare noluerit, is tanquam suspectus de hæresi, atque inobediens puniri potest. c. vlt, dist. 30. vbi parum fideliter notat Præposit. quòd eb eam solã suspensionem ille habeatur verus hæreticus. Sed qui crederet non licere vesci carnibus, aut quippiam simile, is proculdubio hæreticus esset, vt canonibus apostolorum. 50. & 52. traditur. Et nuncupatim cauetur. cap. 14. concilij Ancirani, & in epistola decretali Vigili papæ ad Eutherum capit. 1. vbi ait, constituta patrum eos damnasse, qui credebant esse vitanda, quæ carnibus fuisse videbantur admixta. Nã & ipse dominus Matth. 15. dixit, Non quòd intrat in os, coinquinat hominem, sed quæ procedunt de ore, hæc sunt, quæ coinquinant hominem. In cõcilio quoque primo Bracarensi canone. 32. hoc decretum extat, Quicumque in clero cibo carniū non vtuntur, pro amputanda suspitione Priscillianæ hæresis: vel olera cocta cum carnibus, prægustare cogatur: quòd si contempserint, necesse est, pro suspitione hæresis huius, vt excommunicentur, & ab officio remoueantur. Hæc cibi.

7 ¶ Nonnullæ fuerunt olim hæreses circa vsum ciborum, quas refert & confutat Alfonso Castren. libro aduersus hæreses, in verbis, cibus, & vinum. Sed & lutherani, quorum deus venter est, asserunt licere sine delectu omni loco & tempore, quibuslibet

cibus

cibus vt, non obstante prohibitione ecclesiæ. Quorum impium dogmã iam olim damnatum est: & multi viri docti hac tempestate illud confutarunt. Vide Fabrum contra Lutherum. tracta. 4. in respõsione ad articulum. 17. Echium in enchiridio. cap. 14. & Castrensem, verbo, cibus. Bunderium à Gaudauo, in compendio concertationis. titu. 35.

8 ¶ Aufer cæremonias ab ecclesia, & apud maximam christianorum partem dei cultum extinctum videbis. Fac ne quisquam orãdo, ad cælum oculos aut manus leuet, ne flectat genua, ne pectus tundat, ne humi prostratus adoret, ne caput orans detegat, ne cū legit euangeliū audiẽtes erecti stẽt in pedes, ne eucharistia, cū ostendit populo; oĩa reuerentiæ, & honoris signa exhibeantur: vtq; id genus cætera prætermittant oĩa, & intra paucos dies oẽm pietatẽ, & quã vocamus deuotionem, quæ ritibus, modisque huiusmodi & excitatur, & fouetur, augeturque: penitus extinctã videbis in pectoribus hominum, & prorsus frigere dei cultum. Hæc eleganter & verè scripsit Campensis lib. 1. hierar. ecclesia. cap. vlti. cui adde Catharinum in secunda clauẽ scripturarum.

DE COMMUNI IMPIO. VITAN.

CAP. XI.



MULTIS ex causis fugienda est conuersatio hæreticorū, multisque authoritatibus est prohibita. Monet Paulus apostolus cap. 5. prioris epistolæ ad Corinthios, ne cibum quidẽ cum illis esse sumendum. & cap. 3. epistolæ ad Titum, Hæreticum, inquit, hominem post primam & secundã correptionẽ deuita. Ioan. quoq; apost. episto. 2. inquit, Si quis venit ad vos, & hanc doctrinã nõ affert, nolite recipere eũ in domũ, nec, Aue, ei dixeritis. qui em̄ dicit illi, Aue, cõmunicat operibus eius malignis. Sed & pluribus apostolorū canonibus hoc ipsum interdictum est. canone. 45. aiunt, Qui cum hæreticis orauerit, cõmunionẽ priuetur. Si verò hortatus fuerit eos orare, dānetur. Et canon. 46. episcopũ aut presbyterũ, hæreticorũ suscipientẽ baptismã, dānari precipimus. quæ em̄ cõuentio Christi ad Belial? Aut quæ pars fidei cū infideli? Itẽ cano. 63. qui synagogã iudæorũ, aut

g hæreticorum

hæreticorum conuenticulum ingressus fuerit, vt precum illis cõiungat, deponitor, & à communionem secluditor. quod & plenius cauetur canone. 69. & sequenti.

- 1 ¶ Alijs quoque cõcilijs ecclesiæ prohibetur, ne cum hæreticis matrimonia celebrentur, neque benedictiones ab eis accipiantur: neque cum eis aut schismaticis oretur, neque ad eorum falsos martyres, aut abominandas congregationes abeat. Hæc in cõcilio Laodicensi. cap. 31. & deinceps. Præterea in. 4. concilio Carthaginensi. cap. 70. & 72. interduntur conuiuia & sodalitates hæreticorum & schismaticorum, & ne cum eis aut oretur, aut cõtetur. Omnes quoque sacri doctores scriptis suis passim hoc prohibuerunt. Vide Conrardum Brunum libro sexto de hæreticis. capitulo secundo.
- 2 ¶ Prima & potissima causa huius prohibitiõis est, quia sermo eorum vt cancer serpit, vt pestis inficit, vt mortale venenum animas etiam ipsas morte perpetua occidit. Corruptunt bonos mores colloquia praua, vt ait apostolus prioris epistolæ ad Corinthios cap. 15. Et alibi scriptum est, Cum malo, malus eris: & cum peruerso, peruerteris. Sed & Iuuenalis satyra. 2. de alijs non ita contagiosis ait, dat hæc contagio labè: sicut grex totus in agris vnus scabie cadit & porrigine porci. Deuita hæreticum, inquit Campanis, quasi viperam, quasi scorpionem, quasi basiliscum: ne te nõ solũ tactu, sed etiam visu, afflatuque percutiat. Alia causa est, quia hæretici incidunt ipso iure in excommunicationem. cum excommunicatis autem communicare non licet. cap. excellentissimus. & seq. 11. quæstio. 3.
- 3 ¶ Hæc eadem docemur exemplis memorãdis. Nam dilectus domini discipulus, cum apud Ephesum balneas lauandi gratia fuisset ingressus, & audisset ibi Cherintum, exiit continuo, & discessit nõ lotus, dicēs, Fugiamushinc, ne & balneæ ipsæ corruant, in quibus Cherintus lauatur, veritatis inimicus. Et ab eodẽ apostolo edoctus Polycarpus, Martioni aliquando cum occurisset, dicenti sibi, Agnoscis nos? respondit, agnosco, agnosco primogenitum Sathanæ. Tanta tunc apostoli & eorum discipuli in religione cautela utebantur, vt ne verbi quidem communionem

- munionem cum aliquo eorum, qui à veritate deuiauerant, habere paterentur. Hactenus Eusebius libro quarto ecclesiasticae historiae. capitulo. 14. quod etiam recenset Beda super epistolam. 2. Ioannis. & transtulit Gratianus. 24. q. 1. c. omnis qui. Ad eundem modum admirabilis ille Origenes nullo pacto, vel pro honoris gratia, vel pro necessitate coniunctionis flecti potuit; vt cum Paulo hæretico, dominæ suæ adoptiuo, saltem in oratione consisteret. ita ei à prima ætate ecclesiasticae regulæ obseruantia honorabilis fuit, & hæreticorum societas execrabilis. Hæc item Eusebius eiusdem historiae, lib. 6. cap. 2.
- 4 ¶ Nedum loqui non licet cum hæreticis, sed neque illis familiariter scribere. Nam per epistolas amicis nostris tanquam præsentibus loquimur, & maiore cum deliberatione scribimus, quàm verba emittere solemus, Multaque literis committimus, quæ coram puderet verbo dicere. epistola enim non erubescit. Par itaque aut maior causa prohibitionis est in scribente, atque in loquente. Sic prohibitus loqui cum moniali, neque epistolam mittere potest. cap. clericus. 8. distinct. Sic non licet mittere literas cardinalibus existentibus in conclau. capi. vbi periculum s. nulli. de electio. libro sexto. Ideo veram puto sententiam Romani, & Corradij. in. l. 1. numero. 24. de verbo. obligatio. & lib. 1. Miscella. capi. 24. & libr. 3. capit. 4. vt iure ac merito Albertus Pighius notarit Erasmus, quod epistolas familiares dederit ad Lutherum, & œcolampadium etiam, vbi eos esse hostes ecclesiæ nouerat. Vide illum lib. 4. hierarch. ecclesiasti. cap. 13. ad finem, & Brunum lib. 6. de hæreti. cap. 2.
 - 5 ¶ Quæ omnia cõpertinent, vt pro loci, temporis, ac personarum circumstantijs habeantur plus minusue suspecti, qui cum hæreticis communicauerint. Vnde interdum propter familiaritatem hæreticorum indicitur purgatio & suspensio. capitu. inter sollicitudines. de purgatio. cano. Aliquando verò qui post abiurationem hæreticos associant, visitant, acceptant, vel deducunt, eo ipso relapsi habentur: quia ex approbati à se prius erroris consequentia ea fecisse iudicatur. c. accusatus s. ille quoq;. de here. lib. 6. sed & hi, qui receter cõuersi sunt, fugere debet cõmunionem
g ij illorum

illorum, qui suam sectam antiquam tenēt: alioqui in christiano rum seruitutem rediguntur: & illi, cum quibus prohibitum est eis conuersari, publicis cædibus deputantur. canone. 60. quarti concilij toletani. c. sæpe. 28. quæsti. 1. quod & prohibitum est sessione. 19. concilij Basiliensis.

- 6 ¶ Aliquando tamen licet cum hereticis communicare, puta, quā do tractatur de salute spirituali, & conuersione illorum. Hoc autem fieri debet, seruatis debitis circumstantijs personarum, temporum, & locorum, vt sanctus Thomas. docet. 2. secundæ. quæstio. 10. arti. 8. & iterum quolib. 10. arti. 15. Arnaldus Alberti. in rubrica de hæreti. lib. 6. quæstio. 4. Et eisdem causis licebit ad hæreticos, & contra illos scribere, vt postea dicemus. Vide Alfonso Castren. lib. 1. de iusta hæreti. punitio. cap. 20.

DE CONCILIIIS.

CAP. XII.



CONCILIVM ecclesiasticū nil aliud est, quàm iustus ac legitimus conuentus præfulum, & episcoporum ad ecclesiastica & spiritualia tractanda conuocatus. sunt autem conciliorum eiusmodi tria genera. vniuersale seu œcumenicum, sacerdotale, & prouinciale. Vniuersale concilium est, in quo totius ecclesiæ tractatur negotium, ex omnibus prouincijs conuocatis orthodoxis episcopis. Sacerdotale, seu medijs generis concilium est, in quo causa, quæ tractatur, vniuersalis est, fidem aut ecclesiasticam obseruationem concernens: sed conuocatio non est generalis. Prouinciale est, in quo sub vno metropolitano, vnius tantū prouinciæ episcopi conuenientes, eiusdem negotijs consulunt. De quibus seorsim quædam breuiter dicenda sunt.

- 1 ¶ Generalia concilia legitimè congregata, vtilia, & salutaria sunt ecclesiæ, ad extirpandas hæreses, sarcienda schismata, & reformandum ecclesiasticæ disciplinæ vigorem: in quibus notior & efficacior, quàm alibi apparet, ecclesiæ, atque apostolicæ sedis sententia. De his credere oportet propositionem huiusmodi, Decisiones vniuersalium conciliorum, per summos pontifices approbatæ

approbatæ, in his quæ pertinent ad fidem, & mores, irrefragabilis sunt authoritatis, ac pro veris ecclesiæ definitionibus tenendæ sunt. Proinde quisquis illis contradicit, hæreticus iure censetur.

- 2 ¶ Prima & maxima huius propositionis ratio est, quia in plenarijs concilijs intercedit authoritas summi pontificis, habentis in ecclesia supremam potestatem, Ideoque decreta, ac decisiones ibidem factæ authoritate summi pontificis obligant, & ab eo cõdita censentur. Nam vt ait Iustinianus, Omnia nostra facimus, quibus authoritatem impartimur. l. 1. C. de veter. iur. enucle. Sicuti & alia multò minus solennia, quàm quæ in generalibus concilijs aguntur, si fuerint cõfirmata per papam, authoritatē apud nos maximam habent. c. si apostolicæ. de præben. lib. 6. Felin. in c. 1. de sponsalib. nume. 4.
- 3 ¶ Probatum insuper hoc vrgentibus argumentis. Nam Christus redemptor noster, Matthæi. 18. promisit se futurum in medio eorum, qui fuerint congregati in nomine suo: quamuis illi non sint nisi duo, aut tres. Quis igitur dubitare queat, quin ipse diuinitus adsit plenarijs concilijs legitimè congregatis? Quibus nisi fidem indubiam adhibeamus, quid certi relinquemus ecclesiæ? Quippè omnia decreta, omnes sacri canones vacillarent, hæreses damnatæ reuiuiscerent: denique nil non esset in religione confusum, dubium, & incertum: inuanum hætenus summi pontifices, imperatores, & sanctissimi patres laborassent in concilijs conuocandis: frustra fideles omnes hucusque synodis credidissent: ac proculdubio grauissimè decepta foret diffusa per orbem catholica & apostolica Christi ecclesia. quæ nemo vnquam nisi impius & insanus concedet.
- 4 ¶ Præterea diuus Augustinus ad Ianuarium epistola. 118. saluberrimam esse ait in ecclesia conciliorum generalium authoritatem. Sanctus quoque Gregorius libro primo. epistola. 24. quatuor prima generalia concilia, sicut sancta euangelia suscipere se, ac venerari fatetur. Paria scripsit Isidorus libro sexto etymologiarum. capi. 16. Sed & reges Hispaniarum antiqui eandem veritatem profesși sunt, in Toletanis cõcilijs. 13. & 15. Ad extremum

patres nostri in confessione fidei, quam decimo sexto concilio Toletano inferuerunt, constanter asseuerant, illum hæreticū esse iudicandum, qui plenarijs concilijs quoquomodo contradixerit. Cui sententiæ orthodoxi omnes semper & vbique consentiunt. Vide cap. illa. 12. distin. c. canones. & cap. sicut. 15. distinc.

5 ¶ Ea verò concilia vniuersalia legitimè congregata dicuntur, quæ autoritate papæ conuocata sunt. non enim licet in republica christiana conuocare generale concilium, nisi voluntate summi pontificis; alioqui talis conuocatio eo inuito facta, rebellionis, & conspirationis speciem præferret. non secus atque in quacunque alia republica non licet subditis conuenticula facere, de quæ grauioribus rebus discernere absque voluntate, consensu, & autoritate principis. l. 1. & 3. de colleg. illici. Et multis legibus regijs id ipsum prohibitum est. præcipuè sub titulo. 11. lib. 8. ordinationum.

6 ¶ Propterea constituerunt apostoli, vt nulla generalis synodus fieret præter autoritatem Romani pontificis, vt asserunt, sanctus Marcellus in epistola ad episcopos Antiochenos. Et Iulius primus aduersus Antiochenam synodum. quod & Socrates in historia ecclesiastica testatur. Athanasius etiam & alij patres, qui in Alexandrina synodo conuenerunt, in epistola ad Felicè aiunt, in Nicæna synodo ab omnibus episcopis concorditer esse reboratum, non debere absque Romani pontificis sententia, celebrari concilia. Idem quoque beatus Damasus episcopis Africanis scripsit. Hoc similiter Lucentius in concilio Chalcedonensi aduersus Dioscorum dixit. Hoc Pelagius secundus in prima epistola decretali. Hoc Patres in septima synodo generali. actione sexta. Hoc Nicolaus primus, in epistola ad Michaelē imperatorem, alijque multi alibi testati sunt. Vide Gratianum distinctione. 17. & Albertum Pighium libro sexto hierarch. ecclesiasticæ, capi. 8.

7 ¶ Vno tantum casu generale concilium conuocari potest sine autoritate papæ: idque propter necessitatem vrgentissimam, & inuitabilem: scilicet, cum ob dubiam, incertamque electionē est inter aliquos de papatu contentio: tunc enim p̄ cardinales cōuocari

uocari poterit, quò sciat vniuersalis ecclesiā, quem velut suum pastorem & rectorem sequi debeat. Quæ ratione Constantiense concilium celebrari ceptum est. Ob eam etiam causam temporibus Henrici secundi, congregata Romæ synodo, & schismate profligato, Clemens secundus electus est, vt refert Pighius lib. 6. hierar. ecclesiasti. cap. vlti. Et fortè propter necessitatem similem idem quoque alijs casibus liceret. necessitas enim legi non subijcitur. c. sicut. de consecra. dist. 1. & l. 1. de offic. consu. Ripa. in cap. decernimus. de iudic. Tiraquell. de retractu municipa § 26. glo. 1. nume. 14.

8 ¶ Non solum conuocatio generalis concilij ad summum pontificem pertinet, sed & robur actorum synodaliū totum ab eo pendet. Quod ex omnibus generalibus concilijs euidentissimè constat. Et vt verè Pelagius secundus in prima decretali epistola inquit, Nulla vnquam synodus rata legitur, quæ apostolica autoritate non fuerit fulta. Gelasius quoque in tomo de vinculo anathematis ait, Quæcunque acta cuiuscunque synodi nullius esse roboris, nisi per pontificem Romanum confirmata sint. Totum, inquit, in sedis Apostolicæ positum est potestate. ita quod firmavit in synodo, hoc robur obtinuit. quod refutauit, habere non potuit firmitatem. Et sola sedes apostolica rescindit, quod præter ordinem congregatio synodica putauerat vsurpandum. Hinc est (& Gratianus ait) quòd in plerisque conciliorum capitulis, cum aliquid obseruandum decernitur, statim adiicitur, nisi autoritas Romanæ ecclesiæ aliter fieri imperauerit, vel, saluo tamen in omnibus iure sanctæ Romanæ ecclesiæ. vel, salua tamen in omnibus apostolica autoritate. c. vlt. 25. quæst. 1.

9 ¶ Ex his euidenter intelliges, qualis, quantaque sit generalium conciliorum autoritas. Quæ si quidem contra voluntatem Romani pontificis, aut sine autoritate vel approbatione sedis apostolicæ fuerint celebrata, nullam prorsus autoritatem apostolicam habent. Si verò autoritate papæ facta, vel approbata sint, talis & tanta est eorum autoritas, quanta sedis ipsius apostolicæ, idemque priuilegium & robur habent, in quæcunque corporis ecclesiastici membra: æque sacrosanctum et ratū corū iudiciū,

eiufdemque roboris eorum sententia atque definitio est. Quæ nuncupatim colligit Bartholomæus Mirandensis cotrouersia. 4.

10 ¶ An autem concilium generale iudicare possit papam, quando ille suis criminibus ecclesiam scandalizaret; quidam tenuerunt generalem synodum hoc posse: multisque argumentis speciem veritatis habentibus, id falso probare nituntur. Quibus tamen reiectis veriore sententiam contrariam sequimur, quam corda tiores doctioresque theologi probant. Cuius quædam verissima fundamenta breuiter hic attingemus. Et in primis illud, quod Petrus & summi pontifices constituti sunt ab ipso Christo vniuersalis ecclesiæ pastores cum suprema iurisdictionis authoritate. Quod si quo casu inferior iudicare posset papam, id necessario fieri deberet per aliquam exceptionem ab eodem redemptore positam, & non ab aliquo humano ingenio excogitatum: sed talis exceptio non inuenitur in sacris literis: ergo temerè asseritur. Præterea quæstio hæc videtur decisa. capite Matthæi. 23. vbi deus noster præcepit, vt obediamus prælatis, quamuis eorum vita sit perdita: nõ autem permittit vt eos iudicemus. Et beatus Petrus, etiam discipulis superioribus, parendum esse docet. Ad hæc ipsa rerum natura & ordo non patitur, vt subditus in suum præpositum, ovis in pastorem, inferiora membra in caput suum, iurisdictionis authoritatem exerceant. Postremò nullus locus sacre scripturæ, nulla antiqua traditio ecclesiastica hoc vnquam docuit, aut permisit: vt merito opinatio illa repellenda, atque explodenda sit.

11 ¶ Quinimo antiqua omnis ecclesiastica traditio habet: nec generale concilium: nec alium quempiam iudicem aut prælatum, in papam quantumuis criminofum condemnationis sententiã, vllò modo ferre posse. Hoc Gelasius in epistola ad episcopos Dardaniæ, & Bonifacius martyr testantur, dicentes: quia cunctos iudicaturus à nemine est iudicandus. Hoc etiam asseritur in concilio Sinuessano, quod prima sedes nõ iudicabitur à quoquã. In concilio quoque Romano sub imperatore Valentiniano, dixerunt vno ore patres vniuersi: non licere aduersus Romanum pontificem dicere sententiam. Et in concilio conuocato aduersus Symmachum, præfules pronunciarunt, à se iudicari non posse primæ sedis

sedis episcopum, sed eius causam dei iudicio referuari. Quod & in Apologia Enodij, in quinta Romana synodo confirmata, comprobatum est. Hoc idè asseruerunt episcopi in Romano concilio coram Carolo magno. hoc etiam Bonifacius docet. hoc denique diuus Bernardus in epistola ad Innocentium secundum, & alij multi doctissimi tradunt. Neque obstant ea quæ in concilijs Constantiensi, & Basiliensi in oppositum asserita videntur: quia nec ab ecclesia recepta, nec à summo pontifice sunt approbata, vide. c. nunc autem. 21. distinc. c. patet. & seq. 9. quæstio. 3. Pighiũ lib. 6. hierar. ecclesi. cap. 15. & Miranden. cotrouersia. 4.

12 ¶ Vulgaris ferè omnium recentium theologorum & iurisperitorum opinio est, Papam hæreticum manifestum, per generale concilium puniri posse. idque duabus potissimè rationibus probant. Prima, quia esse christianum, est conditio simpliciter necessaria, vt aliquis sit caput ecclesiæ. hæreticus autem præcisus est ab ecclesia, & alienus à religione, in qua designatus erat caput: & ideò declarari & deponi potest: perinde ac si inuentus esset paganus, iudæus, aut non baptizatus. Altera illorum ratio est, quod cuique se defendere omni iure licet: proptereaque res publica christiana iure defensionis possit hostem religionis à se depellere, atque etiam punire. vide Miranden. cotrouersia. 4.

13 ¶ Sed quamuis hæc opinio propter multorum authoritatem defendi possit, ea tamè his, quæ paulò ante diximus, plurimum aduersatur, Quis enim contra pontificem congregabit vniuersale concilium? Quis summum pastorem iudicare audeat? Qua de mum sacra scriptura, vel ecclesiastica traditio id vnquam licuit, aut probatum est? Vnde fortassis verior sententia est: nec propter hæresim quidem pontificem à quoquam iudicari posse. Monendus potius est, & instanter hortandus, vt catholicam fidem teneat. Post hæc frequenti oratione deum interpellet ecclesia, vt vicarium hereticum corrigat, vel amoueat: qui proculdubio seruis suis prospiciet, & vindictam faciet in populo suo. nõ enim dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel. Vide Fabrum contra Lutherum. tracta. 2. textu. 5.

14 ¶ Est & alia pia satis & erudita sententia: quæ audacter asserit, &

& perdoctè probat: nullum hæcenus pontificem summum fuisse hæreticum: sed neque in futurū esse posse, Quia Christus oratione sua impetrauit, ne vnquam deficeret fides Petri: cuius prærogatiuæ participes facti sunt ipsius Petri successores. Et ex verioribus historijs, ad hæc vsque secula constat, omnes summos pontifices catholicos decessisse. Quod eleganter probat Albertus Pighius lib. 4. hierar. eccle. cap. 8. & post eum Bartho. Mirandè. controuersia. 4. Vide Fran. Picum lib. de fide. theoremate. 8. Alfonso. Castren. lib. 1. aduersus hæreses. cap. 6.

15 ¶ Sacerdotalia medijs generis concilia legitimè congregata, non minoris sunt roboris, quàm generalia: cum in eis, æquè atque in generalibus, intercedat authoritas summi pontificis. Quinimo hæc magis ex sacris literis, quàm illa, originem trahere videntur. Siue enim ad vmbra respicias, Deuteronomij. 17. siue ad euangelicam legem, actorum. 15. vtrouique sacerdotalibus concilijs, quàm vniuersalibus, hæc similia videbis. Nam cum quæstio aliqua de fide, aut religione difficilis oritur & ambigua, tunc summus pontifex conuocare solet concilium sacerdotum, vna scilicet in cathedra apostolica domino ministrantium, hoc est, cardinalium. nonnunquam verò aliorum, vel plurium, vel pauciorum, vel distantium: prout pontifex ipse pro rerum exigentia expedire censuerit: & horum consilio certissimam sententiam profert.

16 ¶ Sunt etiam concilia hæc antiquiora & frequentiora, quàm generalia: nec minus ecclesie vtilia. celebrantur enim commodius, & breuius, & sine magno cuiuspiam dispendio. neque in his episcopi sumptibus & itinere longo fatigantur: neque diu ecclesie pastoribus suis carere coguntur: cum è regione plenaria concilia celebrari nequeant, sine magno totius orbis motu, molestia, & impensa. Et quamuis tota conciliorum authoritas à summo pontifice pendeat, nihilominus tamen valdè vtile est, ex concilij sententia decernere. quia illic vnusquisque ex patribus sententiam suam exponit: & quod vni non succurrit, alter suggerit. Querite & inuenietis, ait veritas. id autem, quod à pluribus queritur, facilius inuenitur. Et Sapiens prouerbiorum vndecimo, Salus, inquit, vbi multa consilia: & integrum est iudicium, quod pluri-

morum

morum sententia confirmatur. Et vt in prouerbio est, Plus videt oculi, quàm oculus. Et quod Iustinianus ait, per ampliores homines perfectissima veritas reuelatur. c. vlti. 20. distinct. c. prudentiam. de offic. delega. l. fi. C. de fideicommissis.

17 ¶ Postremo concilia prouincialia, quæ per singulas prouincias celebrantur, multò minoris sunt authoritatis, quàm vniuersalia, & sacerdotalia, quia tantum roborantur authoritate metropolitani in eis præsentis, proinde inuolida censentur ad diffiniendum & constituendum: profunt tamen ad correctionem & exhortationem, & habent authoritatem imponendi & indicendi, quod aliàs pontificali authoritate statutum est: & in super controuersias inter prouinciales dissoluendi. Quod si per summum pontificem concilia hæc examinata & approbata fuerint, ex tunc pontificalem authoritatem habebunt, iuxta formam approbationis, & confirmationis.

18 ¶ Hæc autè prouincialia concilia bis in anno, aut saltè semel celebrari debent, vt scripsit Hormisdas episcopi Hispaniæ. Et secundo canone primi concilij. & capite vlti. quinti concilij Aurelianensis cauet. quod & maiores nostri plus semel statuerunt in quarto concilio Toletano, canone. 3. & concilij duodecimi canone. 12. Idè quoque præcipitur in sexta synodo generali. canone. 8. & in synodo Zachariæ canone. 1. & in concilio Lateranensi sub Innocètio. 3. canone. 6. Cuius verba sunt, Metropolitani singulis annis cum suis suffraganeis prouincialia non omittant celebrare concilia: in quibus de corrigendis excessibus, & moribus reformatis, præsertim in clero, diligentem habeant cum dei timore tractatum. In summa hoc ipsum alijs multis conciliorum atque pontificum decretis definitum est, vt videre licet apud Gratianum distinct. 18. Quid autem in causa sit, cur hoc tam sanctè ordinatum, toties repetitum, tam diligenter cautum, in desuetudinem abierit; aliorum esto iudicium. Vtilissimum quippè esset, vt hæc synodi restituerentur pristinae dignitati & rigori. Frustra enim in vniuersalibus concilijs necessaria statuuntur, nisi singulis locis minores conuentus eadem curent sedulo obseruari. quod eleganter notauit Hermas lib. 5. de instauranda religione. cap. vltimo.

DE

DE CONFESSIS. CAP. XIII.



CONFessione reorū generaliter crimina omnia probari possunt. Et ea sola est, cui contraire nō licet. Quia confitenti statim illud obijci-
tur, Ex ore tuo te iudico serue nequam. Inde est, quòd solennitas probatoria non requiritur, vbi adest confessio partis. vt inquit Bal. in authen. sed nouo iure. C. si cert. pet. Nec est vlla clarior, aut efficacior probatio, quàm per confessionem partis, ait Roman. consil. 329. Alexander consilio 19. lib. 4. fortior quidem est, quàm testes, si Felino credimus in c. 1. de exceptio. & illa facit notorium, vt idem ait in. cap. cum super. de re iudi. & inter omnes species probationis obtinet principatum. vt inquit Gonsalus. tract. de hæreti. quæstio. 13. Vide Hippolytum in rubrica de probatio. Gratum consil. 61. lib. 2.

1 ¶ Sed quamuis in alijs criminibus sola confessio non sufficiat ad condemnationem, nisi de crimine aliter constet. l. 1. §. item illud. ad fillania. l. 1. §. diuus. de quæstio. & vtrobique notatur: sola tamen confessione probari potest hæresis. Quoniam plerunque de ea aliter constare nequit, cum in animo latere soleat: vnde talis confessio ad condemnationem sufficit. quod asserit Bald. in. l. si quis non dicam. C. de episco. & cleri. Felin. in. c. auditis. de præscriptio. Ponzinibus de Lamijs. nume. 70. Arelatanus de hæreti. nota. 2. Ludo. Carrerius in practica. nume. 169.

2 ¶ Aliquando tamen confessio non sufficit, vt puta, si sit æquiuoca, vel dubia. ea enim non probat. Bal. in authenti. sed nouo iure. C. de ser. fugiti. Romanus consil. 455. Cepola. consil. 77. Socinus consil. 60. lib. 1. Felinus in. cap. at si clerici. num. 1. de iudi. Ponci. nume. 71. regia lex. 6. titu. 13. parte. 3. Sed neque nocet cōfessio erronea. l. confessionibus. de interrogato. actio. l. inde neratius §. vlti. ad leg. aquil. c. vlti. de confes. Signorolus consilio. 155. & 163. Neque probat confessio non verisimilis. glo. & interpretes in. l. 1. C. de confes. Ponzini. de Lamijs. nume. 70. Conferunt. c. quia verisimile. de præsumpt. l. vlt. quod. met. caus. Decius consil. 596. Tiraquel. in. l. si vnquam. C. de reuocan. donatio. nu. 40. Neque nocet

nocet sola confessio minoris reuocata. glo. in. c. 2. de cōfes. lib. 6. Iaf. in. l. nam & postea §. si minor. col. 2. de iureiurā. tametsi Hippolyt. in. l. de minore. nume. 57. de quæstio. asserat, minorem in atrocioribus non posse reuocare confessionem. Quod ex verisimilitudine & circumstantijs constituendum censeo. Vide illum singulari. 445. Et Matthæum Neapolitana decisione. 208.

3 ¶ Similiter confessio tormentis extorta, & intra diem reuocata: & illa, quæ metu instantium tormentorum emissæ est, nisi rata habeatur, non nocet, vt alibi dicemus. Sed quamuis confessio facta persuasione iudicis falsò suadētis immunitatem delicti, eo ipso possit reuocari, si modo vera est opinio Ioannis ab Imola. consil. 109. confessus tamen hæresim tali spe veniæ, reclamare nequit: quia non est verisimilè, quòd quispiam sibi imponat tam atrox crimen. Hoc ait Collecta. in. c. in eos. de hæreti. Quod mihi non sine delectu recipiendum videtur: sed ex personis, & deceptionū qualitate diuersimodè constituendum existimo. Cæterum iudices non debent reos decipere spe veniæ, neque fidem eis dare, quā seruare nequeant. Vide Signorolum consil. 102. & seq. Lucam in l. 1. C. de palati. & domibus domi. lib. 11. Felin. in. c. accedens. 2. vt lite non contesta. Decium in. l. ea est natura cauillationis. de regul. iur. Igneum in. l. 3. §. si ex stipulatu. ad fillania. nume. 42. Ludouicum Gomes in. c. 1. de consti. lib. 6. nume. 143.

4 ¶ Si quis confiteatur se verba hæretica dixisse: sed tamen negat intentionem hæreticam, vt puta, si asserat, verba illa ioco dixisse, vel putans non esse hæretica, vel quippiam simile; nūquid admittetur hæc defensio? Periculosum quidem esset talem excusationem semper admittere. nam cū animi iudicium probari vix possit; iam omnes eluderent condemnationem tali commento, idcirco repellenda est regulariter hæc defensio. non enim admittitur voluntatis quæstio, cū in verbis non est ambiguitas. l. ille, aut ille. de lega. 3. & humanæ aures talia verba nostra iudicant, qualia foris sonant. c. humanæ. 22. quæstio. 5. Nemo dixisse existimatur, nisi quod prius mente agitauerit. l. labeo §. idem tubero. de supellect. lega. Sed interdum ex circumstantijs personarum, locorum, & temporum aliud constituere conueniet: onere probatio-

nis in eum reiecto, qui confessionem criminis ita moderatur, vt crimen excludat. iuxta doctrinam Bar. receptā. in. l. Aurelius §. idem que sijn. de liberatio. lega. & quæ docet Felin. in. c. auditis. de præscriptio. in. c. cum venerabilis. de exceptio. in. c. significasti. de homici. Hippolyt. in practica §. postquam. Boherius decisione. 164. & .243. & eleganter Salomonius in. l. vt vim. de iusti. & iure. prope finem.

5 ¶ Si quis autem ab hæresi ad rectam fidem redire voluerit, confessionem suam in scriptis tradere debet inquisitoribus ceram notario & testibus: & insuper iurabit solenniter se veritatem dicturum de his omnibus, de quibus fuerit interrogatus. Post hæc iudices ab eo querent: quanto tempore in hæresi perstiterit. interrogabuntque de alijs circumstantijs, quibus intelligi possit, vtrū verè, an fictè conuertatur. Et particulatim inquirent de socijs, de oratiõibus, sacrificijs, & cæremonijs. vt cauetur prima instructione Hispalensi. cap. 4. Et hæc proderūt, vt certa sit cõfessio: neque facilè reuocari queat. vide Felinum in capit. cum venerabilis. de exceptio. numero quinto.

6 ¶ Postremò animaduertant inquisitores, ne zelo inquirendæ veritatis, inducant, aut impellant reos ad confitenda crimina, quæ non commiserunt. quod quinta instructione Hispalensi capi. 9. prohibetur. Ad iudicem spectat cuncta rimari, & frequenter interrogare, quousque ad veritatem perueniat. cap. iudicet. 3. quæstio. 7. cap. vlti. 30. quæstio. 5. id tamen ea moderatione faciendū est, ne reus in falsum testimonium præcipitetur. Et hætenus de confessione iudiciali. De sacramentali dicemus, quo loco de occultis tractabimus.

DE CONTVMACIBVS. CAP. XIII.



VM iuxta Pauli doctrinam. capi. 13. epistolæ ad Romanos, principibus, præpositis, & iudicibus parendum & obtemperandum sit: hi qui secus faciunt, & contumaciter eis vel resistunt, vel cõtraducunt, vel non obediunt iusta præcipiētibus, iure

iure meritoque mulctis, pœnis, & bānis, pro cõtumaciæ modo puniri solent. quod & in ciuilibus, & criminalibus in foro ecclesiastico, & seculari vbique feruatur. De quo multa scripserunt iuris cõmentatores, præcipuè Ripa. in. c. 1. de iudic. Lucas in. l. si ad magistratum. C. de decurio. lib. 10. Felin. in. c. ex literis. de constitutu. Hippolyt. in. l. de vnoquoque. de re iudi. & in practica §. postquam: & Casseneus in consuetu. Burgun. rubrica prima §. 7.

1 ¶ Hac ratione suspectus de hæresi, vocatus ab inquisitoribus, vt de fide respondeat: si parere subterfugit, aut contumaciter se absentat: & propter hoc excommunicatus, per annum animo cõtumaci perstiterit in excommunicatione; ex tunc velut hæreticus est condemnandus. c. cum contumacia. de hæreti. lib. 6. quia, vt illic aiunt interpretes, videtur de sua innocentia diffidere, qui iudicium refugit. c. christianis. 11. quæstio. 1. c. decernimus. 3. quæst. 9. c. nullus. de præsumptio.

2 ¶ Annus ille computandus est non utilis, aut intercisus: sed integris & continuis diebus, vt rectè docent Lopus, Ioannes Andr. Domini. & Philip. in dicto cap. cum contumacia. Quod & regulare est, nisi aliud expressim dicatur. l. non solum §. annus. de excusatio. tuto. glo. rubricæ. de varijs & extraordina. præscriptio. Paulus in. l. nunquam §. 1. de vsucapio. Socinus consil. 118. lib. 4. Felin. in. c. quærenti. de offic. delegat. Decius in. c. super eo. 2. de appellatio. Casseneus in consuetu. Burgun. rubrica. 1 §. 8. col. 7.

3 ¶ Ille autem contumax damnari nequit propter contumaciam ante lapsum integri anni: neque ante illum diem iudicatur hæreticus. Vnde hæc utilitas magna elicitur, quòd si moriatur intra illum annum, integri status decedit: neque censetur hæreticus, nisi ab eo die, si superstes fuerit: & ideò bonorum publicatio illud tempus tantum respiciet. Hæc omnia notantur in illo capi. cum contumacia. per Archidia. Ioan. And. Dominicum, & Philippū. & probantur ex dictione, ex tunc, in quam decisio illa suspenditur. Ea enim temporis extremitatem designat. l. 4 §. 1. de conditio. & demonstra. l. penul. de testamta. tute. Felin. in cap. licet causam. de probatio. Decius consilij. 63. & .89.

4 ¶ Et hætenus de contumacia in comparendo: paria dicemus de contumacia

contumacia in respondendo. Nam qui iure interrogatus ab inquisitoribus, ut de fide respondeat, confiteri non vult articulos, de quibus est suspectus; merito damnari potest ut pertinax, & cōuictus. Et ita suo tempore factum fuisse cum quodam schismatico testis est Bonifacius de Vitalinis in clem. i. de vsuris. num. 56. Simile quippiam actum est cum Photio in octaua synodo generali. actione. 5. cui ter interrogato, si susciperet statuta sanctorum patrum, & non respondenti verbum; præsidentes synodo dixerunt, Per silentium nō effugies manifestiorem damnationē. Est quippè cōfessio fidei necessaria loco & tēpore, ut alibi attingam.

5 ¶ Sed quocunque tempore redeat contumax, audiendus est, volens innocentiam suam ostendere. l. annus. de requiren. reis. Potest similiter probare se non fuisse cōtumacem: utique omnibus defensionibus, quæ contumaciam excludant. ut puta, si dixerit, se fuisse legitimè impeditum, ne intra annum comparere posset: vel per se non stetit, quominus iudicibus obtemperaret, aut quippiam simile. l. 2. & seq. si quis cautio. Ioan. Andre. Domini. & Philip. in cap. cum contumacia. Et generaliter quæcūque causa excusare solet à pœna. l. igitur. §. potest. de libera. causa. Decius consil. 690. Hippolytus consil. 2. Ripa. in. l. quod te mihi. si cert. peta. nu. 54. Alcia. in. c. cum non ab homine. de iudic. num. 44.

DE CREDENTIBVS, DEFENSO.
fauto. & receptato.
CAP. XV.



VIDAM sunt hæreticis adhærentes, qui multum catholicis nocent, & valdè suspecti sunt. de quibus hoc loco seorsim dicemus. Primi itaque illorum sunt, quos credentes vocant. Et hi sunt in multiplici differentia. Quidam explicitè credunt hæreticis & eorum erroribus, scientes eos deuiare à fide ecclesiæ: & hi non tam credentes, quàm veri hæretici dicuntur. c. penul. de hæreti. Quinimo eo ipso quòd sciunt illos errores esse damnatos, aut contra fidem ecclesiæ: & nihilominus illis adhærent

rent; censendi sunt hæretici pertinaces, quia non sunt parati ad suscipiendam correctionem ecclesiæ: quippè qui eius doctrinā, & auctoritatem contemnunt. Hæc docet Occam lib. 7. dialogorum. capit. 1. Quæ sunt ex mente omnium diuini & humani iurisperitorum.

1 ¶ Alij sunt hæreticis credentes, qui adhærent quibusdam erroribus contrarijs alicui catholice veritati, quam explicitè credere non tenentur, sed tantum implicitè: & hi non sunt hæretici reputandi, quia ignorantes decipiuntur imagine quadam veritatis. Si vero illas veritates catholicas (quibus errores aduersantur) vel sciant, vel explicitè scire teneantur; hi proculdubio censentur hæretici, quia nequeunt illis erroribus assentiri, nisi pertinaciter cōtemnant ecclesiam: cuius correctionem eo ipso reiiciunt. Hæc item Occam. lib. 7. cap. 7. quem alij posteriores sequuntur.

2 ¶ Sunt & alij, qui licet nullam hæresim in specie credant; de hæreticis tamen bonam habent existimationem, credentes illos esse bonos viros, & rectè de fide sentire: & ob eam causam generali quadam credulitate illis assentiunt: qui tunc demum hæretici sunt, si in sua mala credulitate pertinaciam habuerint: & admoniti illos esse hæreticos, nihilominus in sua opinione persistunt. Nam sicut satis est in vniuersali credere, atque fateri fidem catholicam, ut quispiam habeatur fidelis; sic ex opposito sat est generaliter credere, vera esse, quæ manifestus hæreticus credit & docet, ut is malè credulus censeatur hæreticus. Hæc noster Castrensis. lib. primo. de iusta hæreticorum punitione. capit. decimo septimo. referens Paludanū in lib. 4. sent. dist. 13. quæstio. 3.

3 ¶ Alij credunt hæreticis, ignorantes an discrepent à fide catholica: nullum errorem explicitè habentes, sed magis putantes, hæreticos esse viros bonos, & orthodoxos: & hi quidem nec hæretici sunt, nec aliqua pœna tenentur, ut aiunt Paludanus, & Castrensis, & Occam. lib. 7. capit. 8. Silvester. verbo hæresis. 1. quæstio. 7. & probatur in capit. dixit apostolus. 24. quæstione tertia. & ut eleganter inquit Pighius. lib. 1. hierar. eccle. capi. 5. magnæ cuiusdā auctoritatis doctrinæque magistrum sequi: quandiu & vitæ merito commendatur: nec aperta ecclesiæ censura perstrictus est;

h utique

vtique probabilem excusationem recipit, & venia, misericordiaque dignum est. Cum verò iam detracta illi persona est, sub qua se fellerat, incautosque deceperat: cum iam palàm est, lupū esse, qui se ouem aut pastorem simulauerat, qui ad illum iam palàm rabiētē, ferociētēque vltro accurrunt; necesse est, aut cæcos esse, aut lymphaticos, nec venia digni sunt, nec misericordia.

4 ¶ Præsumuntur & illi hæreticis credere, qui cum illis cōuersantur, & nimiam familiaritatem habent, & qui eorum libros frequenter legunt, & sermones assiduè audiunt, eosue laudant, aut venerantur: aut similia faciunt: vnde iure præsumi queat, quòd illis fidem plenam habent, vt tradit Archidia. in. c. quicūque. de hæreti. lib. 6. & Castrensis prædicto cap. 17. Sed hæc omnia ex cōiecturis pendent, quæ sumendæ sunt ex circumstantijs personarum, locorum, & temporum.

5 ¶ Qui hæreticis credunt: sed nulli errori scienter adherent: quãuis aliquo modo censeantur hæretici, non tamen puniuntur pœnis hæreticorum: sed hi sunt, qui in excommunicationem incidunt: in qua si perstiterint, & intra annum satisfacere cōtempserint, ex tunc ipso iure sunt infames, nec testari possunt: nec ex testamento capere: nec in iudicio quempiam conuenire: nec sententiam ferre: nec patrociniū præstare: nec instrumenta conficere: nec alios actus legitimos facere. Quòd si clerici fuerint, ab omni officio & beneficio deponuntur, neque ministrantur eis ecclesiastica sacramenta: nec sepulturæ traduntur: nec eorum elemosynæ, aut oblationes recipiuntur: & qui communicant illis, excommunicantur. Et tandem omni priuilegio nudantur, vt prolixius cauetur. in cap. excommunicamus. §. credentes. de hæreti, & in constitutione. credentes. C. eo. titu.

6 ¶ Defensores hæreticorum, sicuti credentes, in multiplici sunt differentia. Quidam enim scienter defendunt errores hæreticorum, & hi veri hæretici sunt. De quibus Vrbanus sic ait, Qui aliorum defendit errorem, multò amplius damnabilior est illis, qui errant: quia non solū errat, sed etiã alijs offendicula erroris præparat, & confirmat. Vnde quia magister erroris est, non tantum hæreticus, sed etiã hæresiarcha dicendus est. capit. qui aliorum.

aliorum. 24. quæstio. 3. & in decretis primi concilij Bracharenfis capi. 17. ita scriptum extat, Qui hæreticorum figmenta sequitur, vel defendit, anathema sit.

7 ¶ Alij defendunt hæreticos, ignorantes illos esse impios: & hi pro modo defensionis, aut in culpa erunt, aut illa carebunt: & pœna culpæ commensurabitur. Alij defendunt illos, quos sciūt esse hæreticos: & hi patiuntur easdem pœnas, quas credentibus impositas esse, paulò ante diximus. Sed tamē maior, minorque culpa defensionis arbitrio iudicis pœnam statuet. nam diuersis modis defendi potest hæreticus, scilicet, verbis, aut factis: in iudicio, vel alicubi: cum armis, vel sine armis: & horum omnium causâ faciet rem dissimilem. Vide Guillelmum Occam libro septimo capitulo. 65. Castrensem lib. primo. de iusta hæreticorum punitione. capitulo. 17.

8 ¶ Sed qui defendentes hæreticos impediunt quoquomodo negotium sanctæ inquisitionis; puniendi sunt, iudicium arbitrio, iuxta qualitatem delicti. cap. accusatus. §. vltimo. de hæreticis. libro sexto. Et quamuis hi sint exempti, aut alioqui priuilegiati, possunt nihilominus ab inquisitoribus excommunicari, & per brachium seculare coerceri. c. vt officium. §. vltimo. eodem titulo. Statuta etiã impediunt hoc negotium, nullius momenti sunt, & per censuram ecclesiasticam reuocanda. cap. statutum. r. eiusdem tituli.

9 ¶ Fautores hæreticorum, atque defensores, eodē iure censentur: & per omnia adæquantur, vt est apud Guillel. Occam lib. 7. cap. 27. Adde quòd aduocatus, qui scienter defendit hæreticos & tabellio, qui facit illis instrumenta, hoc ipso notantur infamia. c. si aduersus. de hæreti. Lege autem regia, qui defendit hæreticos in sua iurisdictione: & monitus, atque excommunicatus, per annū non satisfacit; ab eo tempore fit infamis: & omni officio ac dignitate priuatur: & bonis publicatis, exulat. l. vlt. tit. 26. parte. 7. similis ferè constitutio est in regno Sicilia. rub. 2. quã videre poteris.

10 ¶ Aliter censentur fautores, qui magistratus gerunt: aliter priuati. nam ex sola omissione, magistratus censentur fautores: quando hæreticos nō capiūt, & puniunt. c. qui potest. vigesima tertia

h ij quæstio.

quæstio. 3. capi. qui vitijs. 23. quæstio. 8. Priuati verò non dicuntur fauere omittendo ea, quæ ad eorum officium non pertinent, nisi à magistratu aliquid eis fuisset mandatum aduersus hereticos, & sine causa id facere nollent: vel nisi ex officio eis aliquid tale incumberet, vt puta, si officiales essent. Confert cap. ita corporis. 11. quæstione tertia. Docet Brunus libro primo de hæreticis. capitulo quarto. Et rursus libro quinto. cap. 15.

11 ¶ Qui sciens aliquem hæreticum esse, receptauerit illum; is puniendus est tanquam hæreticus: quia defendit hæreticū, & alienum delictum facit suum, vt ait Baldus in l. prima. C. de his qui latro. occulta. & Pōzinibus de Lamijs. numero. 75. Arelatanus de hæreticis. notabili. 31. Castrensis de iusta. hæretico. punitio. libro primo. capitulo. 17. Confert lex. 1. de recepta. & l. penulti. C. ad legem iuli. de vi publi. Sed aliæ pœnæ statutæ sunt iure canonico receptoribus, sicuti credētibus, & fautoribus. capitulo ex communicamus. 1. §. credentes. de hæret. & aliæ cōstitutionibus regni Siciliae. rubrica secunda. vbi notat Matthæus colū. prima. Et per leges Hispanas; qui scienter hæreticū receptat, patitur publicationem domus, in qua receptauit, & ea defertur ecclesiae: nisi fortè fuerit aliena, tūc enim decem libris auri mulctatur: quas si soluere nequeat, fustibus cæditur. l. 5. titulo. 26. parte. 7. Sed hodie qui receptat hæreticos damnatos fugitiuos, vel eos non denunciat, patitur mortis pœnam, & publicationis bonorum: quorum pars tertia iudici, altera cedit accusatori, tertia fisco regio. Pragmatica. 7. Data Cæsaraugustæ, Anno domini. 1498.

12 ¶ Sed qui receptat ignoranter hæreticum, non incidit in supradictas pœnas receptorum: quia non delinquit contra fidem, aut ecclesiam. Quod regularè est in receptantibus per ignorantiam quosunque malefactores. l. 1. C. de deserto. & occultato. lib. 12. & illic notat Lucas, Bartolus, & Platea. in l. omnes profugi. de agricolis. & censi. libro vndecimo. glo. & Bartolus. in l. 1. §. vltimo. de receptat. Signorolus consilio. 125. Aretinus. consilio. 122. Socinus consil. 262. lib. 2. Qui pari ratione illum excusat, qui coactus est per vim receptare. Sequitur Matthæus post Baldum & Romanum in cōstitutionibus Siciliae. rubrica secūda. quæstione tertia

tertia. Quod an ita seruari soleant iudices maleficiorum, ipsi viderint.

13 ¶ Sed quæstionis est, Vtrum receptor probare teneatur ignorantiam, vel non? Respondet Castrensis. lib. 1. de iusta hæretico. punitio. cap. 17. quòd receptori incumbit hoc onus, vt se à culpa immunem ostendat. Sed contrarium supponit Bart. post glo. in l. 1. §. vltimo. de receptato. sequitur Ioan. de Plat. in l. 1. de deserto. & occultato. lib. 12. Romanus consilio. 473. & regula vulgaris est, quòd in dubio præsumitur ignorantia: & onus probandi contrarium incumbit alleganti scientiam. l. verius. de probatio. & illic notat glo. & Romanus consilio. 403. Ab hac tamen regula excipiuntur casus, in quibus scientia præsumitur: & in eis transit onus probandi ignorantiam in eum, qui eam allegat, vt puta, si publicè notū esset, quòd ille receptatus, erat hæreticus: ea enim, quæ publicè diuulgata sunt, quilibet scire præsumitur. l. sed et si pupillus. §. de quo palam. de institoria. Et ex conuersatione præsumitur scientia. c. cum oporteat. et illic notatur. de accusatio. & ex vicinitate. l. si vicinis. C. de nupt. & ex consanguinitate. l. octau. vnde coga. l. de tutela. C. de in integrum restit. nisi aliud suadeat varietas factorum. Alexander in l. titius §. lucius; de liber. & posth. Felinus in c. literis. de præsumptio. Decius consilio. 445. Ripa. & Alcia. in l. 1. si cert. peta. Iuxta prædictas itaque considerationes tenebitur probare ignorantiam receptor, vel contra.

14 ¶ Demum non euitat pœnam, qui receptat scienter consanguineum hæreticum. glo. in c. excommunicamus §. credetes. de hereti. Gonsalus tractatu de hæreticis. quæstio. 13. & Grillandus in tractatu eiusdem tituli. quæstione. 9. confert. capi. legi. 23. quæstione. 8. & capitulū. si infidelis. 28. quæstioe prima. Sed, mea sententia, mitius puniendi sunt, qui consanguineos hæreticos receptant. Neque enim par est eorum delictum, & illorum, qui nihil ad se pertinentes recipiunt, vt inquit Paulus in lege vltima. de receptato. Et naturalis inclinatio, qua consanguineos diligimus, & eos tueri volumus, deleri non potest. Nam vt ait Cicero in dialogo de amicitia, Cum propinquis amicitiam natura ipsa

peperit. Nec præsumendus est consanguineus receptare tanquã hæreticum, sed tanquã consanguineum. l. 3. de tutel. c. requisiti. de testa. Ripa. in. l. ex facto. de vulga. & pupil. nume. 60. Vide Felin. in. c. cum quidam. de iureiuran. numer. 11. & in. c. literas. de præsumptio. num. 20. Hippolytum in. l. diuus. de parrici. nume. 5. & in. l. 1. de raptu. virgi. nume. 196. & consil. 119. Ludoui. Care. tractatu de hæreticis. nume. 168. cum sequen.

DE CVSTODIA REORVM.
CAP. XVI.



IN omnibus criminibus proceditur ad capturã, præhabita secreta probatione, seu informatione de maleficio. nec tunc reus citandus est, ne fugiat, vt inquit Salicetus in. l. 2. C. de exhiben. reis. & Gonfalus. tractatu de hæreti. quæst. 11. sed in crimine hæresis nemo mittendus est in carcerem, absque sufficienti ad eam rem probatione: & ea præcedente, adhuc amplius delibendum est. quarta instructioe Toletana. capitulo sexto. Nam etsi facilè procedi possit ad capturam in alijs delictis; id fit propter leue præiudicium: at in hæresi grauior est sola infamia, quæ nascitur ex captura; quã pœna multorum criminum. Idcirco pro leuibus delictis, & ex quibus hæresis non concluditur, nullus est carceribus mancipandus. quinta instructioe Hispalensi. cap. 4. Sed notorius hæreticus à quocunque priuato capi potest: quia est hostis cõmunis. Quod asserit Gofredus in summa. titu. de hæreti. & Hostiensis similiter in §. qualiter deuitentur. & Albericus in rubrica. C. de hæreti. nume. 5.

- 1 ¶ Inquisitor sine episcopo hæreticum capere potest, & custodiã tutæ mancipare: & ponere in compedibus, vel manicis ferreis. Quod pari iure fieri potest ab episcopo sine inquisitore. Sed tñ alter sine altero nequit, hæreticum damnare ad perpetuos, vel temporales carceres. cle. 1. §. 1. & §. duro. & §. sanè. de hæret. Sed p qualitate criminis, & personarũ, possunt iudices priuatas domos p carceribus assignare. nã leuius custodiri solet, q leuius deliquit
l. diuus.

l. diuus. de offi. præsi. Ias. in. l. si pecuniam §. vlti. de conditio. cau. sa data. Similiter pœnitentibus indicere possunt, vt monasteria, hospitalia, vel priuatas domos pro carceribus habeant sub aliqua pœna in eos exequenda, si inde fugerint. tertia instructioe Vallisolitana capitulo decimo.

- 2 ¶ In vnaquaque prouincia locus designandus est pro damnatis ad perpetuos carceres, vbi illi possint audire diuina sacrificia, & suis manibus victum querere. tertia instructioe Vallisolitana capitulo. 14. Quod aiunt Iacobus de Aluar. & Andreas de Isern. in §. credentes. de statu. & consuetu. lib. feudorum. Et carcer mulierum separetur à carceribus hominum: quia periculosa est sexuum commixtio. l. quoniam. C. de custo. reorum. regia lex. 5. titulo. 29. parte. 7. & antedicto cap. 14. & quarta instructioe Toletana capitulo. 27.
- 3 ¶ Duo sunt constituendi carceris hæreticorum custodes: discreti, industrij, & fideles. Vnus ab episcopo, alter ab inquisitoribus: qui proprijs expensis illos alere tenentur. Quilibet autem custodum habere potest ministrum idoneum. Præterea in vnoquoque conclauis esse debent duæ clauis diuersæ: quarum singulas quisque custodum habeat. Et eas possunt ministris suis cõmittere, vt carceratis deferant necessaria. clem. 1. §. sanè. de hæreticis. Et vt illic aiunt glosa, Cenzelinus, & Bonifacius: non potest conuenire inter inquisitorem & episcopum, vt vnus tantum sit custos carceris: tum, quia id nõ satis tutum videtur. tum etiam, quia hoc eis non inuenitur permissum: nec est eorum causa vel fauore statutum. Quod tamen hodie non est in vsu: sed expeditur, vt seruetur. His adde, quòd carceris custos non debet ministrare captis alimenta: sed vir aliquis idoneus eligendus est ab inquisitoribus in id ministerium. quarta instructioe Toletana. capitulo. 26.
- 4 ¶ Custodes carceris iuramentum præstent coram episcopo, & inquisitore, quòd in custodiendis reis curam & sollicitudinẽ fideliter adhibebunt: & quòd neuter eorũ alloquet carceratos, quin hoc audiat alter custos. iurent præterea, quòd nil subtrahent ex alimentis, nec ex alijs rebus, quæ reis deferendæ sunt. quod simili-

liter iurabunt eorum ministri. clem. 1. §. porro. de hæreti. Vnde intelligis carceres hæreticorū, secretos esse debere: & quòd nullus debet cum eis colloqui. Et hæc sunt valdè necessaria ad eruendam veritatem: vsque adeò, vt vix rectè in hoc crimine procedi possit, nisi hæc seruentur: & ita experientia compertum est.

5 ¶ Hinc post longam deliberationem illud emanauit, quod quarta instructione Toletana cap. 16. cauetur, ne quispiam officialiū, nec ipsemet inquisitor, carcerem solus ingrediatur, nec alloquatur carceratos, nisi coram alio officiali: idque iussu inquisitoris præcedente. quod se ita seruatuos, omnes iurare tenetur. Et mox c. 17. præcipitur, vt nemo videat, nec alloquatur custoditos: præter eum, qui necessaria subministrat. qui eligendus est fidelis, & probus, & iurare tenetur, se non reuelaturum secreta. Et est insuper inquirendus, & scrutandus, ne mandata, vel epistolas captis deferat. Quod & repetitum extat in tertia instructione Vallisolitana cap. 5. vbi prohibetur, ne quispiam carcere inclusos visitet, nec alloquatur: exceptis viris religiosis, qui aliquando colloqui cum eis possint de rebus spiritualibus, vt illorum conscientijs profint, & consulant. idque non aliter, nisi mandato inquisitorum præcedente.

6 ¶ Profectò miratus sum, tot ante secula, hæc expedire, præuidisse Platonem. is enim decimo de legibus prope finē, de custodiendis illis, quos hereticos esse putabat, in hunc modum sanxit, Impij, secretis carceribus mediterraneis coerceantur: & nullus cum ipsis ciuium colloquatur, præter aliquos viros, qui admonentes ad salutem animæ, colloquantur: & statutum illis à iudicibus cibum serui afferat. Hæc ille. Cognouit homo diuinus hoc ipsum valdè expedire, quod & nos vtilissimum esse re ipsa compertum habemus. Et fertur magnum detrimentum sensisse Portugalix regnum annis superioribus, ex apertis carceribus, & colloquutionibus reorum. nam plurimi fugisse dicuntur: & pauci veritatē aperuisse. Additur insuper in dicto cap. 5. quòd inquisitores bis in mense visitent inclusos: & sciscitentur ab eis, an illis necessaria ministrentur: & an benè, vel secus habeant.

7 ¶ Quamuis autem carcer de iure ciuili ad custodiendos homines,

nes, non ad puniendos habeatur. l. aut dānum. §. solent. & l. mādatis. de pœnis. de iure tamen canonico, carcer non solum ad custodiam habetur, sed etiam ad pœnam. c. tuæ. de pœnis. c. quamuis. eodem titulo. lib. 6. Nam cum pœnam mortis non irrogent sacri canones: pœnam carceris in grauioribus criminibus statueresolent: quæ quidem grauisima est, & morti comparatur. l. omnes. C. de pœnis. Et hæc hæreticis inter alias quoque statuitur. c. penul. de hæreti. clericis prius degradatis. c. 1. eodem titulo lib. 6. Vide Felinum in. c. cum non ab homine. de iudic. & in. c. vt famæ. de sentent. excommunicatio. Igneum in. l. 3. §. subuenitur. ad fillania. Brunum libro quinto de hæreticis. cap. 1. 12.

8 ¶ Vir alere non tenetur vxorem damnatam propter hæresim ad perpetuos carceres. Hoc asserit Ioan. Lupus in rubrica de donatio. inter vir. & vxor. §. 64. tum, quia illa est culpa sua indotata: nè pè dote publicata pro hæresi. c. cum secundum. de hæreticis lib. 6. quo casu maritus vxorem alere non tenetur. l. vlt. C. ad velleia. Roman. confi. 517. Alexander in. l. quòd in vxorem. de negotijs, gest. Idem Lupus in. c. per vestras §. 49. Boherius decisione. 22. tū etiā, quia vt vxor à viro alatur, necesse habet in domo viri esse, & in officio eius commorari, ei que operari. l. sicut patronus. & illic notat glo. de oper. liberto. Alex. confi. 133. lib. 4. Socinus consil. 285. lib. 2. Gratus consil. 57. lib. 1. Tiraquel. in prima lege conubiali. nume. 26. hæc autem facere sua culpa nequit vxor ab hæresi rediens, & carceribus inclusa.

9 ¶ Tametsi regulariter ab hæresi ad fidem conuersi detrudendi sint in perpetuos carceres. cap. penul. §. 1. de hæret. hoc tamen hæc distinctionem habet. Quod qui spontè fatentur errores, priusquam denuncientur, vel accusentur; nō debent ad perpetuos carceres dānari. Sed neque hi, qui statim post capturam plenè de se ipsis, de que alijs confitentur: nisi fortè ex iusta causa aliud iudicibus visum fuerit, quæ eodem modo seruanda sunt cum illis, qui antequam publicentur dicta testium, confitentur. & hæc omnia episcoporum & inquisitorum arbitrio relinquuntur. Prima instructione Hispalensi cap. 8. & vndecimo. Qui autem post dicta testificata redeunt: & tunc demum confitentur, cum sciunt se

se esse conuictos; hi ad perpetuos carceres damnandi sunt. vt cauetur capitulo duodecimo eiusdem instructionis.

- 10 ¶ Inquisitori generali reseruatū est, vt circa pœnam perpetui carceris ex causa dispenset, aut illam commutet. quinta instructione Hispalensi cap. 7. Et idem statutum est de habitu & insignijs, quæ pœnitentibus solent iniungi. quarta instructione Toletana cap. 9. & ita restricta est decisio tex. in. cap. vt commissi & necnon. de hæreti. lib. 6. vbi hoc iudicibus concedebatur. Sed hodie solus inquisitor generalis dispensat, idque quamuis reus dānatus sit ad perpetuos & irremissibiles carceres. Puto, quia inferior legē superiori præscribere nequit. c. pen. de maiori. & obed.
- 11 ¶ Solet præterea pœna perpetui carceris post lapsum triennij plerunque remitti: si eo tempore inclusi, humiles, & veri pœnitentes apparuerint. Quod inductum arbitror ex ratione tex. in authen. de mona. & si verò. cuius verba sunt, Ad mediocrem purgationem peccatorum, & ad virtutis augmentum sufficit triennalis temporis testimonium. Conferunt quæ habentur. in. c. legem. 53. distin. & in. c. si seruus. 54. distin. & quæ scripsit Roma. consil. 236. Felinus in. c. cum deputati. de iudicijs. Ripa. in. l. is cui bonis. de verbo. obli. Alciatus lib. 2. præsumptionum. capi. 7. Sed & Plato lib. 10. de legibus, hoc ferè de impijs statuit: nisi quòd quinquennij tempus præfinit, Qui post quinquennium in carcere transactum, modestior factus fuerit; ille in posterum, inquit, vna cum modestis habitet.
- 12 ¶ Si verò inclusus propter hæresim, è carcere fugerit priusquam sententia aduersus eum proferatur; de pœna eius distinguendū est. Nā si ruptis vinculis, aut foribus effractis fugerit; durius puniendus est. Si autem custodis negligentia euaserit; mitius coercebitur. l. i. de effract. & expilato. Sed vulgò dici solet, quòd fugiēs è carcere, pro cōfesso habet. & crimē, pro quo inclusus erat, fateri videtur. l. in eos. de custo. reorum. quod apertius probatur lege regia. 13. titu. 29. parte. 7. & l. 33. tit. vlti. ordinationum. Verū id obtinuit, vt iterum captus fugitiuus, si honestior sit, puniatur durius: si autem vilior, fustibus pro fuga cædatur, & ex integro agatur causa. Quòd si capi non potuerit; procedetur contra illū, tanquam

tanquam contra confessum, & in hæresis crimine, tanquam contra contumacem & impœnitentem. Vide Felinū in. c. nullus. de præsumptio. Boherium decisio. 215. Igneum in. l. 3. §. subuenitur. & in. l. lege. ad sillania.

- 13 ¶ Damnatus tamē pro hæresi ad perpetuos carceres: si inde fugerit; ex hoc solo relapsus conuincitur, & omnis audientia est illi deneganda: quia videtur fictè couersus, & simulatè confessus, & erroris pristini recidiuus. Hæc aiunt Archidiaconus, Ioannes Andreas, & Domini. in. c. vt commissi & necnon. de hæreti. lib. 6. Ioan. de Anania. & Felin. in. c. penul. eodem titu. lib. 5. & Arelatanus in tractatu. notabili. 5. Sed, pace illorum dixerim, hæc mihi manifestè falsa videntur. nam qui è carcere fugit; impœnitens est, non relapsus: vnde si velit pœnitere; audiendus, & recipiendus est: quippe relapsus non est, nisi qui iterum in hæresim labitur. Quod vel ex vi nominis patet. is autem qui fugit, nullam hæresim fuga ipsa committit. Igitur, mea sententia, talis fugitiuus: si quidem in fuga & in pœnitentiā permanferit; damnari potest velut impœnitens. Si verò paratus fuerit ecclesiæ satisfacere; tunc maiore pœnitentiā pro fuga humiliandus, sed tamen admittendus est. Et hæc mihi in hac materia ex manifestis iuris principijs constare videntur.

- 14 ¶ Etiam iuste dānato ad mortē licitū est è carcere fugere: quia nemo tenetur id facere, vnde mors consequatur: quod faceret, si maneret in carcere, cum fugere possit. non tamen debet resistere iudici iuste exequenti, vt inquit Thomas. 2. secundæ. quæstio. 69. articulo vlti. Sed non licet capto rumpere vincula: nec fores carceris frangere, vt fugiat: quia tunc iudici quodammodo resisteret in his, in quibus habet potestati: & iniuriam illi, atque reipublicæ facere videretur, publicam custodiam violando. Et quæ admodum licitum est per alicuius agrum citra iniuriam domini transire, non tamen licet sepem illius pro transitu dirumpere: sic incluso licitum est fugere, sed non ruptis vinculis. Hæc fuit opinio Henrici Gandauensis. quolibet. 9. arti. 25. Et Siluestri in summa. verbo, fugere. Sed contrariam sententiam asserit Caietanus super Thomam loco citato, & Ioan. Driedo. lib. i. de libertate

te christiana, pagina. 226. Mouentur hi sequentibus argumētis. Quia frangere vincula, non est resistere, aut pugnare: nec magis ille facit iniuriam iudici, quàm si damnatus vt pugnet cum leone, occiso illo, fugeret. Nec vera est suprascripta similitudo: quia in fractione sepis, agitur de damno domini: hic autem non vertitur quæstio de damno rupti carceris, sed vtum hæc fractio reducatur ad fugam: an potius ad pugnam, vel resistantiam. Et hæc opinio probabilis est. Adde Ange. in summa, verbo, fugere. Ioã. Maio. in. 4. sententiarum. distin. 15. quæst. 22. & Boherium decisione. 215. numero. 20.

DE DEFUNCTIS. CAP. XVII.



SICVT præciosa est in conspectu domini mors sanctorum eius, vt propheta regius testatur psalmo. 115. sic mors impiorum abominabilis est. Et sicut est memoria iusti cum laudibus, sic nomen impiorum putrescet, vt ait sapiens prouerbiorũ decimo. Quemadmodum igitur sanctorũ mortem ecclesia catholica celebrat, sic impiorum & hæreticorum dånare solet memoriam: vt & iusti lætentur, & cõfundantur iniqui. Et quamuis sit regulare, quod reis vita functis crimen cõpœna extingatur. l. i. & seq. C. si reus, vel accusa. mort. fue. nam præuenti sunt à supremo iudice deo, & vocati ad maius tribunal: nec in solo cadauere crimen hominis puniri potest. Quia vt Plato in Alcibiade inquit, Non est homo hoc, quod videmus, fragile, & terrenum; sed animus est, sed intellectus, qui omnem ambitum cæli, omnẽ decursum temporis excedit. Et multò minus cadauer homo dici potest, cum anima rationali sensuque careat, ac proinde sit incapax pœnæ.

- 1 ¶ Quamuis, inquam, in alijs criminibus regulariter hæc ita se habeant, in crimine tamen hæresis propter eius atrocitatem, nedum ad viuẽtem hominem, sed etiã ad cadauer, ad sepulchrũ, ad ossa, & cineres, ad memoriam denique pœna pertransit. Accusatur itaque de hæresi defunctus, & conuictus damnatur, & bona

bona eius publicantur. c. accusatus § in eo. de hæreti. lib. 6. & insuper declaratur excommunicatus. & excõmunicatur post mortem, quo ad operationes viuẽtium: ne pro illo fiant preces, aut oblationes, neue in loco sacro sepeliatur. c. à nobis. 2. de sentent. excommuni. c. sanè profertur. 24. quæst. 2. Alfonso lib. 2. de iusta hæreti. punitio. cap. 19. & sequenti.

- 2 ¶ Corpora hæreticorum, defensorum, & receptatorum, nõ sunt inter corpora christianorum sepelienda. c. sicut. de hæret. Quinimo qui scienter ecclesiasticæ sepulturæ tradiderit ea, excõmunicationis sententiæ subiacebit: à qua non est absolendus, donec proprijs manibus publicè extumulet, atque proijciat ea. c. 2. de hæreti. lib. 6. prima instructione Hispalensi cap. 20. sed hoc vt proijciantur, tunc demum faciendum est, cum à fidelium corporibus discerni possunt. c. sacris. de sepultu. Quod & Plato. lib. 10. de legibus ferè sensit, cum statuit, impios vita functos extra regionis fines insepultos eijciendos. Qui autem inquit, eos sepelirit; impietatis crimine à volente accusetur.
- 3 ¶ Pœna hæc priuationis ecclesiasticæ sepulturæ ab hæreticorum excommunicatione descendit. nullus enim in excommunicatione decedens potest in loco sacro sepeliri. clem. i. de sepultu. Quoniam is, pro quo non licet orare, indignus est, qui in loco sacro sepeliatur. Non enim ob aliam causam corpora defunctorum in sacris locis sepeliuntur, nisi vt qui eadem loca ingrediuntur, pro illis deum precentur. Et propter hæc causam sepulchra mortuorum dicuntur monumenta: quia monèt viuorum mentes, vt defunctorum recordentur. Hæc Augustinus lib. de cura pro mortuis agenda. Et Castrensis lib. 2. de iusta hæreti. punitio. cap. 18.
- 4 ¶ Sed neque ossa, neque cineres hæreticorum sepeliri debent: vt rectè aiunt Lopus, & Dominicus in. c. super eo. de hæreti. lib. 6. Quia eadem est ratio prohibitionis circa hæc, atque circa corpora. cõ autem ratio dissimilis est, vt puta, quia pœna in igne suos limites habet, tunc ossa, & cineres peti possunt, vt sepulturæ tradantur. Et hoc casu exaudienda est lex. 2. de cadaue. puni. quòd si plura desideras, vide Dionysium de ecclesiast. hierar. cap. 7. Ambrosium lib. de Thobia. cap. 1. Chrysoptomũ super Genesim, homilia

milia. 66. Augustinum lib. 1. de ciuitate dei. cap. 12. Platonem. 12 de legibus. Laetantium lib. 6. diuinarum institutionum. cap. 12. Plutarchum in vita Licurgi. Alexandrum. lib. 3. genialium dierum. cap. 2. & 7. Thomam. 2. secundae. quaest. 32. arti. 2. Abulensem Leuitici. 10. quaest. 9. & vlti. Titelmanum in ecclesiasticum. cap. 6. Alfonso lib. 13. aduersus haereses. verbo, sepultura. & Castellenum in catalogo. parte. 2. considera. 5. & 6.

5 ¶ Præterea memoria & fama hæretici defuncti damnatur. c. accusatus §. in eo. de hæreti. lib. 6. & in concilio Constantiensi sessione. 8. in fine, in hunc modum scriptum est, Concilium pronunciat hæreticum Ioannem Vuicleff, ac memoriam eiusdem condemnat, & mandat exhumari ossa ipsius, & cremari. Sed procedi non debet contra memoriam defuncti, nisi prius de illius hæresi cõstet per legitimas probationes, quæ ad condemnationem sufficiant. Quod iustissimè cautum est, quarta instructione Toletana. cap. 7. Cui ad stipulatur, quod Occam scripsit lib. 4. capi. 20. dicens, non posse accusari defunctum propterea quod hæresim dixerit, vel scripserit: nisi prius de pertinacia eius constiterit. Quia nõ sequitur, dixit, vel scripsit hæresim; ergo fuit hæreticus. Adde quod plenior clariorque probatio exigitur contra defunctum, qui se defendere nequit, quam contra viuum. Et hæc etiam ratio est, qua maior sollemnitas in testamentis requiritur, quam in alijs actibus viuentium. vt Aristoteles docet (si modo veri sunt eius interpretes) problemate. 3. particula. 29. & Bal. in. c. 18. si quis. si de inuesti. inter domi. & vassal. lib. feudorum.

6 ¶ Contra eum qui contumax defunctus est, procedi potest, sicut contra verum hæreticum. Quia violenta præsumptio contumaciæ pro legitima hæresis probatione habetur. c. cum contumacia. de hæreti. lib. 6. & est apud Egidium Bellameram. decisione 677. Illud autem dubitatione caret, quod idem Egidius alia decisione. 680. scripsit, procedi posse contra accusatum de hæresi, qui, lite pendente, mortuus est. hoc enim multò magis fieri potest, quam contra defunctum nondum accusatum. l. 1. C. ex deli. defuncto. cum vulgatis.

7 ¶ Nonnulli putant post quinquennium à die mortis, hæreticum accusari

accusari non posse. l. 2. & illic glos. & Bart. C. de aposta. verior tamen sententia est, quod post quadraginta annos accusari, & condemnari queat, vt probat Felinus in. c. cum nobis. de præscriptio. Brunus. lib. 5. de hæreticis. cap. 17. Et nuncupatim cauetur prima instructione Hispalensi. cap. 20. vbi & illud additur, quod filij, & hæredes, & hi omnes, quorum interest, vocandi sunt ad memoriam, & bona defuncti defendenda: quæ est regula iuris generalis, & vulgatissima. l. nam ita diuus. de adoptio. Et est expressim decisum. in. c. filij. de hæret. lib. 6. in quo nimius est Egidius decisione 678. Hoc amplius persuadere conatur Albericus in rubrica. C. de hæreti. nu. 15. quemlibet sine delectu ad hanc defensionem admittendum esse, cuius opinionis etiam est Egidius decisione. 679. Sed hæc vix recipienda puto: ne iudicium sit frustratorium: & quia hi tantum, quorum priuatim interest, à iure vocantur, & nõ alij. l. cuius interfuit. de furtis. cum simi.

8 ¶ Qui autem præsentis fuerint ex his, quorum interest, citandi sunt ad hanc defensionem: absentes verò, per edicta vocandi. c. vlti. de elect. lib. 6. cap. 20. primæ instructionis Hispalensis. Egidius decisione. 679. & hoc generale etiam est. Et interdum incerti & absentes vocari solent per præconem. l. si eo tempore. C. de remis. pigno. de quo Roma. consil. 410. Cardinalis consil. 74. Socinus consil. 56. lib. 4. Alexan. consil. 107. lib. 5. Felinus in. c. grati. de offi. delega. Ripa. in. l. rem quæ nobis. de acquirend. posse. Alciatus in rubr. & in cap. 1. de præscriptioni.

9 ¶ Si vero constiterit eos, qui defuncti sunt, hæreticos fuisse; bona eorum publicantur, & à quocunque successore auferuntur cum fructibus perceptis. Hæc statuta sunt, capi. vigesimo supradicto. Quod vltimum videtur plenum rigore, & in damnum innocetum: ad quos fortè titulo oneroso bona illa, fide optima peruenerunt. Neque enim solet bonæ fidei possessor fructus perceptos restituere, nisi à die contestationis. l. sed & si lege §. 1. & seq. de peti. hæredi. l. terminato. C. de fructib. & litium expen. subiungitur ibidem, quod successores catholici bonæ fidei possessores, non teneantur ad restitutionem; nisi eorū prædecessores hæretici accusati fuerint intra quinquennium à die mortis. quod exaudiri oportet,

oportet, de restitutione fructuum, non autem de restitutione bonorum: quia in præcedentibus verbis dictum fuerat, quod bona hæreticorum præscribi nequeunt, nisi per quadragenariam præscriptionem, quod iure canonico similiter statutum est. c. 2. de præscriptio. lib. 6. Nec verisimile est, quod se incontinenti correxerint. l. nam ad ea. de conditio. & demonstra. nectalis interpretatio capienda est, quæ iuri repugnet. l. ex facto. de vulga. & pupi. l. si quando. C. de in officio. testa. Et tandem illa vltima verba referenda sunt ad proximiora, non ad remotiora. l. si idē. §. vlt. de iurisd. om. iudi.

10 ¶ Priusquæ de illis loquar, qui in carcere inclusi pro hæresi, mortem sibi conscuerunt; non erit iniucundum quædam de hoc breuiter prælibare. Fuit enim error execrandus multorum: sed eorum qui verum deum ignorarunt: quod spe vitæ melioris, aut pro gloria adipiscenda, vel tædio vitæ præsentis, vel pro dedecore, vel dolore fugiendo, liceret sibi manus inferre, vsque adeo, vt Plinius dixerit, hoc esse optimum, quod natura dedit in tantis vitæ pœnis. Vnde Cato vticēsis, Brutus, Marcus antonius, Cleombrotus, Empedocles, Chrysiippus, Zeno, Cleates, multique alij, qui viri fortes, prudentes, & sapientes habebantur, impias sibi manus intulerunt. Contra quos verissima rectius philosophantium sententia est, nemini vnquam licuisse, mortem sibi consciscere: nec esse id viri sapientis, aut fortis. Nam vt est apud Curtium. lib. 5. fortium virorum est, magis mortem contemnere, quam odisse vitam. Hoc asserit Plato in Phedone, & iterum. 9. de legibus. Hoc Aristoteles lib. 5. Ethicorum. cap. 11. Hoc diuus Augustinus. lib. 1. de ciuitate dei cap. 22. Hoc denique tradunt philosophi, & catholici omnes.

11 ¶ Sed hoc amplius habet christiana religio, impium esse, ac detestabile facinus, & damnabile scelus, seipsum occidere, vbi locus salubris pœnitentiæ non relinquatur. Hoc docet Origenes commentariorum in Iob. cap. 2. Lactantius. lib. 3. diuinarum institutionum. ca. 18. Chrysostomus in epistolam Pauli ad Galathas. Hieronymus in epistola ad Paulam. Augustinus. lib. 1. de ciuitate dei cap. 17. & deinceps. Thomas. 2. secundæ. quæst. 64. art. 5. & alij sexcenti, quorum argumenta in hanc rem vt verissima, ita & fortissima & euidētissima sunt. Et vt inquit Augustinus. cap. 20. nulla est

est autoritas, quæ christianis in qualibet causa ius voluntarię necis attribuat. Neque enim frustra in sanctis, canonicisque libris, nusquam nobis diuinitus præceptum permissumue reperiri potest, vt vel ipse adipiscendæ immortalitatis, vel vllius carēdi, cauendique mali causa, nobismetipsis necem inferamus. quod certe non fuisset ommissum à summo deo legislatore nostro, si id vlllo casu liceret.

12 ¶ Quid, quod in diuino illo præcepto, Non occides, quo non alia, quàm hominis occisio prohibetur, euidētissimè includitur; neminem seipsum occidere posse. nam si non alterum; ergo nec seipsum. nec enim qui se occidit, aliud quàm hominem occidit. Præterea hoc facinus cōtra naturalem inclinationem est: aduersus quam quidquid fit, peccatum est, vt docent theologij. Dedit enim ipsa natura, vt inquit Cicero, virtutum omnium initia: eademque rebus omnibus eam vim inferuit, vt appetant sui conseruationem, & resistent corruptioni. vt experientia docet, & Aristoteles tradit. 2. de generatione. Deinde qui se occidit, facit iniuriam reipublicæ, cuius vnusquisque membrum est. aufert enim ab ea, quod suum est, præter leges, & ipsius consensum. Ad hæc homicida sui maximè cōtra charitatem operatur. nec enim minus nos ipsos diligere debemus, quàm proximos. Inquit enim præceptum diuinum, Diliges proximum, sicut teipsum. Vnde ordo charitatis incipit ab habente. l. præses. C. de seruitu. & aqua.

13 ¶ Adde, quod homo non est dñs vitæ, sed solus deus vitæ largitor. Vnde ipse in Deutero. cap. 22. ait, Ego occidam, & ego viuere faciā. Et alibi sapiens inquit. c. 16. Tu es domine, qui vitæ, & mortis habes potestatem. Ergo deum offendit, quod quod illius est, illicitè vsurpat. Ideoque rectè Plato in Phedone nephas esse dicit, hominem sibi met manus afferre: nec aliter irasci deum, si id fiat, quàm dñm, si quod semācipiorum occiderit. Planè si quo casu id liceret, tunc esset maximè, cum homo absque peccato est, vel statim post baptismum, vel post rectam pœnitentiā: sed tunc minus licet, quia maius peccatum committeret, occidendo innocentem. c. si non licet. 23. q. 5. ergo nullo casu licet.

14 ¶ Postremò desertor militiæ, quæ à statione discedit iniussu ducis, capite puniendus est. l. non oēs. §. desertor. de re milit. sed multo magis est delinquit

delinquit vitę defertor: quę eā deferat, opus dei dissoluit: ergo maior suplicio, maioręq; execratione dignus est. Vnde rectę Pythagoras dixit: iniussu dei, de præsidio, & statiõne vitę discedere nõ licere. Sumus em̄ hic oēs velut in acie, loco vnicuiq; suo ab impatore deo assignato: iuxta quod antiquissimus ppheta inqt, Militia est vita hominum super terram. Et alibi dicitur, esse nobis colluctationem aduersus carnem, & mundum, & contra principes tenebrarum. Et quod facti sumus spectaculum deo, angelis, & hominibus. Et Cicero in somno Scipionis inquit, Pius omnibus retinendus est animus in custodia corporis: nec iniussu eius, à quo ille est nobis datus, ex hominum vita migrandum est: ne munus humanum assignatum à deo, defugisse videantur. Iosephus quoque ait lib. 3. de bello iudaico cap. 14. Qui dei depositum ex corpore proprio eiecerit, maximè peccat. nam qui corporis vincula dissoluit, quę lege diuina innexa sunt, is proculdubiõ legem dei subuertit. nec licet animam soluere, nisi ei qui ligauit, qui posuit thesaurum istum in vasis fictilibus: quiq; ut eum seruemus, nobis facultatem concessit, ut vim omnem, atque iniuriam propulsare possimus. l. ut vim. de iusti. & iur. vbi latissimè traditur. Vide Tiraquellum de nobilitate. capitulo. 31. numero. 520.

15 ¶ Et generaliter nulli vnquam seipsum occidere licuit, aut licet: nisi ipse fons iustitię deus specialiter hoc, aut præceperit, aut certissima inspiratiõne sua scribit. Quibus casibus rectè defenditur Samson, & laudantur ea in re martyres quidam ab Eusebio. lib. 8. historię ecclesiasticę. c. 12. & iterũ. c. 17. quod tunc probabilius presumetur: cū castitas periclitabatur, ut Hierony. sentit in. c. nõ est nostrum. 23. q. 5. Multa tamẽ licent, ex quibus mors vel sequitur, vel acceleratur: sed tñ præter intentionem inferendi sibi mortem. ut puta, licet se non defendere ab interficiẽte: licet panẽ alteri largiri in extrema necessitate: licet dãnato ad mortẽ non fugere: licet visitare infirmos tẽpore pestis: licet nauigare tẽpore periculo: licet in bello iusto pugnare: licet abstinentia vitam breuiorem reddere: aliaque multa id genus licent, in quibus etsi mors interdum sequatur, non tamen ex intentione morientis. Vide cap. displicet. 23. quæstio. 4. cap. si non licet. cum seq. ea. caus. quæstio. 5.

¶ De

16 ¶ De his autem, qui se occidunt in carcere, in quo detinebantur pro crimine hæresis; Gonsalus noster ait in tractatu de hæretica prauitate quæst. 22. quod conscientia criminis se occidisse videatur, si post accusationem sibi manus intulerunt. Quod sentiunt glo. & Barto. in. l. vlti. C. de iur. fisci. lib. 10. vnde consequitur, ut eisdem pœnis teneantur, quibus punirentur, si eorũ hæresis fuisset plenè probata. l. vlti. de bonis. eorum. Crederem equidem, qd hi semper conscientia criminis se ipsos occidere cẽseantur, ut merito pœnis hæreticorum sint coercendi, nisi hæredes probauerint eorum innocentiam: & quod ob aliam causam se occiderunt. Quod perquam rarò fieri poterit.

17 ¶ Sunt quippè hi omni execratione digni, & qui propriè peccat in spiritum sanctum: quorum peccatum non remittetur vnquã, nec in hoc seculo, nec in futuro, ut habet euangelica veritas Matthæi cap. 12. ideo pro his ecclesia non recipit oblationes, nec facit cõmemorationes, nec cum psalmis eos sepelit. c. placuit. 23. q. 5. Et secundo concilio Aurelianensi canone. 14. & concilio Alti-siodorensi canone. 17. sed & Romanorum legibus bona eorũ publicantur, & hæredem non habent, & intestabiles sunt. l. vlti. de bonis eorum. l. si quis filio & eius. de iniusto. rupt. & irrit. testa. l. parricidij. ad leg. Pompe. de parrici. Et eadem legibus regijs cauëtur. l. 24. ti. 1. parte. 7. & l. 9. ti. 13. & l. 19. titulo vlt. lib. 8. ordina.

18 ¶ Quod si plura desideras de his qui se, vel occidunt, vel mutilat, vide cap. maritum. 33. dist. l. cum autem & malus. de ædiliti. edic. l. peculium. 2. & si ipse. de peculio. l. lege cornelia & vlti. de sicarijs. & illic Hippolytum. c. 3. de corpore vitiat. Valerium lib. 7. cap. de testamentis quæ rescissa sunt. Basilium. lib. de virginitate. Eusebium lib. 6. ecclesiasticę historię. capit. 6. Plutarchum de claris mulieribus. c. 11. Corneum cõsil. 195. lib. 2. Felinum. in. c. contingit. 1. de senten. excommunic. Iaso. in. l. 1. de seruis fugiti. Guil- lelmum. in. c. rainutius. de testa. parte. mortuo. 1. nu. 43. & deinceps. Ioannem Lupum in rubrica de donatio. inter vir. & vxor. & 70. & 80. episcopum Abulensem. 1. regum. 31. quæst. 9. & lib. 2. cap. 17. quæst. 19. & lib. 3. cap. 16. quæstio. 11. & capi. 19. quæstio. 4. Senecam episto. 24. Gellium lib. 15. capi. 10.

i ij ¶ Contra

19 ¶ Contra defunctos procedere debent iudices breuiter, longis ambagibus reiectis: neque superfedant in causa propter inopiã probationis, nisi fortè verisimilè sit, q̄ intra breue tempus aliã probationes accedent. Sed si plena probatio non fuerit, absoluãt ab instantia iudicij: & protinus de hoc sententiam proferant: ne alioqui lites prorogentur, in damnum successorum: qui cum bona sint apud sequestrum, interim illis vti nequeunt. Hęc prudenter statuta sunt quarta instructione Toletana. cap. 7.

20 ¶ Postremò notauimus formam procedēdi contra defunctos: quam hoc loco describimus ex octaua sessione concilij Constantiensis, in hęc verba, Quia autoritate sententię, & decreti romani concilij, & mandato sedis apostolicę, datis dilationibus debitis, processum fuit super condemnatione Ioannis Vuicleff, & sue memorię, edictis propositis, denunciationibusque, ad vocandũ omnes, qui eundem, vel eius memoriam defendere vellent: si qui penitus existerent: nullus comparuit, qui eundem, vel eius memoriam defenderet. Examinatis insuper testibus super impoenitentia finali, pertinacięque dicti Vuicleff, per commissarios deputatos: seruatisq; seruandis, put in tali negotio postulat ordo iuris. Et eius impoenitētia, & finali pertinacię per euidētia signa testibus legitimis cõprobata, fuit legitimè facta fides. Propterea instãte procuratore fiscali, edictoq; pposito ad audiendã sententiam ad hanc diem: hęc sancta synodus declarat, & diffinit, eundem Ioannem Vuicleff notorium hęreticum fuisse: & pertinacem in hac hęresi decessisse, anathematizando ipsum, pariter & suam memoriam condemnando. Decernitque eius corpus, & ossa, si ab alijs fidelibus corporibus discerni possunt, exhumari, & procul ab ecclesię sepultura iactari, secundum canonicas & legitimas sanctiones. Et iudices interrogati, an ita placeret? responderunt, q̄ placeret. Et approbauerunt omnia prædicta.

DE

DE DENUNCIATIONE.

CAP. XVIII.



DVERSVS hęreticos nō solũ proceditur per accusationē, sed & per denūciationem: qua priuati iudicibus deferūt quicquid sciunt dictum; aut factum contra fidem catholicam, & legem euangelicã. Horum autem denunciatorum zelus laudabilis est: & vsque adeò necessarium eorum officium, vt iam deserit esse voluntariũ. Cõpelluntur enim omnes christiani censuris ecclesiasticis ad hanc denūciationem faciendam, edictis à iudicibus in hoc promulgatis. quod non longè abest ab eo, quod ante multa secula Plato libro decimo de legibus statuit, in hęc verba, Si quis impiè quippiam agit, vel loquitur: qui fortè presens fuerit, deos defendat, magistratibus significet: quorum qui primi audierint, ad harum rerum iudicium secundum leges deferant. Quod si quis magistratus audierit, nec detulerit; ipse impietatis reus fiat: & qui velit, pro vltione legum prosequatur. Hęc ille prudentissimè statuit.

1 ¶ Ergo vnusquisque tenetur hęreticũ denunciare: tũ pro sinceritate fidei tuenda, in qua salus christiana cõsistit. tum etiam, quia crimen hoc vergit in spirituale multorum detrimentum. nam vt apostolus ait, sermo eorum vt cancer serpit. Et hęc est recepta sententia, quam ter sanctus Leo sermo. 5. de ieiunio decimi mensis comprobatur, hoc verborum tenore, Illud quoque dilectissimi obsecrans moneo, vt sicui vestrum innotuerit, vbi habitent hęretici, vbi doceant, quos frequentent, & in quorum societate requiescant, nostrę sollicitudini fideliter indicetis. Quia parum prodest vnique, q̄ protegente spiritu sancto, ab istis ipse non capitur: si cum alijs capi intelligit, non mouetur. Contra communes hostes pro salute communi, vna communis debet esse vigilantia, ne de alicuius membri vulnere, etiam alia possint membra corrumpi. Et qui tales non prodendos putant, in iudicio Christi inueniantur rei de silentio, etiam si non contaminentur assensu. Et reliqua in hanc sententiam, quę illic videri
i iij possunt,

possunt, & refert Brunus. lib. 6. de hæreti. cap. 1.

- 2 ¶ Quinimo & si hæresis occulta sit, est nihilominus iudicibus reuelanda, vt est in Deuteronomio. cap. 13. vbi dicitur, q̄ si clā quispiam dixerit hæresim, non tamen est occultandus. Et ita sentit Thomas. 2. secundæ. quæst. 70. arti. 1. & ibidem Caietanus. Iacobus de aluaro. in §. credentes. de statu. & cōsuetu. lib. feudorum. & Alfonsus noster. lib. 2. de iusta hæretico. punitio. cap. 25. vbi illum reputat violenter suspectum de hæresi, qui non reuelat hæreticum. quod tamen recipiendum non est sine delectu. nam ex varijs circumstantijs, maior, minörue suspitio potest oriri. Adde, q̄ reuelari debet hæreticus, non obstante fide, aut iuramento de non reuelando, vt alibi dicam. Et vt verè Nicomachus apud Curtium. lib. 6. inquit, nulla quispiam religione constringi potest, vt scelus tegat. Cætera quæ hic desunt, in capit. de filijs. & item de occultis inuenies.

DE DISPUTATIONE.

CAP. XIX.



M hæreticis pertinacibus non est publicè disputandum: hi enim quærunt inanem gloriam: & parati non sunt ad sanam doctrinam suscipiendam: sed magis appetunt occasionem, qua suam impietatem probabiliorem vulgo reddant. Ideo talem disputationem prohibet apostolus epistolæ secundæ ad Timotheum. cap. 2. dicens, Noli verbis contendere: ad nil enim utile est, nisi ad subuersionem audientium. Et prioris ad corinthios c. 2. inquit, Si quis videtur esse contentiosus, nos talē consuetudine nō habemus, neque ecclesia dei. Et posterioris ad eosdē epistolæ. c. 10. docet captiuandum esse intellectū in obsequiū Christi: nō autem rebellandum humanis rationibus. nam sapientia huius mundi, qua nituntur hæretici, stultitia est apud deum.

- 1 ¶ Hoc quoque idem Paulus epistolæ ad Titum. capit. 3. euidenter prohibet, inquiens, Hæreticū hominē post vnā & alterā disputationē deuita. Post correptionē dixit, nō post vnā & alterā disputationem

tationē. neque enim est nobis cū illo disputandū, quē vitare debemus, quem scimus esse subuersum, & suo ipsius iudicio damnatum. Hi quippè sunt de quibus alibi ait, Mali homines, & seductores proficient in peius, errantes, & in errorem mittentes. Has disputationes maiores nostri sanctissimè prohibuerunt, in decimo quarto concilio Toletano capit. 10. vbi tale decretum extat. Cauemus hæreticorum muscipulas: non nobis inanium quæstionum tendicula præparemus, quibus inanis gloriæ cupidi discutere audemus, quæ summa sunt. neque enim quæ sunt diuina discutienda sunt, sed credenda. non enim se deus discutere iubet, sed credere. credimus ergo non sensibus nostris, sed indubitatis conciliorum præcorum dogmatibus. hæc ibi.

- 2 ¶ Hoc etiam Tertulianus, libro de præscriptis hæreticorum confirmat, dicens inter alias, q̄ huiusmodi disputationibus, non modo non conuertuntur hæretici, sed audaciores etiam redduntur. Et in ipso congressu, inquit, firmos quidem fatigant, infirmos capiunt, medios cum scrupulo dimittunt. Hoc idem diuinitissimus Leo tribus epistolis eleganter docet, scilicet, epistola. 48. & iterum. 73. & rursus epistola. 76. Hoc similiter tradit Gregorius lib. 8. moralium. cap. 2. Chrysostomus quoque homilia. 24. in expositione secunda super Matthæum. Malitia, inquit, frequenter quidem vincitur, nunquam autem placatur. Audi ergo homo fidelis, qui contra hæreticum libenter contendis. Si pharisæi victi, placati non sunt: & tu certando cōtra hæreticum potes eum placare cum viceris? Nūquid fortior Christo es, vt quos ille non placuit, tu placabis? Cui consonat quod Bernardus ait super cantica homilia. 65. nec rationibus conuincuntur hæretici, quia non intelligunt: neque autoritatibus corriguntur, quia non recipiunt: neque flectuntur suasionibus, quia subuersi sunt. probatum est, mori magis volunt, quàm conuerti: horum finis interitus: horum nouissima incendium manet.

- 3 ¶ Hoc in super orthodoxorū principū cōstitutionibus prohibet, in rubrica. & l. 3. C. de sum. trini. & i actiōe. 3. cōcilij Chalcedon. & iterū actiōe. 6. & regia lege. 46. ti. 5. pte. 1. & cap. 2. §. 1. de hære. lib. 6. Sed neq; illa disputada sunt, quæ iā olim fuere decisa, vt ha

betur in prædicta. l. 3. & in. c. maiores. 24. quæst. 1. Quod si decreta salubriter cuiquã liceret iterare, nullum contra singulos quosque prorsus errores stabilè persisteret ecclesiæ constitutũ, ac semper iisdem furoribus recidiuis omnis integra definitio turbaretur, vt ait Gelasius in epistola ad episcopos Dardaniæ. neque enim licet priuatis, sed neque iudicibus, de legibus iudicare, sed secundum ipsas. c. in istis. 4. distin. docet Plato. lib. 1. de legibus. commendat Eusebius. lib. 12. præparationis euangelicæ. sequitur Marcellinus. lib. de religione christiana. refert Brunus. lib. 6. de hæreticis. capit. 8.

4 ¶ Coram solis doctis viris licitum est atque utilè interdum cum hæreticis disputare. Quia sic fortè cogentur fateri veritatem: & conuinci, atque conuerti poterunt. Quo casu exaudiendum est, id quod Bernardus in canticis, sermone. 64. inquit: capiantur hæretici, non armis, sed argumentis, quibus refellantur errores eorum. Hoc autè fieri debet à viris doctis, & exercitatis, vt ait Hieronymus in Ecclesiastem, ne alioquĩ vinci videantur catholici. iuxta illud Ecclesiasti. 10. Qui scindit ligna, periclitabitur in eis, si retusum fuerit ferrum. Sunt & alia necessaria in hac disputatione. vt puta, causa, locus, tempus, modus, & quæ tractat eleganter Brunus lib. 3. de hæreti. cap. 12. & seq. & Hermas doctissimus lib. 2. de instauranda religione. cap. 7. & deinceps.

5 ¶ Aliquando etiam est necessarium cum hæreticis disputare, vt gloria dei manifestetur, & veritas catholica defendatur, & vt ipsi hæretici confundantur. nam ob hoc Paulus ait epistolæ ad Titum cap. 1. Oportet episcopum doctum esse, vt sit potens exhortari in sacra doctrina, & eos qui contradicunt arguere. Et beatus Petrus præcipit episcopis, vt sint parati ad satisfactionem reddendam de fide. cap. 3. epistolæ primæ. Sic ipse Paulus cum iudeis & gentibus ardentissimè disputauit, vt videre est, actorũ. cap. 17. Sic Athanasius, alijque viri sanctitate, doctrinaque celeberrimi sepe cum hæreticis disputasse feruntur.

6 ¶ Et generaliter viri docti & catholici, exercitij gratia, vt instructiores, ac disertiores fiant, licitè disputare inter se possunt de quibuscunque rebus. Quia eorum intentio laudabilis est: & habet circumstantias

circumstantias debitas. Nusquam tamen reuocare debent in dubium veritates fidei: nec publicè disputanda sunt propositiones hæreticæ, aut scandalosæ, nec illæ, quæ vires audientis populi superant: & in quibus errare facilè potest. Ideo inter illos abusus, quos ætate nostra corrigi oportere, cardinalium cœtus Paulo tertio indicauit, hic est non postremus: quod sæpe disputari soleat coram populo de rebus diuinis valdè irreuerenter. His adde quorundam procaciam, qui clamoribus, & scõmatibus falsas & impias opiniones, veras & pias ostendere interdum conantur: idque vsquæ ad eò contendunt, vt iuxta Publij mimi senariolum, nimium disputando veritas amittatur.

7 ¶ Sed quamuis, vt prædiximus, non semper liceat cum hæreticis disputare; semper tamen utilè ac laudabilè est, contra hæreticos scribere: quod sanctissimi & eruditissimi viri cum magna ecclesiæ catholicæ utilitate, multis voluminibus fecerunt. Beatos ille putauit, quibus decorum munere datum est: aut facere scribenda, aut scribere legenda. Beatissimos verò, quibus vtrunque. Ego verò illos iudico ter quaterque beatos, qui pro fide catholica tuenda, & extirpandis hæresibus, piè atque eruditè scripserunt: quibus apud deum & homines præmium & honorem paratum esse non dubito. Plura de hac re inuenies apud Thomam & Caietanum. 2. secundæ. quæst. 10. arti. 7. Angelum, Siluestrũ, & Caietanum in summis. verbo. disputare. Gosalum. de hæreticis. q. 21. Ecchium in enchiridio. cap. 28. Alfonso lib. 1. de iusta hæreticorum punitio. cap. 19. & seq. apud Brunum & alios.

DE DIVINATORIBVS. CAP. XX.



DIVINATIO multipliciter sumitur, vt interpretes docent in. c. accusatus & sanè. de hæret. lib. 6. sed quod attinet ad rem præsentem, significat magicam superstitionem, vel fallacem prophetiam, qua pseudoprophete fingunt, se præuidere futura. quæ sic defini potest: vt sit, indebita vsurpatio cognitionis futurorum euētũ: vel præteritorum, aut præsentium occultorum.

torum. vel aliter, Diuinitio est enunciatio eorum, quorum notitia per naturam haberi non potest, nec a deo reuelata est. Sic finiunt Caietanus in sum. verbo, diuinitio. & Alfonsus .lib. i. de iusta hæretic. punitio. capit. 13.

- 1 ¶ Inquisitores non sunt iudices contra diuinatores, nisi ea, quæ illi facerent, hæresim saperent manifestam. c. accusatus §. fanè. de hæreti. lib. 6. Tunc autem sapiunt manifestam hæresim, quando sine alicuius hæresis adminiculo exerceri nequeunt: ut puta, si quis mortuum baptizaret, ut inde sortium responsum haberet. vel si quispiam sacramentis abuteretur, aut rebus sacris, ut diuina re posset. vel coram idolis aut pseudoprophetis execrandas preces in idipsum effunderet. hæc enim & similia hæretica sunt, & intellectus error præferunt. ut rectè tradit Alfons. c. supradicto.
- 2 ¶ Sed & alijs casibus inquisitores procedere possunt contra diuinatores, videlicet, quando nefarijs precibus demones inuocaret, aut funesta sacrificia illis offerrent. Et multo magis, quando pacta cum dæmonibus inirent ad huiusmodi diuinationes. Quia his euidenter significatur, quod qui talia faciunt, dæmonibus subiiciunt, & eos impiè colunt, ideo suspectissimi sunt de idololatria, & proculdubio errant in fide, longè aliud credentes de natura & potestate dæmonum, quàm res ipsa habeat. vnde facillè trahuntur ad infidelitatem, ut inquit Alexander ales. parte. 2. quæst. 184. membro. 2. adde. c. igitur. 26. quæst. 3. & quæ Gratianus posuit in summa eiusdem causæ. q. 5. Caietanū. 2. secūdæ. q. 95. articu. 3.
- 3 ¶ Inde etiam illud est, quod qui per dæmonum inuocationem scire nititur ea, quæ per naturam cognosci non possunt, is iure præsumitur hæreticus: quoniam dæmones ad illa prænoscentia non inuocaret, nisi crederet, demones illa præscire. hoc autem credere, manifesta est hæresis, quia solus deus ista prænoscit. iuxta quod per Esaiam dicitur cap. 41. Annunciate quæ futura sunt, & sciemus, quia dii estis vos. Et de his, qui ad hoc demones inuocant, intelligendum est, quod habetur in. c. episcopi. 26. q. 5. & in. cap. non obseruetis. ea. cau. quæst. 7. vbi hac ratione quidam sortilegi & magi vocantur hæretici.
- 4 ¶ Causæ futurorum tripliciter se habent, Quædam enim produ-

cunt

- cunt semper & necessario suos effectus: ideoque prænosci possunt ex consideratione suarum causarum, quemadmodum prænunciant astrologi eclipses futuras. Quædam verò causa produunt suos effectus, non ex necessitate, & semper, sed plerunque: & per huiusmodi causas possunt prænosci effectus futuri: non infallibiliter, sed probabiliter. Quemadmodum Astrologi per considerationem stellarum prænunciant pluuiam, vel siccitatem: & medici sanitatem, vel mortem. De his autem exaudiri debet, quod inquisitores cognoscere nequeunt: quia nil faciunt contra fidem, sed ea tantum prænunciant, quæ humana ratione prænosci possunt. Sed neque hi puniri debent, qui futura, deo reuelante, cognoscunt, aut prophetant: quia non ipsi diuinant, sed quod diuinum est, suscipiunt, & faciunt. Sed non est credendum omni spiritui, & ideo etiam in his suas partes interponere debent inquisitores.
- 5 ¶ Quædam causæ sunt, quæ se habent ad vtrumlibet, quarum effectus prænosci nequeunt per considerationem causarum: quia illæ non habent inclinationem determinatam: & ideo huiusmodi effectus præuideri non possunt, nisi in seipsis considerentur. quod solius dei est, qui vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt, ut inquit apostolus ad Romanos cap. 4. Et Augustinus. lib. 10. de ciuitate dei. cap. 12. ait, Temporalia mouens, temporaliter non mouetur, nec aliter nouit facienda, quàm facta. Et iterum lib. 11. c. 21. Deus omnipotens præterita, præsentia, & futura, stabili, ac sempiterna præsentia comprehendit. apud eum enim non est mutatio, nec momenti obumbratio. nec enim eius intentio de cogitatione in cogitationem transit: in cuius incorporeo contuitu simul adsunt cuncta, quæ nouit: homo autem horum prænotionem usurpare nequit, nisi illicita aliqua via. Propterea cap. 8. Ecclesiastes, ait, Multa hominis afflictio, quia ignorat præterita, & futura nullo scire potest nuncio. Vide Tho. 2. secundæ. q. 95. arti. 1.
 - 6 ¶ Non tantum diuinator est, qui futura prænunciat, sed & is, qui præterita, vel præsentia, quæ naturaliter tunc ab illo cognosci nequeunt, enunciaret. æquè enim horum omnium incapax est natura hominis in hoc mortali corpore. Hæc autem usurpatio cognoscendi homini impossibilia, ex societate pestifera cum dæmonibus

nibus

- nibus inita, procedit, vt inquit Alexander parte. 2. quæst. 184. vbi membro. 5. ex Augustino & Origene colligit, omnes diuinationes ab illusionibus diabolicis esse. Quod etiam docet Thomas. 2. secundæ. quæst. 95. arti. 2. sic inquit, Omnis diuinatione ex operatione dæmonum prouenit, vel quia expressè dæmones inuocantur, vel quia illi se ingerunt vanis inuestigationibus, vt mētes hominum implicentur vanitate. Et arti. 3. addit modos illusionum, quibus quandoque præstigijs apparitionibus se ingerunt, per somnia, per colloquia defunctorum, per arreptitios, & sæpius per alia signa, ignis, aeris, aquæ, terre, & garritus auium.
- 7 ¶ Hæc & alia dæmones illis persuadere solent, quos vident curiosos præsciendi futura, vel vitijs quibusdam maximè alligatos. nā vt inquit Basilius cōcione habita in lacizis, multiformes sunt diaboli versutiæ: ad quod procliuiorem viderit, ad illud proprijs inescationibus vtitur. Et Bernardus lib. de ordine vitæ prope finē, ait, Ex ea parte hominem diabolus tentat, qua eum per excresecem humorē facilè ad vitia inclinari conspicit. Et vt inquit Porphyrius, Omnis intemperantia, spesque diuitiarum, atque gloriæ, per dæmones inualescit. Promittunt quidem leuioribus hominibus diuitias, honores, & voluptatem: quæ esca est malorum omnium. Sed vt ait Augustinus lib. 10. de ciuitate dei. capit. 10. Quis non videt hæc omnia fallacium dæmonum esse commenta, nisi eorum miserimus seruus, & à gratia veri liberatoris alienus? Satanas transfiguratur se in angelum lucis, & formas se vertit in omnes, hostiliter insequens, fallaciter subueniens, & utrobique nocens.
- 8 ¶ Quocunque modo vsurpet homo futurorum, aut impossibilium præscientiam, suspectissimus est de societate cum dæmone inita: ac proinde iure subijcitur inquisitorum examini. nam vel expressè dæmonem inuocat: quæ d, vt prædiximus, pertinet ad infidelitatem, & idololatriam, atque hæresim sapit. non enim venatur dæmoniū, nec illum inuocat, qui non errat in cognitione naturæ, atque potestatis eius. Aliquando tacitè inuocatur dæmon, figuris, characteribus, verbis, & signis ignotis, & superstitionis: idque ad aliquē effectum, qui noscitur ex diabolo prouenire.

- uenire, vel cum quispiam his rebus se implicat, quibus dignum est, vt se dæmon immisceat: quamuis hoc eueniat præter hominis intentionem. vt rectè inquit Caietanus. 2. secundæ. quæstio. 95. arti. 3. Sed vix est, vt id eueniat præter intentionem eius, qui id facere, aut scire studet, quod absq; dæmonis arte cōsequi nequit.
- 9 ¶ Interdum etiam interuenit pactum expressum, aut tacitum cū dæmone. Quod quidem grauius ac detestabilius est, iuxta increpationem illam Esaiæ capi. 28. dixistis, percussimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactū. Nedum autem expressis cōditionibus fit pactum, sed qui dæmonem inuocat, vel alijs modis ei communicat, pactum cum eo fecisse intelligitur: nā re ipsa cum illo societatem habet. includit nanque societas pactum, cōventionem, & fœdus: si nō verbis, saltem factis. vt ait Caietanus. Et hæc plerunque contingunt his, qui necromantiæ, magiæ, fortilegijs, diuinationibus, augurijs, astrologiæ iudiciariæ, atque reuelationibus student. De quibus vltimis pauca subijciemus.
- 10 ¶ Diuinant aliquando astrologi ea, quæ sunt homini cognitu impossibilia: quod reuelatione dæmonum proculdubio fit. permittitque deus hæc fieri, ad tentandos eos, quos ita erudiri opus est, vel decipi iustum est, vt ait Augustinus. Nec solum ea, quæ ipsi sciunt, reuelant perditis hominibus dæmones, sed illud quoque eos posse diuina potestas & sapiētia finit: vt quod falsò prius fuerat prædictum, opere implentes, ipsi verum efficiant: nullam decentius summa iustitia poenam exigēte, quàm vt quæ diuinæ veritati superba ingenia non subduntur, nebulonis deinde vnius & sicophantæ mendacijs, & fidem & libertatem obligent suam. Hi astrologi, & illis similes subdoli homines, exterminandi, & acerbè puniendi sunt: ne alios perdant, & implicēt vanitate. regia lex 2. & vlti. titu. 23. parte. 7. vide Ioan. Picum. in libris contra astrologos. & Alciat. in. l. 5. de verbo. significa.
- 11 ¶ Sunt & alij, qui se diuinas reuelationes habere dicunt, & sæpius cum bonis angelis loqui. Sed hi magna ex parte sunt simpliciores homines, & fragiliores foeminæ. Quorum reuelationes meritò suspectissimæ sunt, & ab inquisitoribus examinandæ. Quoniam cum sint plerunque de rebus leuioribus, & parum ad salutem

tem animæ conducentibus; credendæ sunt potius esse dæmonū illusiones, quàm omnipotentis dei reuelationes, quas perquam rarò sanctissimi & eruditissimi viri habuerunt. Magna dei misericordia necessaria est, ne quisquam cum bonos angelos amicos se habere putat; habeat malos dæmones amicos fictos: eosque tãto nocentiores; quanto astutiores, ac fallaciores patitur inimicos. vt inquit Augustinus. lib. 19. de ciuitate dei. cap. 9. qui alia multa huc spectantia scribit in eodem opere lib. 2. cap. 24. & seq. Et iterum lib. 3. cap. 7. & rursus lib. 8. cap. 22. & sæpe alibi.

12 ¶ Casianus quoque multas dæmonum illusiones recenset: quibus illi prodigijs, imaginibus, figuris, & reuelationibus, viros religiosos sapiensimè tentarunt, & interdum deceperunt. vt videre licet. collatio. 1. capit. 20. & seq. & iterum collatione. 2. capit. 5. & deinceps. Sed & Ricardus de sancto Victore, in minore Bèiamin. cap. 81. suspectas censet reuelationes, quæ non manifesta ratione, vel sacra scriptura probantur. Et eo magis, si de rebus supernaturalibus, & occultioribus fiant. Et in expositione canticorum cap. 21. eo ipso suspecta putat signa & miracula, si contingant sine fructu. in his ergo, non secus atq; in alijs, vigilare oportet inq̄sitores.

13 ¶ Si quis autem dæmonem inuocaret, non animo subiiciendi se illi, sed tanquam potentem adiuuare in aliquo; nil dæmoni tribuens, quod ille non habeat: si non misceat hæresim, nec reuerentiam dæmoni exhibeat, quamuis grauissimè peccet; nõ tamè est dicendus hæreticus: quia hæc fiunt ex sola malitia voluntatis, absque vlllo intellectus errore: sed & hoc ad apostasiã & infidelitatem tendit. Nam sicut ad initium cælestis fœlicitatis spectat, conuersatio in hac vita cum angelis & sanctis; ita ad initium æternæ damnationis & infernalis habitaculi spectat, communicatio, & societas cum dæmonibus. Vide Thomam & Caietanum. 2. secundæ. quæst. 95. & seq. Franciscum Picum. lib. 4. de rerum prænotione. cap. 7. Alfonso lib. 1. de iusta hæretico. punitio. cap. 13.

14 ¶ Ad summam quocunque modo vsurpetur cognitio, aut præ-nunciatio eorum, quæ sunt homini natura sua cognitu impossibilia; possunt inq̄sitores cognoscere, qua arte, aut via id fiat: quia suspitio vehemēs est, quòd hæc dæmonum fallacijs committantur.

tur. Pœna verò illorum, qui in his delinquant, vna esse omnibus nequit: quia ex circumstantijs crimen dissimile est. Regia lex vlt. titu. 27. parte. 3. mortis pœnam statuit. Sed inq̄sitores pro modo culpæ, purgatione canonica, pœnis pecuniarijs, abiuratione, carcere, vel ieiunijs vtentur. Et si res ita exegerit, pertinaces & relapsos brachio seculari relinquent, animaduersione debita puniendos.

DE DOCTORIBVS ECCLESIAE.
CAP. XXI.



ECCLESIAE doctores, quorum scripta apud catholicos magis frequentantur, hi ferè sunt, Dionysius, Ignatius, Polycarpus, Clemens, Irenæus, Cyprianus, Hilarius, Basilius, Athanasius, & illi tres sancti Gregorij, Nazianzenus, Nissenus, & papa. Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, Theophilus, Cirillus, Leo, Isidorus, Damascenus, Anselmus, Beda, Bernardus, & Thomas. Extant & aliorum libri, qui non minus doctrina & sanctitate floruerunt: sed prædicti sunt, qui frequentius in ore omnium versantur. His accedunt libri Tertuliani, Origenis, Eusebij, Lactantij, & aliorum: qui quidem in quibusdam errasse deprehenduntur, sed tamen in reliquis, propter eximiam eruditionem, recepti sunt. Et generaliter Gelasius ait, Opuscula, atque tractatus omnium patrum orthodoxorum, qui in nullo à sancto Romanæ ecclesiæ consortio deuiarunt, nec ab eius fidei prædicatione seiuncti sunt, legenda decernimus. c. sancta. 15. distin.

1 ¶ De his talem asserimus propositionem, Vbicunque doctores ecclesiæ concordant in scripturæ diuinæ interpretatione, aut in aliqua doctrina, quæ ad fidem, vel mores pertinet, impium est illis non credere, & hæreticum pertinaciter contraire. Hęc primo probatur apertè illis verbis euangelicis, Matthæi cap. 24. Si quis vobis dixerit, Ecce hic est Christus, aut illic. ecce in deserto est, nolite exire. ecce in penetralibus, nolite credere. Vbicunque fuerit

rit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ. Docens ibidem redemptor noster, fugiendas esse nouitates, & singularitates hæreticorum, in super nobis ostendit, quam doctrinam sequi debeamus: nempe illam, ad quam congregantur aquilæ. nam vbicunque illæ congregantur, ibi veritas est, ibi Christus, & ibi corpus ecclesiasticæ vnitatis. quæ est illarum concors sententia, idem totius corporis sensus est.

2 ¶ Et quæ tandē sunt illæ aquilæ? Qui in carne, præter carnē viuūt, aut vixerunt. Quorum est & fuit, quamuis hic peregrinātium, in cælis cōuersatio. Quorum omne studium, omnis meditatio, omnis voluntas, in lege domini. Quam & vita & moribus expresserunt, qui signa inhabitantis in se dei spiritus euidentia ediderunt. Vbicunque illæ aquilæ congregantur, illic certum habet, esse corpus illud, cui associari, cui consentire debeas, & in quo Christum & salutem querere. Significatur itaque per illas aquilas, doctores sancti, qui altius cæteris volant: & ipsum iustitiæ solem acutiùs, diutiùs, & certius intuentur. Hæc ex mente aliorū posuit Pighius lib. i. hierar. ecclesiasticæ capi. 5. vir, meo quidē iudicio, doctissimus, & in quo nil præter breuitatem desideres.

3 ¶ Deinde probatur hoc duodecimo capite prioris epistolæ ad Corinthios. vbi apostolus narrans illas diuisiones gratiarum, ministracionum, & operationum, quas operatur vnus & idem spiritus, diuidens singulis prout vult. & quosdam, inquit, posuit deus in ecclesia. Primum apostolos, secundo prophetas, tertio doctores. Ecce quomodo deus ipse posuit in ecclesia doctores, vt verbo, & exemplo, sermone, & scriptis doceant, pascantque fidelem populum. Quibus ipse dedit sermonem sapientiæ, & scientiæ, & interpretationem scripturarum. Nec fieri vllō modo potest, vt hi omnes errauerint, quos deus omnipotēs, ne nos erraremus, duces nostros, magistros, & præceptores constituit. effulserunt semper hæc luminaria in ecclesia, quorum adhuc lumen ita præfulget nobis, vt in eo ambulantes, impingere non possimus.

4 ¶ Præterea comprobatur assertio ex eodem apostolo capi. 4. epistolæ ad Ephesios, cum ait, Et ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas: alios verò euangelistas, alios pastores,

stores, ad cōsummationem sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi: vt iam non simus paruuli fluctuantes, & circūferamur omni vento doctrinæ. Hos nimirum pastores & doctores deus instituit in opus ministerij, in ædificationē corporis Christi: hoc est, vt ministrent spiritum sanctum cæteris, & ecclesiam verbo illius ædificēt. Hoc autem Christus instituit, vt iam non simus paruuli fluctuantes, & circūferamur omni vento doctrinæ: hoc est, vt his doctoribus fidem habeamus, & verè credamus in eis spiritum sanctū loqui: vitemusque cæteros, qui doceant his cōtraria, nisi velimus esse tanquā paruuli, semper fluctuantes, & omni vento doctrinæ circūacti. Vide Roffensem contra Lutherum, veritate sexta. & Ambrosium Catharinum in secunda clauē scripturarum.

5 ¶ Deinde veritas hæc euidenter conuincitur, ex diuo Petro apostolorū principe cap. i. posterioris epistolæ. in cuius calce inquit, Spiritus sancto inspirati loquuti sunt sancti dei homines. nā si id certissimè factum scimus, quando nondum spiritus sanctus missus nobis erat: non minùs credendus est loquutus per sanctos viros, posteaquàm in hoc negotium particulariter missus est. Hi enim sacri doctores, vt est apud Damascenum, illuminatricē spiritus gratiam adepti: tum miraculorum virtute: tum sermonis gratia: obscuratos illuminarunt, & errore deuos conuerterunt. Et alibi ait, Per spiritum igitur sanctū & lex, & prophetæ, & euangelistæ, & apostoli, & pastores loquuti sunt, & doctores. An ad solos apostolos dixit Christus: nō estis vos qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis? An non præter apostolos, quosdam, vt inquit, Paulus, prophetas instituit, alios verò euangelistas, alios pastores, & doctores?

6 ¶ His accedit ratio sequens, viu a & spirās. Spiritus sanctus missus est ad erudiendam Christi ecclesiam, & ad docendam oēm veritatē, vt ex Ioanne decimo quarto, & cap. 16. firmissimè credimus. Cū autē ipse facie ad faciē loqui nō soleat, necesse est, vt per viros aliquos ecclesiam illuminarit, erudieritque. Sed id fieri non debuit, nisi per instrumenta, & media, immēsæ bonitatis spiritus cōgruētia:

κ relinquitur

relinquitur ergo, quòd p viros apostolicos hoc faciat, fecerit que: quales doctores sanctos fuisse constat. Quorum etiam nonnulla scripta signis visibilibus spiritu sancti approbata sunt: vt de Ambrosio, Gregorio, & alijs quibusdam memoriæ proditum est. ¶ Eandem veritatem maiores nostros Hispanos ante multa secula docuisse constat. Nam in canone. 13. secundi concilij Hispalensis, aiunt, Oportuit sententias subnecti sanctorum patrum, qui in sacris literis ingenti gloria refulserunt, vt etiam eorum traditione perpateat veritas. Deinde recensentur verba Hilarij, Ambrosij, Nazianzeni, Basilij, Athanasij, Augustini, Cirilli, Leonis, & Fulgentij, quorum testimonijs concludunt quæstionem, dicentes, Hæc quidem, quæ tam diuinæ scripturæ, quàm etiam sanctorum patrum eloquia docuerunt, decretis nostris breuiter inserta protulimus. Et iterum quarto capite, decimi quinti concilij Tolletani decreuerunt, standum esse doctrinis sanctorum doctorum. Quia omne, inquiunt, quod contra illos sapitur, à rectæ fidei regula abhorrere sentitur. Vbi & illud adiiciunt, non esse amplius cum illis contendendum, qui à prædictorum patrum dogmatibus ausi fuerint dissentire.

- 8 ¶ Idem quoque multis aliorum conciliorum locis comprobatur: quorum pauca subiiciemus. In septima synodo generali actione prima, hæc verba inuenies, Qui doctrinas sanctorum patrum, & traditionem catholicæ ecclesiæ contemnunt, execratio. Et rursus in fine quintæ actionis, lectis fragmentis scriptorum ecclesiasticorum, tota synodus proclamauit, Diuino loquorum patrum doctrinæ nos correxerunt: ex illis haurientes, fidem & veritatem potati sumus: illos insequentes, mendacium persecuti sumus. Et iterum actione sexta, tomo quinto, Gloriosos doctores, inquit Epiphanius, tuta monumenta ecclesiæ dicere possumus. Et paulò post ait, Quomodo ea, quæ sancti patres non probauerunt, nos qui citra finem seculorum occurrimus, & indigni sumus, vt discipuli eorum vocemur, recipiemus? Confirmat hoc ipsum octaua synodus generalis, canone primo, his verbis, Regulas, quæ sanctæ, catholicæ, & apostolicæ, tam à sanctis apostolis, quàm ab orthodoxis vniuersalibus, nec-

non & localibus concilijs, vel etiam à quolibet de illo quo patre, ac magistro ecclesiæ traditæ sunt, seruare, ac custodire profiteamur: quibus & propriam vitam, & mores, & omnem sacerdotij catalogum regamus.

- 9 ¶ His etiam ecclesiæ doctoribus in interpretatione scripturarum indubia fides & autoritas tribuenda est. Quia, vt inquit Hieronymus in proœmio Osee: in explanatione sacre scripturæ, sancti spiritus inspiratione egemus, vt cuius instinctu scripta est, illius reuelatione pandatur. Quis autem dubitet, hos ecclesiæ doctores præ cæteris omnibus abundantiore spiritum sapientiæ, & intellectus habuisse? Hi nanque ecclesiæ pars magis eximia semper fuerunt: qui, vt inquit Rossensis, non solum eruditione, verum etiam vitæ sanctimonia, velut sidera quædam effulserunt: quibus cæteri fideles in sensu scripturarum vnicè fidem habuerunt. Hi quidem sunt viri spiritu sancto pleni, qui nobis succum, & latentem in sacra scriptura spiritum exhibuerunt. Qui non à semetipsis interpretationes acceperunt, sed secretis inspirationibus sancti spiritus illustrati, dubia scripturarum nobis aperuerunt.
- 10 ¶ Et hoc ipsum sacris concilijs plus semel definitum est. Ac primum in canone. 19. sextæ synodi generalis, in hæc verba, Si ad scripturam pertinens aliqua controuersia excitata fuerit, ne eam aliter interpretentur, quam quomodo ecclesiæ luminaria, & doctores suis scriptis exposuerunt: & maiorem ex his laudem assequantur, quàm si quæ à se dicuntur, componant. per prædictorum ceterorum doctrinam, populi ad eorum, quæ sunt bona & expetenda, & inutilia, ac reijcienda, cognitionem venientes, vitam in melius componunt. Præterea in concilio Lateranensi sub Leone decimo, sessione vndecima, præcipitur prædicatoribus, vt euangelicam veritatem, & sanctam scripturam, iuxta declarationem, et interpretationem doctorum, quos ecclesia, vel vsus diuturnus approbavit, prædicent, & explanent: nec quicquam eis contrarium, vel dissonum adiiciant. Nouissimè patres in concilio Tridentino, sessione quarta, ad coercenda petulantia ingenia decreuerunt, vt nemo suæ prudentiæ innixus, contra vnanimè cõsensum patrum, scripturam sacram interpretari audeat.

11 ¶ Ad hæc sacrosancta catholica ecclesia, quæ in rebus fidei & morum errare nullo modo potest; horum doctorum scripta probauit, horum doctrinis perpetuò instruitur, & illustratur. Hos ipsos tanquam veros & legitimos filios suscipit, & amplexatur. Hos compertum habemus, nil credidisse aliud, quàm quod credidit catholica Christi per orbem ecclesia, cuius extitere membra non vulgaria, imò præcipua, imò columnæ quædam. Proinde quicquid vno sensu & consensu hos tenuisse inueneris, eum catholicum ecclesiæ, verum et catholicum sensum, veram sententiam, veram fidem, absque vilo scrupulo teneas. Cum hos audis, ecclesiam audis. Horum concordem sententiam, puta ecclesiasticam esse traditionem. Hæc & alia in eandem sententiam tradit eleganter Pighius lib. 1. ecclesiasticæ hierarchiæ cap. 3. Et iterum lib. 2. cap. 7. & rursus libro. 6. cap. 3.

12 ¶ Hi sunt magni & clari homines, qui doctrinæ, iudicij, & sanctitatis laude, suis quique temporibus floruerunt: qui semper sanctissimi & eruditissimi sunt habiti. Quorum vitam deus omnipotens multis magnisque miraculis illustrauit. Quorum æternam memoriam, virtutes, et opera, ecclesia catholica meritò cōsecrauit. Vbicunque igitur hi congregantur, ibi Christus est, et ibi veritas. Horum consensus, est concursus ipsius ecclesiæ sensus: cuius illi sunt columnæ quædam, et membra præcipua, præ cæteris donata abundantiori mensura spiritus, et subtiliori quodam sensu prædita, ita vt in illis vniuersi corporis ecclesiastici sensus præcipuè vigeat. Et vt Longolij verbis vtatur in elegantissima ad Lutherianos oratione: horum etiam iam vita defunctorum gratia, et mortuos reuixisse, et cæcos oculorum vsum recepisse, et varijs ex morbis laborantes, furijsque etiam exagitatos mortales multos, potestati, valetudinique suæ restitutos esse, exploratum habemus.

13 ¶ Hos tantos viros, doctoresque sacros, impudentissimi huius ætatis hæretici respuunt, & maledictis incessunt: propterea quòd contrarij sunt operibus & doctrinis eorum, & quia illi hæreticos semper confuderunt, & persecuti sunt. Nam, vt inquit Leo in tractatu contra hæresim Eutichetis, nūquam potuit hæretica impietas

pietas sic latere, vt nō à sanctis patribus nostris, & semper deprehensa sit, et iure damnata. Sed longè alia causa est vtrorunque. hi enim tam viuentes, quàm mortui, clarissimis effulserunt miraculis: eorum cineres & ossa per sacras ædes in summa veneratione habentur: libri eorum leguntur et approbantur ab omnibus. hæretici contra, nullis miraculis claruerunt: nulla eorum cineribus habita veneratio: eorum dogmata per viros orthodoxos cōfutata sunt, atque detecta plena mendacijs, fallacijs, atque venenis, vt Rossensis ait lib. contra Lutherum. arti. 30.

14 ¶ Vanissima quadam & fragilissima ratiuncula mouentur hæretici, vt autoritatem & doctrinam tantorum virorum rejiciant. Quia, inquiunt, in quibusdam errasse deprehenduntur. Quibus optimè respondet Rossensis lib. supra dicto. veritate septima. errasse quidem interdum illos fatemur: diuina tamen dispensatione ob id errare permisi sunt, vt homines eos fuisse cognoscere-mus: & quicquid rectè dixerunt, à deo accepisse: à se ipsis verò, quicquid aberrarunt. Suis quippè ingenijs relictis, nonnunquã in errores inciderunt, cum tamen certum sit, quòd in cæteris fulgore diuini spiritus illustrati, non nisi saluberrima dogmata, ad maximum ecclesiæ commodum prodiderunt. Eorum autem errata ex mutua collatione scripturarum, ex aliorum doctorum sententijs, ex ecclesiæ traditionibus, & cōsuetudinibus, denique ex pontificum & conciliorum decretis cognosci, & vitari facile possunt. Vide Driedonè lib. 4. de dogmatibus ecclesiasticis. c. 1. Alfonsum lib. 1. aduersus hæreses. cap. 7.

DE DOMINIS TEMPORALIBVS. CAP. XXII.



MPERATORES, Reges, Principes, Duces, Comites, Marchiones, & alij domini temporales, curare diligenter debent, vt hæreticos acerbissimè puniant, & hæreses omnes supprimant, & extinguant: ne sub eorum imperio hæreticorum augeatur improbitas, & piorum pax et se-

curitas perturbetur, quod si facere neglexerint, arctissimam deo rationem proculdubio reddent, à quo traditæ sunt illis ad regendum prouinciæ, quasi iudicibus ab imperatore. vt elegãter inducit Hieronymus super Ezechielem. Cũ enim bona omnia temporalia creata sint propter æterna, frustra subditos continebunt in pace, ac temporali fœlicitate; nisi eorum fidei ac religioni, et neque beatitudini prouiderint. Quæ omnia hæresibus confundi, perturbari, atque peruerti, re etiam ipsa, & experientia compertissimum est.

1 ¶ Nec illa eorum excusatio proderit, quòd pontificum & episcoporum hoc munus proprium esse videatur. nam illorum arma, nempe orationes, lacrymæ, prædicationes, admonitiones, censuræ, atque execrationes, aduersus pertinaces hereticos inefficaces sunt, nisi potestate seculari iuuentur. Idcirco catholici principes cogitare debent, deo se reddituros rationem propter ecclesiam, quam à Christo tuendam suscipiunt. Nam siue augeatur pax & disciplina ecclesiæ per fideles principes, siue soluatur; ille ab eis rationem exiget, qui eorum potestati suam ecclesiam tradidit: in qua si iustitiam seminauerint, mercedem accipient fidelem: sinuerò disciplinam, quam ab eis deus exiget, non apprehenderint; tunc euenturum certò sciant, quod in eos interminatur: nempe vt dominus irascatur, & pereant ipsi de via iusta. Cuius rei suppetunt nobis exempla memorabilia in veteri & nouo testamento, quæ colligit eleganter Brunus lib. 3. de hæreticis capit. 9. Sed cui addere potes non minus memorandum facinus regum catholicorum Fernandi & Helisabeth, qui sacrosanctum inquisitionis officium in Hispaniam induxerunt: quo solo, pura, & immaculata nunc permanet. Quibus ob id (vt credere par est) deus fœlicitatem concessit maximam, ipsis & successoribus eorum. Et contra, non sine numine fuit casus ille Federici Saxonie ducis, & Philippi Lantgrauij hesiæ, quos deus in manus Caroli nostri Maximi tradidit: eo quòd hæreticis lutheranis primi omnium fauerint.

2 ¶ Ad officium autem Romani pōtificis & episcoporum pertinet, admonere diligenter principes seculares, vt catholicam fidem teneant

neant, & hæreses supprimant, & extinguat. Sic Anastasius papa secundus, Anastasium imperatorem admonuit. Sic Leo ille ter sanctus, Leonem imperatorem contra hæresim Eutichetis incitauit. epistola. 95. & similiter alij alios. interdum etiam principes negligentes & prauos arguet: sicut Marcellus Maxentium corripiebat: Gelasius, Anastasium: Nicolaus primus, Michaelē imperatorem. Quòd si res ita exegerit, eos etiã excommunicabunt. Quod fecit Gelasius cōtra Anastasium: Gregorius septimus, cōtra Henricum quartum: Honorius tertius, contra Federicum secundum, vt prolixius recenset Brunus libro tertio de hæreticis. capit. 8.

3 ¶ Hinc emanarunt sanctissimæ illæ pontificum decisiones: quibus præcipitur dominis temporalibus, vt auxilium præstent cōtra hæreticos: alioqui excommunicentur, & honore priuentur, & eorum terra interdicto subiaceat. c. ad abolendam §. pe. de hereti. Item illud cauetur, vt iurent, quòd hæreticos iurisditiōe sua expellent. Quòd si ab ecclesia moniti, hoc facere neglexerint, excommunicandi sunt: qui si per annum fuerint contumaces; denunciari hoc debet papæ, vt ex tunc vassallos ab eorum fidelitate denunciaret absolutos, & terram exponat catholicis occupandam. c. excommunicamus §. moneantur. de hereti. auth. si verò. C. eod. titu. & constitutione. statuimus. de episcopali audientia.

4 ¶ Qui autem seruare noluerint in iurisditiōe sua constitutiones pontificias contra hæreticos latas, velut infames, & hæreticorum fautores, ac de fide suspecti, honore, & officijs expoliandi sunt. c. vt officium §. vlti. de hereti. lib. 6. Prætereaparere debent episcopis, & inquisitoribus, si fuerint ab eis requisiti, vt inuestigent, capiant, & custodiant, hæreticos, fautores, defensores, & receptatores eorum: quos statim punire debent, si fuerint brachio seculari relictī. c. vt inquisitionis. de hereti. lib. 6. vbi in §. prohibimus. adijcitur, quòd nō impediunt inquisitores, nec hæreticos liberent, nec de hæretica prauitate cognoscant: quòd si secus fecerint, sententiam excommunicationis incurrunt. Quam si per annum animo pertinaci sustinuerint, ex tunc velut hæretici dāentur.

5 ¶ Decisiōibus quoque Hispanis quædā huc pertinētia tradunt. Ac primum illud, q̄hi qui in territorio suo receperint hereticos, perdunt

perdunt quicquid sibi ab eisdem hæreticis debitum erat, nilque petere possunt à fisco. Quinimo recoueniendi sunt, ut restituant omnia bona, quæ hæretici ad eorum dominia detulerunt. secunda instructio ne Hispalensi capi. 7. Præterea sicut in terris iurisdictionis regie, ita in territorijs magnatum procedere debent inquisitores, & compellere eosdem iurare, prout iure tenentur: inobedientes autem per césuras ecclesiasticas constringendi, & compellendi sunt, iuxta ordinem iuris. prima instructio Hispalensi capi. 21. Demum si hi labantur in manifestam hæresim, vassalli eorum absoluti sunt ab omni fidelitate domini, & obsequij. c. vlti. de hereti. Quod pari ratione intelligendum est, de seruis, libertis, & mercenarijs, ut ibidem aiunt Gofredus, & Ioan. Andr. nec ius illud recuperant, quamuis reconcilientur ecclesie, ut rectè docet Hostiensis, Cardinalis, Abbas, & alij. Vide Brunum lib. 4. de hæreticis. capitulo. 14.

DE ECCLESIA. CAP. XXIII.



ECCLESIA, græca vox est, latinè multitudinem, cœtum, aut conuentum significat. Multitudinem inquam, non qualem cunque, sed conuenientem, & conciliatam in vnam aliquam societatem. Et quamuis variæ sint formæ humanarum societatum, & varia nomina illarum: vbi tamen inter se conueniunt homines, ad finem supernaturalem assequendum in fide cultuque dei, ac religione, & spe salutis inde adipiscendæ; eiusmodi hominum societas in scripturis, & ecclesiasticis scriptoribus, ecclesia solet appellari. Et ut breuius & apertius loquar, ecclesia idem esse videtur, quod fidelium respublica, siue communitas, ordinata ad finem supernaturalem.

- 1 ¶ Aliquândo sumitur ecclesia pro templo materiali, ut in. c. nemo. de consecratio. distin. 1. Distinguitur etiam ecclesia, in triumphantem, quæ sanctorum est, fruuentium deo: & militantem, quæ in hoc sæculo militat. Legimus etiam ecclesiam sanctam, & orthodoxam, quæ rectam de deo fidem seruat, vera religione verum deum

- deum colit, & adorat, & ab eo salutem suam expectat. Legimus & ecclesiam impiorum, & malignantium, & ecclesiam Satane, quæ dicta omnia non habet sincera ac recta: sed vel in omnibus, vel in aliquo eorum aberrat. Priorem simpliciter & sine addito, ecclesiam vocant sacræ literæ. Et eæ vocantur duæ ciuitates magnæ, de quibus prolixè Augustinus in opere de ciuitate dei.
- 2 ¶ Ecclesia autem vna est, iuxta illud canticorum. 4. Vna est columba mea, perfecta mea, vna est matri suæ, electa genitrici suæ. Hæc verò constat ex omnibus fidelibus, non solum præsentibus, verum etiam præteritis, & in posterum futuris: alioqui tot fingere-mus ecclesias, quot secula: cum tamen vera fides, quam Nicena synodus præfinit, expressè fateatur, vnam esse sanctam catholicam, & apostolicam ecclesiam. Hanc vnitatem Cyprianus asserit tractatu. 3. de simplicitate prælatorum. hanc probat Optatus lib. 2. contra Parmenianum. hanc denique Hieronymus, Augustinus, & reliqui omnes fatentur. Hæc autem vnitatis consideratur in multis: scilicet, in vnitatis capitis, fidei, sacramentorum, spei, charitatis, spiritus viuificantis, beatitudinis, & in vnitatis rectoris præfidentis. Quæ fusiùs explicant Augustinus libro de fide ad Petrum. cap. 43. Leo ter sanctus epistolis. 16. & 18. Cardinalis Hispanus in summa de potestate ecclesie lib. 1. capit. 6. cum seq. Ioannes Lupus de iure Nauarræ. parte. 2. in principio. Vide cap. loquitur. & seq. 24. q. 1.
- 3 ¶ Hæc ecclesia dicitur catholica, hoc est, vniuersalis: nullo certo loco, nulla regione, aut patria, nulla gente, natione, aut populo, nullo denique tempore conclusa, aut circumscrip-ta; sed generaliter extendens palmites suos in orbem vniuersum: in tēpora quælibet, præterita, præsentia, & futura: secundum seriem successio-nis nascentium & decedentium continuata, sub vno duce inuisibili deo, in vnitatis fidei & religionis. Vnde actorum decimo scriptum extat, Non est acceptio personarum apud deum: sed in omni gente, & loco, qui timet dominum, acceptus est illi. Quod latiùs declarat Cyprianus in tractatu de simplicitate prælatorum, Et Albertus Pighius lib. 1. hierarchiæ ecclesiasticæ. cap. 1.
- 4 ¶ Cepit autem ecclesia ab Adam & Eua primis nostris parentibus:

bus: qui post diuini mandati præuaricationem, à misericordissimo deo spem veniæ acceperunt in sanguine mediatoris dei & hominum Christi agni immaculati, pro salute humani generis offerendi, in cuius fidei protestationem, etiam ab ipsa mundi origine, agnus ab eis immolatus legitur. in qua fide qui conuenerunt, ad hanc ecclesiam pertinuisse dicuntur. Eaverò suas ætates, suaque habuit incrementa, vsque ad saluatoris nostri aduentum, quo tempore ad ætatem perfectam peruenit: vbi fundator atque sanctificator ecclesiæ natus est in ea: qui completis nostræ redemptionis mysterijs, per solutis quæ veteris Adæ peccatorum debitis, reuersus ad patrem, apostolorum suorum ministerio, ex omni, quæ sub cælo est, gente, natione, populo, talem sibi congregauit & ordinauit ecclesiam, qualem in veteri synagoga adumbrauerat. Et hæc est illa catholica nostra & apostolica Christi ecclesia. Nec alia est ab illa veteri, sed & hæc & illa veluti quædam ciuitas magna, fundata est super Christum: quem patres expectauerunt, prophetæ prædixerunt, apostoli aduenisse prædicauerunt, Ioannes verò demonstrauit præsentem. Vide Augustinum lib. 10. de ciuitate dei. cap. 25. Et Albertum Pighium lib. 1. hierarchiæ ecclesiasticæ. capit. 1.

- 5 ¶ Hæc est illa vniuersalis fidelium ecclesia, extra quam nullus omninò saluatur. c. quoniam vetus. & seq. 24. quæstio. 1. capi. 1. de summa trinitate. Ideò Cyprianus, verè ac eleganter ait, Quisquis ab ecclesia segregatur, adulteræ iungitur, à promissis ecclesiæ separatur, nec pertinet ad Christi præmia. Qui relinquit ecclesiam Christi, alienus est, prophanus est, hostis est. Habere iã non potest deum patrem, qui ecclesiam nõ habet matrem. Si potuit euadere, qui extra arcam Noë fuit, & qui extra ecclesiam foris fuerit, euadet. hæc ille. Credere itaque firmissimè debemus, quicquid credit & docet catholica Christi ecclesia: idque oculis, quod auit, clausis, ac pedibus iunctis, exemplo illius carbonarij. quod memorabile refert Pighius lib. 1. hierarchiæ ecclesiasticæ. cap. 5. Intra ecclesiæ murum, plusquam adamantinum, continere nos debemus: contra quem quisquis arietauerit, vt inquit Augustinus, ipse potius confringetur.

¶ Donatistæ,

- 6 ¶ Donatistæ, Nouatiani, Rutheni, Armeni, alijque recentiores hæretici, ab ecclesia catholica segregati, apud se esse ecclesiã enixè contendunt: finguntque quandam ecclesiam occultam, & incertissimam, & quæ longissimè distat ab illa Christi ecclesia, quã supra descripsimus. contra quos ponimus verissimam hanc propositionem, Intra ecclesiam, non tantum boni & prædestinati continentur, sed boni simul & mali, vnitate fidei, & sacramentorum communionemiscuntur. Quod in euangelio apertissimè probatur: vbi regnum cælorum, id est ecclesia, dicitur esse simile sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti: et vbi comparatur nuptijs, in quibus inuētus est vnus, nõ habens vestem nuptialem: & vbi comparatur decem virginibus, quarum quinque erant fatuæ. Hoc etiam probat apostolus cap. 1. prioris epistolæ ad Corinthios, vbi eos vocat ecclesiã dei, quos paulò post, de multis peccatis reprehendit. Quod & multis alijs sacre scripturæ locis euidentissimè probatur, & docet Augustinus lib. 1. de ciuitate dei. cap. 35. & iterum lib. 18. cap. 49. Thomas Vualdensis in doctrinali tomo. 1. lib. 2. cap. 8. Faber contra Lutherum tractatu. 1. text. 9. Pighius lib. 2. hierarchiæ ecclesiasticæ. c. 1. Et iterum controuersia. 3. & Alfonso lib. 6. aduersus hæreses in principio. Hermas lib. 4. de instauranda religio. cap. 6.
- 7 ¶ Hæc autem catholica & vniuersalis ecclesia, multas ecclesias particulares sub se complectitur. Quarum septem Ioannes meminit in apocalypsi, & plurium aliarum Paulus in epistolis. Sed omnium caput, mater, & magistra est ecclesia Romana, propter sedem Petri, & successorum: quam dominus illic esse hæcenus voluit. Ad eam igitur in causis fidei recurrèdum est, quia vniuersalis iam dici potest, & nullã vnquam hæresim fouit, sed omnes hæreses destruit. Vnde Anacletus, epistola. 3. inquit, Romana ecclesia non ab apostolis, sed ab ipso domino saluatore nostro, primatum obtinuit, & eminentiam potestatis super vniuersas ecclesias, ac totum christiani populi gregem assequuta est. Et paulò post ait, Petrus, & Paulus eodem tempore, & vno die, sub Nerone principe passi sunt, & ambo sanctam Romanam ecclesiam sua morte consecrarunt, & alijs omnibus suo venerando triumpho

pho prætulerunt.

- 8 ¶ Huc etiam spectat, quod Irenæus vicinus temporibus apostolorum. lib. 3. aduersus hæreticos, ostendens quæ sit vera doctrina apostolica, scripsit in hæc verba, Traditionem apostolorum toto orbe manifestā, in omni ecclesia adest perspicere omnibus, qui vera voluerint audire: eā videlicet, quam primitiua ecclesia per successionem continuam patrum & episcoporum transmisit ad nos. Sed quoniam per omnes ecclesias discurrere prolixū esset, et operis infiniti; ex omnibus maximam, & antiquissimam, atque omnibus cognitā, Romæ à gloriosissimis duobus apostolis Petro & Paulo fundatam, eligens, eius fidem, traditionemque, quā habet ab apostolis annunciatam, & per successiones episcoporum ad nos peruenientem indicantes; confundimus omnes, qui quoquo pacto, vel per sui complacentiam, vel vanam gloriā, vel per cæcitatem, & malam sententiam, fidem, præterquam oportet, colligunt.
- 9 ¶ Maximus quoque orientalibus populis quadam epistola suadet, vt veram fidem approbantes, in ecclesiam Romanorum, tanquam in solem respiciant, & ex ipsa lumen catholicæ & apostolicæ fidei recipiant. Sed & Lactantius lib. 7. diuinarum institutionum, tunc aduenisse finem rebus humanis prædicit; cum lumen Romanæ ecclesiæ fuerit extinctum. Et sanctus Gelasius primus, canone. 4. inquit, Quamuis vniuersæ terræ, per orbem catholicæ & apostolicæ constitutæ ecclesiæ, vnus thalamus Christi sit; tamen sancta Romana ecclesia, nullis synodis constitutis, ceteris ecclesijs prælata est, sed euangelica voce domini & saluatoris nostri primatum obtinuit. c. quamuis. 21. dist. Nicolaus quoque primus scribens Mediolanensibus ait, Non ergo quælibet terrena sententia, sed illud verbū, quo constructum est cælum & terra: per quod denique condita sunt omnia elementa, Romanam fundauit ecclesiam: illius certè priuilegio fungitur, cuius auctoritate fulcitur.
- 10 ¶ Hoc idem sanctissimi quique & antiquissimi patres comprobant. nam Lucius primus, epistola. 1. Felix primus epistola ad Benignum, & in sexta synodo generali actione. 4. aiunt vno ore omnes,

- omnes, quæ ecclesia Romana mater est omnium ecclesiarum, & nunquam in fide aberrauit. Et in præfatione Nicenæ synodi scriptū est, quod nullis synodis decretis, sed voce domini primatū obtinet. Et sanctus Marcellus ait, Sedes Petri, iubente domino, Romam translata est. Quod & nobis verè narrat Ægesippus, & refert Faber contra Lutherum tractatu. 5. textu. 23. Sanctus quoque Iulius ait, ecclesiam Romanam domini ore sacratam, & exaltatam fuisse. Pius etiam sanctitate atque martyrio clarus, omnibus ecclesijs in hunc modum scripsit, Christus hanc apostolicam sedem omnium ecclesiarum caput esse præcepit. His accedit Vigilius, epistola ad Eutherium cap. 7. dicens, hanc fuisse domini voce consecratam, & omnibus alijs ecclesijs prælatam. Cui subscribit Pelagius secundus. Nec dissentit Alexander secundus in. c. relatum. 11. q. 1. Præterea Eulalius episcopus Carthaginensis in epistola ad Bonifacium secundum asserit, in ecclesia Romana esse veram salutem, & veram fidem, & non extra illam. Hic denique fuit hucusque omnium fidelium sensus & consensus.
- 11 ¶ Quibus & alijs pluribus, quæ consultò prætermisimus, euidentissimè patet, quàm impudèter insaniat hæretici: quamque malignè cæcutiant, primatum & auctoritatem ecclesiæ Romanæ suppressere frustra conantes. non enim est prudentia, nec sapientia, non est consilium contra dominum. perierunt omnes ecclesiæ, etiam illæ, quibus apostoli præfuerunt. defecit Achaia, vbi Andreas: Asia, vbi Ioannes: India, vbi Thomas: Persia, vbi Simon & Iudas: Æthiopia, vbi Matthæus: Hierosolyma, vbi Iacobus: Græcia, vbi Paulus: Phrygia, vbi Philippus, prædicauerunt. Roma semper in fide accepta, stabilis, & inuiolata permansit. Vbi sunt ecclesiæ illæ, quæ à Romana defecerunt? In cuius manu sunt omnes ecclesiæ Asiæ, Africæ, & aliæ multæ, quæ in bona parte Europæ floruerunt? Nunquid non est demolitus eas aper de sylua, & fera pessima depasta est? Cuius si causam diligèter, prudèterque perquisieris, non aliam inuenies, quàm quod se diuiserunt ab ecclesia Romana, & Petri cathedra. Quod eleganter considerauit Pighius lib. 4. hierarchiæ ecclesiasticæ. cap. 4. & ante illum Faber tractatu. 56. text. 18.

¶ Illud.

12 ¶ Illud præterire non possum, quod in concilio Lateranensi sub Julio. 2. definitum est, in hæc verba, Sancta Romana ecclesia, fidei magistra, veritatis alumna, omnium errorū expers, vnica & immaculata, diuina institutione, sanctorum autoritatibus, concilio- rum, canonumque omnium testimonio, ecclesiarum cuncta- rum primatum tenet. Hæc autem omnia, quæ prædiximus, de Romana ecclesia intelligenda sunt propterea concessa, quòd illic sedes apostolica iussu dei erat permanfura: idem prorsus futurū in quacunque alia ecclesia, vbi id contigisset. nō enim elegit deus gentes propter locum, sed magis locum propter gentes. Quæ ve- rò causa fuerit, qua Roma omnibus alijs ciuitatibus in hoc præ- lata sit; nō est nostrum scire. Quis enim cognouit sensum domi- ni, aut quis consiliarius eius fuit?

13 ¶ Sed tamen non desunt humanæ coniecturæ satis verisimiles & efficaces. Non enim apostolica sedes constituta fuit Hieroso- lymis, vbi maximè constituenda videbatur: eo quod in ea Christus crucifixus, mortuus, & sepultus, resurrexit: tum, quia in vltionē mortis eius erat funditus euertenda: tum etiam, quòd cæca illa & carnalis peruicacia iudæorum confunderetur, expectantiū Mes- sias suum regnaturum in Hierusalem. Præterea translata lege, & sacerdotio, consequens etiam fuit, vt & locus ecclesiæ christia- næ mutaretur. Addit quoque causas Leo ille diuinissimus in ser- mone de natali sanctorum, inquit, Beatissimus Petrus prin- ceptus apostolici ordinis, ad arcem Romani imperij destinatur, vt lux veritatis, quæ in omnium gentium reuelabatur salutem; effi- caciùs se ab ipso capite per totum mundi corpus effunderet. Et alibi ait, hoc factum fuisse, vt sicut Roma fuerat magistra errorū, pari modo fieret magistra veritatis.

14 ¶ Quapropter apostolorum princeps spiritus sancto plenus, ibi re- liquit successores, vbi eorum præsentia ædificandæ ecclesiæ plus prodesse possit. Nam & Roma caput erat imperij, & ab ea fides in vniuersum orbem melius diffundi poterat. Voluit Christus, vt Romanam ecclesiam duo luminaria cæli morte clarissima cō- fecrarent: & vt sanguis multorum martyrum ibidem effunderetur copiosissimè, vbi sedes apostolica permanfura erat: vt glorie-
tur

tur vniuersalis ecclesia: quoniam gloria loci congruit excellētiae præfidentis. Vide Gratianum. 2. q. 6. Et iterum. 9. quæst. 3. & rur- sus. 24. quæst. 1. Fabrum contra Lutherum. tractatu decimo. tex. 20. & text. 25. Ecchium lib. 1. de primatu Petri cap. 18. & lib. 3. c. 6.

15 ¶ Ecclesia (quod sæpe diximus, & sæpius repetemus) errare non potest in his, quæ ad fidem & mores spectant: quia regitur magi- stero spiritus sancti, qui nunquam eam deserit, iuxta Christi pro- missionem, dicentis Ioannis. 14. Alium paraclitum dabo vobis, qui suggeret vobis omnem veritatem. Et ipsemet Christus ec- clesiæ suæ semper adest, vsque ad consummationem seculi. vt est apud Matthæum cap. 27. Præterea ecclesia est corpus Christi my- sticum. quod Paulus cap. 4. epistolæ ad Ephesios testat, inquit, Omnia subiecit sub pedibus eius: & ipsum dedit caput super om- nem ecclesiam, quæ est corpus ipsius, & plenitudo eius. Et eiusdem epistolæ cap. 5. ait, Christus caput est ecclesiæ, ipse salua- tor corporis eius. Et Matthæi. c. 16. de ecclesia dicitur, quod portæ in- feri non præualebunt aduersus eam. id est hæreses, aut errores, nō præualebunt. Et propterea vocat eam Paulus, columnam, & fir- ma mentum veritatis. 1. Timo. 3.

16 ¶ Hinc illud credendum ac tenendum est, quòd ecclesiæ tradi- tiones & definitiões, in his quæ ad fidem & mores spectant, quã- uis scriptæ non fuerint, non minoris sunt autoritatis, quàm ipsa scriptura sacra. Vnde actorum capi. 15. dicitur, quòd Paulus per- ambulabat Syriã, & Ciliciam, confirmans ecclesias, præcipiens custodire præcepta apostolorum, & seniorum. Et capite sequen- ti de Paulo & Timotheo scriptum extat in hunc modum, Cum autem pertransirent ciuitates, tradebant eis custodire dogmata, quæ erant decreta ab apostolis, & senioribus, qui erant Hieroso- lymis. Et Paulus ad Thessalonicenses. 2. c. 2. ait. Fratres, stete, & te- nete traditiones, quas didicistis: siue per sermonem, siue per epistolam nostram. Et ad Timotheum. 2. c. 2. scribit, Tu ergo fili mi cōfortare in gratia, quæ est in Christo Iesu: & quæ audisti à me per multos testes, hæc cōmenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt alios docere. Et alibi ait, Hoc accepi à domino, quod & tra- didi vobis.

¶ Quibus

17 ¶ Quibus & alijs multis scripturæ locis hæc veritas euidentissimè probatur: quam & orthodoxi patres ab origine ecclesiæ Christianæ vno ore falsi sunt. Ac primum sacer ille Dionysius capit. 1. ecclesiasticæ hierarchiæ, testatur, apostolos partim scriptis, partim non scriptis institutionibus suis multa nobis tenenda tradidisse. Irenæus quoque lib. 3. aduersus hæreses cap. 4. docet, sumendam esse veritatē ecclesiasticæ traditionis. Quid, inquit, si neque apostoli quidam scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quem tradiderunt his, quibus committebant ecclesias? Hoc ipsum Origenes homilia. 5. in librum numerorum testatur. Et magnus Basilius, libro de spiritu sancto cap. 27. & iterum cap. 29. fusius hoc probat, inter alia dicēs, Dogmatum, quæ in ecclesia prædicantur, quædam habemus ex doctrina scripto prodita: quædam rursus ex apostolorum traditione, in mysterio, id est, occulto tradita, recipimus: quorū vtraque parem vim habent ad pietatem. Hoc & Hieronymus asserit in epistola ad Lucinium. Et Augustinus lib. de fide Christiana, vbi docet, non minus constringi catholicam ecclesiam vniuersam traditione maiorum, quàm autoritate scripturarū. Quod & lib. 11. cōtra Faustū, & sæpe alibi repetit. Hoc similiter Damascenus docet, lib. 4. de fide orthodoxa, cap. 13. & rursus cap. 17. hoc denique omnes catholici fatentur.

18 ¶ Quod & multis concilijs decretum extat, quorum paucula subiiciemus. In epistola synodali concilij Alexandrini hæc verba scripta sunt, Quia prima salus est, rectæ fidei regulam custodire, & à patrum traditione nullatenus deuiare. In septima quoque synodo generali actione. 1. sic habetur, Qui doctrinas sanctorum patrum, & traditionem catholicæ ecclesiæ contemnunt; execratio. Et iterum in definitione eiusdem synodi aiunt patres, Fate-mur autem vnanimiter, nos ecclesiasticas traditiōes, siue scripto, siue consuetudine valentes, retinere velle, & catholicæ ecclesiæ, in qua sanctus spiritus inhabitat, traditionem obseruare. Et post pauca, Si quis traditiones ecclesiæ, siue scripto, siue consuetudine valentes non curauerit; anathema. Postremò in. 4. sessione cōcilij Tridentini ita decretum est, Sacrosancta œcumenica Tride-
tina

tina synodus, traditiones ipsas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes: tanquam vel ore tenus à Christo, vel à spiritu sancto dictatas, & continua successione in ecclesia catholica conseruatas, pari pietatis affectu ac reuerentia suscipit, ac veneratur.

19 ¶ Paria dicemus de cōsuetudinibus antiquissimis ecclesiæ, quas quidem contemnere prorsus hæreticum est: vim enim ecclesiasticæ legis habent, & sine dubio de traditione apostolica manarunt, vt inquit Tertullianus libro de corona militis. Et Paulus capite vndecimo prioris epistolæ ad Corinthios, consuetudinem ecclesiæ, tanquam legem fortissimam obijcit contentiosis, vbi hoc notant Hieronymus & Vulgarius. Neque alijs armis idem Hieronymus confodit Vigilantium irridentem venerationem reliquiarum, & vsu cæreorum, quàm ecclesiæ consuetudine. Hoc idem Augustinus comprobat epistola. 86. ad Casulanum, dicens, In his rebus, de quibus nil certi statuit diuina scriptura; mos populi dei, & instituta maiorum pro lege tenenda sunt. Et rursus ad Ianuarium epistola. 118. inquit, Illa verò quæ non scripta, sed tradita sunt, custodimus. Quæ autem toto orbe terrarū obseruantur; datur intelligi, vel ab ipsis apostolis, vel ex plenarijs concilijs (quorum est in ecclesia saluberrima autoritas) cōmendata, atque statuta retineri. Item aduersus Donatistas, Paruuli, inquit, baptizati ponuntur in numero credentium: & hoc solum ex consuetudine ecclesiæ antiqua, canonica, fundatissima.

20 ¶ Idem diuus iterum ait, Superius ostendimus, paruulum credere, & inter baptizatos computari: hoc habet autoritas matris ecclesiæ: hoc fundatissimæ veritatis obtinet canon. Contra hoc robur; contra hunc inexpugnabilem murum quisquis arietauerit; ipse potius confringetur. Et Leo ille sanctissimus sermone de ieiunio Pentecostes, inquit, Dubitandum non est, dilectissimi, omnem obseruantiam christianam, eruditionis esse diuinæ: & quicquid ab ecclesia in consuetudinem est deuotionis receptū; de traditiōe apostolica, & de sancti spiritus p̄dire doctrina, q̄ nūc quoque cordibus fidelium suis præsidet institutis, vt ea omnes,

& obedienter custodiant, & sapiēter intelligant. Casianus quoque collatiōe. 21. cap. 12. Oportet, inquit, nos auctoritati patrum, consuetudiniq̄ue maiorum, vsque ad nostrum tempus pertantam annorum seriem protelata, etiam non percepta ratione, credere: eamq̄ue vt antiquitus tradita est, iugi obseruantia, ac reuerentia custodire.

21 ¶ Adde, quod vetustissima consuetudo iustum initium habere creditur, nec minorem vim habet, quàm scripta lex. Quod multis iureconsultorum responsis comprobatur. l. diuturna. de legibus. l. hoc iure. §. ductus aqua. de aqua quotid. & æsti. l. 2. de aqua pluui. arcen. Quod si id obtinet in ciuili consuetudine, ab imperito, rudiq̄ue populo plerunque introducta; quanto rectius hoc procedet in consuetudinibus ecclesiæ, à viris selectioribus, deoq̄ue dicatis, à prælatis, religiosis, doctissimis, & sanctissimis, obseruatis & custoditis? Quarum consuetudinum & obseruationum, quamplures ante mille annos viguisse constat, vt meritò credantur ab ipsis apostolis ex Christi doctrina, & spiritus sancti vntione originem habuisse. Quisquis igitur has consuetudines contemnit, ecclesiam ipsam contemnit, & hæreticus pertinax est. Vide Gratianum distinctione vndecima. Franciscum Picum libro de fide. theoremate. 6. Roffensem contra Lutherum veritate decima. Pighium libro. 1. hierarchiæ ecclesiasticæ cap. 2. Alfonsum libro primo aduersus hæreses. capi. 5. Hermã lib. 9. de instauranda religio. cap. 10. & sequen.

22 ¶ Ex his euidenter colliges, doctrinas, traditiones, & consuetudines ecclesiæ, necessariò tenendas esse homini Christiano: & si non deducantur apertè ex literis sacris. Cuius contrarium impudentissimè asserunt hæretici, malitia cæci: qui solis sacris literis arbitrio suo, id est pessimo, intellectis, seu potius deprauatis, stari volunt. Sed vltra prædicta conuincuntur alijs quoque rationibus euidentissimis. Quia non minoris auctoritatis est doctrina voce prolata, quàm scripta: sed ita Christus adest ecclesiæ suæ, quemadmodum adfuit euangelistis: ergo par est auctoritas ecclesiæ, & scripturarum. Quid, quòd redemptor noster apostolis, & discipulis præcepit, vt prædicarent,

rent, vt docerent, non autem vt scriberent. Quò factum est, vt cum pauca nobis scripserint, prædicatione tamen euangelica totum orbem repleuerint: multa docentes, quæ non fuere literis mandata. Quinimo lex ipsa euāgelica viua voce primum tradita est, non autem in scriptis. nil enim scripsit Christus, nil scribendum mandauit, vt eleganter docet Hermas lib. 9. de instauranda religio. cap. 5. & deincep.

23 ¶ Sed neque omnia, quæ ad religionem nostram pertinent, scripserunt euangelistæ: sed Christi tatum conuersationem in terris. Nec eius integram historiam tradiderunt, vt Ioannes ipse, qui nouissimus scripsit euangelium, ingenuè fatetur, in illius fine inquit, Sunt & alia multa, quæ fecit Iesus, quæ si scriberentur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt libros. Et quidem constat aliqua ab euangelistis omiſsa: quale est illud prioris epistolæ ad Corinthios. capi. 15. deinde visus est plusquàm quingentis fratribus. & cætera. Item illud actorum cap. 20. Quoniam ipse dixit, Beatius est magis dare, quàm accipere. Et ad Hebræos cap. 5. Qui in diebus carnis suæ. & reliqua, quæ illic sequuntur.

24 ¶ Nec scripserunt euangelistæ ea omnia, quæ ad ecclesiæ institutionem, hierarchiam, & sacramenta pertinent: quorum pars maxima vntioni sancti spiritus reseruata fuit, atque in aliud tēpus reiecta. quod ex capite Ioannis. 16. euidenter cōstat, vbi Christus inquit, Adhuc multa habeo vobis dicere, sed nō potestis portare modo. Cum autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatē. Illa itaque tam multa reseruata spiritui sancto, didicerunt postmodum apostoli: cum eundē spiritum sub signo visibili acceperunt, eademq̄ue tradiderunt ecclesiæ, ac veluti per manus succedentium sibi episcoporum & patrum, sibi mutuò & ecclesiæ perhibentium testimonium, certa, fidelique traditione ad nos peruenerunt. Et vt eleganter Cyprianus in sermone de ablutione pedum scripsit, Sicut par est spiritui sancto & Christo diuinitas; ita in suis statutis æqua est auctoritas & potestas. nec minus ratum est, quod dictante spiritu sancto tradiderunt apostoli, quàm quod ipse tradidit Christus.

- 25 ¶ Præterea ecclesia auctoritatem habet discernendi scripturas diuinas ab humanis: & eius traditione certissimè scimus, quos libros recipere, quosque reijcere debeamus. Nec alia via a ratione cognoscimus qui libri sint canonici, & spiritu sancto inspirante compositi, nisi auctoritate ecclesiæ. Vnde Origenes libro. i. cōmentariorum in Matthæum, Ex traditione, inquit, didici de quatuor euangelijs: quia hæc sola absque vlla contradictione suscipi debent in omnibus, quæ sub cælo sunt, ecclesijs. ita enim tradiderunt patres. Et iterum ait, Quamuis nonnulli de epistola, quæ ad Hebræos scripta est, dubitauerint, an Pauli sit: sed ego, inquit, dico sicut mihi à maioribus traditum est, quia manifestissimè Pauli est: & semper omnes antiqui maiores nostri ita eam, vt Pauli epistolam, susceperunt. Nec sacræ literæ auctoritatem habent ex suis autoribus, aut scriptoribus, sed propter ecclesiasticæ traditionis fidem, & testimonium.
- 26 ¶ Recepit ecclesia euangelium Marci & Lucæ, qui nunquam redemptorem nostrum viderunt: & tamen reiecit euāgelium sub nomine Petri scriptum, eo quòd non esset consonum traditionibus ecclesiæ, vt Eusebius testatur lib. 6. ecclesiasticæ historiæ. Et Innocentius primus, epist. 3. ad Exuperium Tholosanū episcopū cap. 7. enarrans libros, qui recipiunt in canone sanctarum scripturarum, tandem subiungit, Cætera autē, quæ vel sub nomine Matthiæ, siue Iacobi minoris, vel sub nomine Petri & Ioannis, quæ à quodam Leutio scripta sunt, vel sub nomine Andræ, quæ à Neocharide & Leonide philosophis: & sub nomine Thomæ, & si qua sunt alia, non solum repudianda, verum etiam noueris esse damnāda. Ecce quomodo summus pontifex de scripturis iudicat. Sic & Gelasius primus censuram suam de scripturis promulgauit. in. c. vlti. distin. 15.
- 27 ¶ Epiphanius quoque in septima generali synodo, tomo quinto, inquit, Decet omnem Christianum, cum aliquos libros adulterinos audit, aut legit, respuere, nec omninò animum adhibere. nam & inter epistolas diuini apostoli quædam fertur ad Laodicenses, quam patres nostri, tanquam alienam, reprobauerunt. Præterea Manichæi, euangelium secundum

- dum Thomam inuenerunt: quod ecclesia catholica meritò vt impium aduersatur. Et in multis concilijs receptas & reprobatas scripturas inuenies. Tantum notabis fidei assertionem patrū nostrorum in primo concilio Toletano, vbi sic aiunt, Si quis dixerit, vel crediderit, alias scripturas, præter quas ecclesia catholica recipit in auctoritate habendas, vel esse venerandas; anathema sit.
- 28 ¶ Ex his liquet euidentissimè, quantum insaniant hæretici, qui nunc auctoritatem omnem detrahere nituntur ecclesiasticæ traditioni. non enim intelligunt stupidi, cæci, & miseri, se omnem prorsus auctoritatem canonicarum scripturarum è medio tollere: & vnum hoc conari, vt vniuersum orthodoxæ fidei & veritatis lumen, sibi, alijsque eripiant. Inde etenim patet, verissimam esse illam Augustini sententiam, toties decantatam, qui in epistola fundamenti contra Manichæos inquit, Euangelio non crederem, nisi auctoritas ecclesiæ me commoueret. Hæc itaque auctoritas in veritatis certitudine par est auctoritati scripturarum, sed notior nobis est, & ad longè plura se extēdit. quinimo & magis idonea & efficacior est in re dubia ad fidem certitudinemque faciendam, vt eleganter probat Pighius. lib. 1. hierar. eccle. cap. 2. & deinceps. cui adde Franciscum Picum libro de fide, theoremate 6. Fabrum contra Lutherum. tractatu. 2. textu. 1. & iterum tractatu. 7. textu. 9. & similiter Roffensem contra eundem, veritate. 9. Driedonem. lib. 2. de ecclesiasticis dogmatibus. cap. vlti. Et rursus. lib. 4. à capite. 2. deinceps. Alfonso. lib. 1. aduersus hæreses cap. 5. Et Bartholomæum. controuersia prima. Hermam. lib. 8. de instauranda religione. cap. 10.
- 29 ¶ Postremò tractari potest, Vtrū hæretici sint de ecclesia? Quod magis videtur, quia ecclesia de illis iudicat, eos excōmunicat, & punit: & tamē nil ad ecclesiā attinet de his, quæ foris sunt, iudicare. vt inquit Paulus prioris epistolæ ad Corinth. c. 5. Præterea hæretici tenentur præceptis ecclesiæ, & quibusdā sacramētis vtunt: nā verè baptizati sunt, & verè baptizāt, & sacramētū ordinis retinēt. Sed quamuis quibusdam ex causis pertinere videantur ad ecclesiam, propriè tamē de ecclesia nō sunt. hæresis enim diuisionem

significat, & ideò dicuntur hæretici, quòd ab ecclesia diuifi & secti sunt.

30 ¶ Quod probatur euidenter Matthæi. 18. Sit tibi tanquã ethnici. ergo sicut ethnici non sunt de ecclesia; sic nec hæretici. Et Paulus ad Ephesios cap. 4. inquit, Vnus deus, vna fides, vnum baptisma. Ergo qui nõ manet in vnitae fidei, nõ est de ecclesia dei. Hoc asserit Cyprianus ad Rogatianum scribens, vbi ait, Hæc initia hæreticorum, & ortus atque conatus schismaticorũ, sic de ecclesia egreditur, sic altare pro foris collocatur. Et Augustinus inquit, lib. 21. de ciuitate dei. cap. 25. Hæretici & schismatici, & eiekti à prælatis, ab vnitae corporis Christi sunt separati. vt & Heremas docet lib. 6. de instauranda religione. cap. vlt. Demum, cum ecclesia propriè non sit, nisi fidelium res publica seu religio: hæretici re & nomine ab ecclesia diuifi, non magis ad eam pertinent, quàm transfugæ ad exercitum, à quo transfugerunt. Ideò de hæreticis loquens Augustinus, capite supradicto, inquit, Peior est desertor fidei, & ex desertore oppugnator eius effectus, quàm ille, qui non deseruit, quam nunquã tenuit. Rectè itaque diffinierunt patres in quarto concilio Carthaginensi cap. 71. dicetes, Hæreticorum coetus, non ecclesia, sed conciliabulum est. In summa hæretici, apostata, & schismatici, in ecclesia non sunt, reliqui vero peccatores in ecclesia numerantur.

DE EPISCOPIS. CAP. XXIII.



NTER alia munera episcoporum grauissima, illud proprium ac præcipuum est, quòd oues sibi commissas diligenter custodire debent à lupis rapacibus, hoc est, ab impiorum hæreticorum venenosis doctrinis. nam vt Gregorius inquit, Nõ potest esse pastoris excusatio, si lupo oues comedit, & pastor nescit. c. penulti. de regul. iur. Quapropter ab ipsis apostolorum temporibus hæc sollicitudo episcopis iniuncta est, vt hæreticos inquirant, damnent, atque confundant, pœnis etiam statutis in eos, qui minus vigilantes fuerint. quod Ambrosius Catharinus eleganter docet in speculo hæreticorũ, cõsideratione. 1. Sed

Sed munus hoc inquisitoribus hodie delegatum est: siue propter varias episcoporum curas: siue propter quorũdam, vel ignauia, vel imperitiam. Debent tamen episcopi suas partes adhuc interponere: nec putent rem hanc omnium grauissimam, iam ad se non pertinere.

1 ¶ Ipsimet apostoli, canone. 38. sic statuerunt, Bis in anno episcoporum concilia celebrètur, vt inter se inuicè dogmata pietatis explorent. Et in cõcilio Mileuitano. c. 25. decernitur, vt negligēs episcopus, qui nõ curauerit cõuètere hæreticos ad vnitatē catholicā, cõmunionē priuetur: & si mētitus fuerit in eorũ cõuersione, episcopatum amittat. In concilio quoque Lateranensi sub Innocentio tertio cap. 3. sic definiunt patres, Si quis episcopus super expurgādo de sua diocesi hæreticæ prauitatis fermento negligens fuerit, vel remissus, cum id certis iudicijs apparuerit, ab episcopali officio deponat, & in locò ipsius alter substituatur idoneus, qui velit, & possit hæreticā cõfundere prauitatē. Demũ in cõcilio Basiliensi sessiõe. 15. hoc verborũ tenore decretũ est, Præcipua in ipsa synodo episcopi cura sit, inquirere, ac debitis modis occurrere; ne aliquod dogma hæreticũ, erroneũ, & scādalo sum, sortilegia, diuinationes, incantationes, superstitiones, & quæuis diabolica figmenta diocesim suam infreant,

2 ¶ Præterea Siluester constituit, vt hæreticũ resipiscentem presbyter nõ susciperet, nisi episcopus loci designati. Et Gelafius in epistola ad Faustum docet, solum pontificem, & episcopos damnare posse hæreticos, sine aliorum consensu. Et in. c. ad abolendam. de hæreti. et multis alijs locis, hæreticorum causæ ad episcopos deferbantur: donec inquisitores designati sunt iudices, vt cum episcopis cognoscant. non tamen per hoc derogatur iurisdictioni ordinariæ episcoporum: sed vtrique possunt cognoscere, communiter, vel diuifim. Sed quando seorsim procedunt, tenentur communicare sibi processus, & per vtrosque simul sententia est pferenda, nisi inuicè sibi detulerint. Quòd si nõ fuerint cõcordes in pronũciando, tunc remittendũ est negotiũ instructũ ad sedem apostolicā. Et eundem modum seruare tenetur episcopi in procedendo, quem inquisitores obseruant. c. p. hoc. de hæreti. lib. 6.

- 3 ¶ Verum hæc hodie apud nostrates non ita in omnibus obseruatur. nam cum hi iudices discordant, remittitur negotium instructum ad generalem inquisitorem, & proceres consilij sanctæ, ac generalis inquisitionis. Deinde cum episcopi non habeant secretos carceres, nec ministros in hoc idoneos, ac proinde seruare ne queant ordinem inquisitoribus præscriptum; sequitur inde, quòd in Hispania cognoscere non debent de his causis soli episcopi, vt merito non sit vsu recepta decisio extrauagantis. ex eo. de hæreticis. vbi cõcedebatur, quòd episcopus seiunctim procederet. Sed magna inde oriretur confusio. Propterea hoc iure vtimur, vt episcopus hæreticos capere possit: eos tamen ad inquisitores confestim remittat.
- 4 ¶ Illud etiam statutum est, vt vicarius episcopi assistere possit inquisitoribus, vice episcopi, cuius diocesis est reus. c. vt cõmissi s. priuandi. de hæreti. lib. 6. Quod hodie frequentius fieri solet. nã vel vicarij, vel alij ab episcopis delegati, adesse solent inquisitoribus: ipsi verò episcopi rarò hunc laborem subeunt. Capitulum quoque, sede vacante, succedit in locum episcopi, vt in plerisque alijs, ita etiam in hoc munere, c. ad abolendam. de hæreti. vbi & illud probatur, quòd si episcopus procedit contra hæreticos exemptos; id facere potest iure delegato, nò autem iure ordinario. Et illic notant Ioannes Andreas, Cardinalis, Felinus, & alij.
- 5 ¶ Si episcopus fuerit hæreticus, accusari potest, ac denunciari à subditis: iuxta decretum secundæ synodi Romanæ, sub Symmacho papa, vbi sic decreuerunt patres; Oues, quæ suo pastori commissæ sunt, cum nec reprehendere, nisi à fide exorbitauerit, nec vllatenus accusare possunt. Debet tamen cautius agi, vbi negotium episcopos tangit. c. oues. c. accusatio. 2. quæstio. 7. Nec possunt inquisitores procedere contra episcopos, vel superiores prelatos; nisi expressè hoc fuerit eis commissum. Quòd si cognouerint illos hæreticos esse, vel diffamatos de hæresi, vel suspectos; debent hoc sedi apostolicæ denunciare. c. inquisitores. de hære. lib. 6. Sed hodie generali inquisitori, & proceribus denunciabunt.
- 6 ¶ Episcopus hæreticus priuatur episcopatu. Quia ex pastore factus est lupus, & ecclesiæ membrum esse desijt. Sic in synodo Coloniensi

- loniensi, sub Iulio primo, Eufrata hæreticus priuatus fuit episcopatu. Sic actione. 3. cõcilij Chalcedonensis, Dioscorus episcopali dignitate, & omni sacerdotali ministerio propter hæresim fuit priuatus. Sic etiam actione prima quinti concilij Constantinopolitani, Anthimus archiepiscopus, & alij episcopi hæretici depositi fuere. Sed præter hoc, si pertinax fuerit episcopus, relapsus, vel impœnitens; degradatione præmissa, igni tradendus est: Crederem tamen consuli debere summum pontificem, ad quæ episcoporum causæ omni iure pertinere noscuntur. iuxta quod in epistola synodali Alexandrini concilij scriptum extat in hæc verba, Antiquis regulis sancitum est, vt quicquid, quamuis in remotis & longè positis prouincijs, super episcoporum querelis & accusationibus ageretur; nò prius accipiendum esset, quàm ad notitiam apostolicæ sedis fuisset pronũciatio prolata: ne passim ab accusatoribus, aut calumniatoribus columnæ conuellerentur ecclesiæ.
- 7 ¶ Hoc quoque docet Anacletus in epistola, quam scribit vniuersæ ecclesiæ, dicens, hoc statutum fuisse ab apostolis, iussione saluatoris. Hoc idem Euaristus, in epistola ad Ægyptiorum episcopos, & rursus in altera ad vniuersos Africanæ regiõis episcopos. Hoc Sixtus primus in epistola, qua totius ecclesiæ instruit episcopos. Hoc Anicetus ad Gallicanas ecclesias scribens. Hoc Victor in epistola ad Theophilum. hoc denique Sixtus secundus, Zepherinus, Marcellus, Melchisedech, & alij multi sanctissimi, doctissimi, & antiquissimi patres ante multa secula docuerunt. Sed & in concilio Niceno tale decretum extat, Dudum siquidem à sanctis apostolis eorumque successoribus in antiquis decretis statutum fuerat: non oportere præter sententiam Romani pontificis concilia celebrari, nec episcopos damnari. Sunt & alia multa in hanc sententiam seriatim prolixiusque collecta per Albertum Pighium lib. 6. ecclesiasticæ hierarchiæ: cap. 6. & deinceps. Vide Gratianum. 2. quæstio. 6.
- 8 ¶ Ad extremum, quanta res sit episcopale munus, qualis esse debeat episcopus, aliaque multa id genus, longum esset, ac præter institutum recensere. Quædam tamen breuiter hic attingam.
- Primum

Primum, oportet episcopum esse prudentem, & literarum, peritia, & secularium rerum dispensatione. Ornatus etiam esse debet interius & exterius, hospitalis, pudicus, doctor, non vinolentus, non percussor, non litigiosus, non avarus, virtutibus preeditus, viduarum, orphanorum, & pauperum protector, rite ordinatus, et recte promotus. Quae diffusius probat Gratianus dist. 36. & deinceps & iterum dist. 85. & sequenti.

- 9 ¶ Qualis debeat esse episcopus, docet Chrysostomus lib. 2. de sacerdotio. & lib. seq. & idem rursus in actis apostolorum homilia tertia. Paulus epistola priore ad Timo. cap. 3. Gregorius in pastoralis. Bernardus de consideratione ad Eugenium. Et iterum epistola. 42. Quaedam etiam habentur in septima synodo canone. 2. & in concilio Rhemenfi. cap. 14. cum seq. & in decretis Nicolai papae aliqua nota digna traduntur. Denique episcopus eligendus est natura prudens, docilis moribus, temperatus, castus, sobrius, peruegil, humilis, affabilis, misericors, doctus, in lege domini instructus, fideique defensor, & qui ea omnia facere conetur, quae in consecratione promittit. Vide Fabrum contra Lutherum. tractatu. 5. textu. 26. Et Bartholomaeum Mirandensem de residentia episcoporum.

DE ERRORE. CAP. XXV.



M hæresis nil aliud sit, quam error pertinax in fide, opere præteritum erit videre, qualis hic error sit, qui errantem facit hæreticum, non enim omnis qui errat, hæreticus est. Error itaque in fide multifariam considerari potest. Sed simpliciter et generaliter duobus modis in hoc erratur, vel per malitiam, vel per ignorantiam. Error malitiæ, habet pertinaciam coniunctam: & hic est qui facit consummatum hæreticum. Error ignorantiae interdum poenam, sæpe etiam veniam meretur: iuxta qualitatem ignorantiae, atque intentionem errantis. Est autem errare, habere falsum pro vero, aut verum pro falso, vel certum pro incerto, aut incertum pro certo, ut Augustinus docet in enchiridio.

cap.

cap. 17. Vide Franciscum Titelmanum lib. 11. de consideratione rerum naturalium cap. 19. Hanc distinctionem docet eleganter Plato lib. 9. de legibus pagina. 5. & Aristoteles lib. 1. posteriorum cap. 12. Alfonsus lib. 2. de potestate legis poenalis cap. 14.

- 1 ¶ Per malitiam errat in fide, qui sciens veritatem catholicam, credensque illam esse veram, ipse tamen asserit contrarium errorem. Quod fecisse creduntur multi callidi, ac pessimi hæretici: qui lucri cupiditate scienter, falsa dogmata rudioribus persuaserunt. Huic affinis est illorum error, qui scientes, quid sancta docet ecclesia, ipsi nihilominus contrarium pertinaciter verum putant, præponentes errores suos iudicio ecclesiae. Cuiusmodi sunt hæreticorum plurimi, & præcipue huius ætatis, qui gula, superbia, & vanagloria cæci, ecclesiae doctrinam paruipendentes, lucem dicunt esse tenebras, & tenebras lucem. Similiter per malitiam errant hi, qui turpiter ignorantes aliquam fidei veritatem, quam explicitè scire tenentur; ipsi tamen contrarium errorem pertinaciter credunt: non parati ad correctionem, veritate cognita: quæ pertinacia eos quoque facit hæreticos, qui errant in his, quæ tunc explicitè scire non tenentur. De ignorantia autem & eius distinctione, ad eundem est Alfonsus lib. 2. de potestate legis poenalis cap. 14. vbi quamvis prolixè, ingeniosè tamen scripsit.

- 2 ¶ Alius est error ignorantiae, quo sæpe doctissimi atque sanctissimi viri lapsi sunt: nullo suo vitio aut culpa, sed humana imbecillitate. sic enim affecta est natura hominis post inobedientiam primi parentis, ut altissimis ignorantiae tenebris laborantes, nil aliud sponte nostra sciamus, quam flere. sic rursus mysteria fidei disposita sunt omnipotens, ut sæpe reuelauerit paruulis, quæ abscondit sapientibus. Quod factum est, ut Cyprianus, Lactantius, Augustinus, Cassianus, & alij: quinimo concilia quaedam frequentissima, plus semel in rebus fidei aberrasse deprehendantur. Quorum errores ex ignorantia quadam naturali, ac poenae inuincibili provenientes, tantum abest, ut patres illos hæreticos fecerint; ut affectione pia veritatem quærentes, aliquando veniam, interdum etiã laude dignos eos reddiderint. Et hic est error ille, de quo prudentissimè loquens Augu. dicebat, Errare possum, sed hæreticus non ero.

¶ Alius

- 3 ¶ Alius est error eorum, qui in his, quæ tunc explicitè scire non tenentur, credunt aliquid esse verum, quod tamen est contrarium doctrinis ecclesiæ: sed illi putant id esse, quod ecclesia catholica tenet, parati que sunt ad correctionem. Quod vel ignorantia, vel simplicitate, vel falsa doctrina alicuius, cui piè credere tenebantur, plerunque contingit. Hi verò qui sic errant, & statim adhærent ecclesiæ, cognita veritate, nil minus, quàm hæretici sunt. inquit enim Hieronymus, Qui cognitū ilicò sequimur, olim utique sequeremur, si ante cognouissimus. Cōfert doctrina textus, in. c. dixit apostolus. 2. 4. q. 3. Et ut ait Thomas. 2. secundæ. quæst. 11. artic. 2. isti non habent electionem contradicentem doctrinis ecclesiæ, nec pertinaces existūt: relinquif ergo, ut hæretici nō sint.
- 4 ¶ Et hæc, quæ prædiximus, cōcordi doctorum omnium sententia firmantur. Sed in gratiam eorum, qui plurimorum autoritatem desiderant, aliquos hic recensebimus breuiter. Hæc docent Innocentius, Baldus, & Abbas. in. c. 1. de summa trinita. Ioannes de Anania, & Felinus in. c. 1. de hæreti. Paulus, Iason, & cæteri in rubrica. C. de summa trinita. Gersonus tractatu de protestatiōe, consideratione. 11. alphabeto. 14. Cardinalis in clem. 1. de hæreti. & Gonsalus in tractatu eiusdem tituli. quæstio. 1. & 2. Siluester post alios verbo, hæresis. 1. Lupus in allegatiōe de hæresi §. 5. Caietanus. 2. secundæ. quæstio. 11. arti. 2. Pighius hierarchiæ ecclesiasticæ lib. 4. cap. 8. Alfonso lib. 1. aduersus hæreses. cap. 9.
- 5 ¶ Alius est error culpa non carens, quo aliqui errant in his, quæ tunc explicitè scire tenebantur. Et quamuis talis error ex circumstantijs personarum, temporum, causarum, & locorum, interdū suspicionem, & præsumptionem hæresis faciat; non tamè is qui sic errat, confestim hæreticus est. aliud quippè est error, aliud hæresis. Hæc enim habet electionem contradicentem doctrinis ecclesiæ: ille verò etsi alioqui culpam habeat, non ideò pertinaciã includit, sine qua nullus fieri potest hæreticus. Quapropter qui in his errat, peccat ille quidem peccato negligentia, aut alterius culpe, sed non peccato hæresis, nisi pertinaciam adiungat. Et hoc docet Franciscus Victoria. 2. secundæ. quæst. 11. arti. 2. & Alfonso lib. 1. aduersus hæreses. cap. 9. Adde, quòd errans per ignorantiam,

- tiam, non consentit errori. nil enim tam contrarium est voluntati, quàm error, qui imperitiam detegit. l. si per errorem. de iurisditio. omni. iudi.
- 6 ¶ Qui per simplicitatem vel ignorantiam errat, is debet errores suos reuocare purè, simpliciter, & sine conditione. Sed non tenetur fateri, se errando peccasse contra fidem catholicam, saltè mortaliter. Nec post huiusmodi reuocationem debet illi pœnitentia iniungi: nisi fortè spontè, vel ad cautelam, vel ex humilitate voluerit eam sustinere. nec iste notatur infamia, nec aliquam hæreticorum pœnam patietur: quia non est, nec fuit vnquam hæreticus. Quod maximè locum habet, vbi causas habuit error honestas, & ignorantia fuit iusta. Hæc enim facit magis inuoluntarium, quàm metus, ut ait Aristoteles, libro tertio Ethicorum, & Thomas. 1. secundæ. quæst. 6. Hæc ferè omnia docet Occham parte. 2. dialogorum tracta. 1. cap. 10. & Gersonus tractatu de protestatione, consideratione. 11. Quæ etiã sensisse videntur Matth. Ioan. de Ligna. & Cardinalis in clem. 1. de summa trinita. Lupus in clem. 1. §. vlti. de vsuris. Ioan. Imola in clem. nolentes. de hære. & Lupus in allegatione de hæresi §. 4.
- 7 ¶ Qui aliquos errores asseruit, debet eos publicè reuocare, propria voce, & asseueratione constanti. Quod faciendum est, quando iudex præceperit. extrauagati. vas electionis. in fine. de hære. Tandiu autem error ignorantia probabilis est; quandiu non cōstat, quid in eiusmodi propositionibus ecclesia catholica sentit. At postquàm de sententia illius constiterit, nisi protinus reuocetur talis error, iam non error est simplex, sed hæresis, ut Pighius docet hierarchiæ ecclesiasticæ lib. 1. cap. 6.
- 8 ¶ Temerarium verò, erroneum, & hæreticum differunt. Nam temerarium est, asserere pro certo aliquid, quod ratione vrgenti, vel autoritate probari nequit. ut puta, si dicatur, cras erit finis huius seculi. Erroneum addit super temerarium falsitatem. nam errare, est discedere à via recta. Et quia tenere veritatem in rebus fidei pertinet ad viam ducentem ad beatitudinem: & omnis falsa assertio recedit à rectitudine veritatis, ideò talis assertio vocat error. Hæreticum verò addit sup errorem, quòd falsitati adiungit pertinaciam

pertinaciam. Sic distinguit archiepiscopus Florentinus. 2. parte summe. titu. 12. cap. 5.

DE EXCEPTIONIBVS ET DEFENSIO.
CAP. XXVI.



QVAMVIS pertinacibus & impœnitentibus hæreticis appellatio, & omnis defensio iure denegetur: his tamen, qui nondum plenè conuicti sunt, omnes legitimæ defensiones meritò cōceduntur, ne fortè innocentes damnentur. nec enim iudicialis defensio prohibenda est, nō magis, quàm extraiudicialis illa, quæ cum moderamine inculpatæ tutelæ omni iure permittitur. l. vt vim. de iusti. & iure. l. defensionis. C. de iure fisci. lib. 10. Quū igitur sit grauissimum homini Christiano pœnis hæreticorum, iniustè forsan puniri, vbi tam graue periculum vertitur; ibi cautiùs agere oportet. c. vbi periculū. de electio. lib. 6.

1 ¶ Prima itaque reorum innocentium defensio, eademque potissima est, negatio criminis falsò illis obiecti. nam accusatore non probante, reus & si nil præstiterit, absoluendus est. l. actor. C. de probatio. l. qui accusare. C. de edendo. Et qui accusatur iniustè, ne falsum ipse testimonium dicat, & ne seipsum innocentem infamet atque condēnet, constantissimè negare debet, alioqui maius peccatum incurret. Sanè tenemur omnia mala pati, potiùs quàm peccato consentire. In hoc autem animi constantiam præstabit innocentia: quæ quidem fortis & secura est, magnumque robur habet. nā vt Horatius inquit: murus ahæneus esto, Nil cōscire sibi: nulla pallefcere culpa. Sicut è regione, vt Sapiens ait, cū sit timida nequitia, testimonium dat cōdemnationi. qui nullius iniuriæ sibi conscius est, huic iucunda spes semper adest, optima senectutis nutrix. Quemadmodum Pindarus ait. scitè nanque ille cecinit, Quicūque iustè, sanctèque vitam exigit; dulcis eum spes comitatur, cor nutriens, senectutemque fouens, quæ maximè hominum volubilem gubernat animum. Hæc Plato lib. 1. de republica. & prouerbiorū cap. 28. Fugit impius, nemine persequente:

sequente: iustus autem, quasi leo confidens, absque terrore erit. Sicut enim trepidare facit mens cōscia culpæ, sic animi simplex probitas, & cognita virtus efficit impavidum pectus. Adde Gregorium in Iob lib. 12. c. 19. & l. fororè. C. de his quib. vt indignis.

2 ¶ Sed quia non semper innocentia reorum sola negatione defenditur, necesse plerūque est, alijs quoque defensionibus vti. Quorum illa tutissima erit, si modo probari queat, quòd reus se nil hæreticum dixisse, aut fecisse doceat. Verū quia difficilè est (ne dicam impossibile) huiusmodi negationem probare: cum negantis factum per rerum naturam nulla sit directa probatio. c. quoniam. de probatio. oportet negationem coarctare loco & tempore. Quod videtur fieri non posse in hoc iudicio, vbi hæc absconduntur accusatis. Sed, vt alibi diximus, quando reus petit, vt sibi declarentur dies, mēsis, annus, & locus, quibus dicitur hæresim commisisse, hoc illi concedendum est ad sui defensionem: nisi fortè de malitia petentis constet: aut probabiliter timeatur de periculo testium, & reuelatione causæ. tunc enim prudentia iudicum his damnis occurret. ita tamen, ne vnquam legitima defensio tollatur. et ita vtimur.

3 ¶ Accepta igitur defensionis facultate, probabit reus, eo tempore se alio in loco fuisse: ita quòd impossibile fuerit, tūc illa crimina illic perpetrasse, vbi testes cōmissa fuisse dicunt. quod si pluribus & melioribus testibus cōprobauerit, absoluendus est. l. optimam § vlti. C. de contrahen. & committen. stipula. Aristoteles rhetoricæ ad Alexandrum. cap. de argumēto. Decius confi. 101. & iterum consil. 539. regia lex. 116. tit. 18. parte. 3. & rursus. l. 32. tit. 11. parte. 5. Sed & illud probare sufficet, quòd reus eo tēpore semper comes fuit his, quos producit in testes. Qui si quid tale fuisset perpetratum, omninò audissent, aut vidissent, nec eos latere villo modo potuisset. Hęc enim probatio æquè cadit in sensum testis, quemadmodum assertio contraria: ideo pluribus & melioribus testibus standum est, imò etiam paribus in fauorem reorū. glo. in authen. de hæredib. & falcis § si verò absunt. parte, & vidisse. Quam illic approbat Bart. post Dinū. Paulus, Alexander, & cæteri. in. l. 1. si cert. petita. Bal. in. l. cum hi § nihil. de transactio. & Francif.

Francisc. de Areti. consilio. 71.

- 4 ¶ Cæterum quia nonnulli dubitant de hac specie probationis, & reprobant glosam in. l. 1. de itine. actuque priua. idcirco breuiter hic veritatem attingemus. Planè cum testis negationem profusam, & parum restrictam probat, is merito suspectus habetur nec æqualis est contrarium factum probanti. Et in hac specie datur glosa prædicta, quia id non cadit in sensum testis infallibiliter. Et ita loquitur Baldus in. l. actor. C. de probatio. Corneus consil. 125. lib. 4. & similiter quidam alij. Sed cum testis negationem rectè coarctat, tunc verè ac plenè probat, sicuti iam prædiximus. Et hæc est vera & recepta sententia, quam post Bal. Angel. & antiquiores, docet Philip. Decius consil. 94. & iterum consil. 534. Ripa. in. l. in illa. nu. penul. de verbo. obliga. Igneus in repetitio. l. necessarios. §. nō alias. nu. 135. ad fillania. Fran. Nicoci. in. c. quoniam. de probationibus. nu. 23.
- 5 ¶ Adde, quòd non solum probatur defensio huiusmodi, quando testes dicunt, quòd non potuit hæresis eo tempore committi, quin ipsi viderent: verum etiam quando asserunt, quòd nil tale dictum aut factum fuit: quia ipsi fuerunt eo tempore præsentis, & nil tale audierunt, aut viderunt. Nam si hæresis erat eiusmodi, vt verisimiliter tunc non posset illos testes latere; hoc satis concludit de necessitate iuridicæ præsumptionis: quod sufficit ad plenam probationem. alioqui nec mille testes concludunt de necessitate naturæ: cum etsi vno ore loquantur, mentiri tamen omnes possint. Et hanc veram sententiam tenet Baldus in. l. 2. C. de bonorum possessio. secun. tabu. Aretinus & Felin. nu. 4. in. c. tertio loco. de probatio. Cardina. consil. 27. Ruinus consilio. 145. lib. 5. Decius in. l. 1. in fine. C. de bono. possessio. secun. tab. in quo iudicis arbitrium plurimum potest. cuius prudentiæ relinquitur, quanta fides testibus sit adhibenda. l. 3. §. 1. de testibus.
- 6 ¶ Sed quia reus nō semper has probationes habere potest, vt suā innocentiam tueatur; non parum iuuerit, probare, quòd à iuuentute sua fuit bonis moribus præditus, pijs operibus deditus, genere, vitaque minimè suspectus. quod magis pderit, si in specie probauerit, se contraria criminibus obiectis sempfecisse, vt puta,
- fi

- si dicatur, quòd malè sensit de sacramentis, & reus probet, se illis religiosissimè vti solitum, vel quippiam simile: tunc enim si reus alioqui prudens & pius inuentus sit, & constanti animo persistat in negatione: quamuis nil aliud probare queat, non tamen facilè damnandus est: sed iudices innocentiam eius diligèter inuestigare debent, testesque repetere, ac subinde interrogare, & illos admonere, ac de vita, moribus, & genere illorum prudenter inquirere: aliaque omnia facere, quibus indubia veritatis fides manifesta fiat. Denique procrastināda, differendaque sententia est: ne fortè innocens, qui plenè se defendere nequit, iniuste damnetur. Quod satis innuitur cap. 14. primæ instructionis Hispalensis. Confert. l. si non defendantur. de pœnis. l. 1. §. si quis vltro. de quæstio. Signorolus consil. 244. Decius consil. 429. Hippolytus consilio. 39. Ripa. in. l. 4. §. hoc autem. de damno infecto. numero. 77.
- 7 ¶ Præterea, quamuis de dicto aut facto, alioqui hæretico cōstet, nihilominus tamen plures defensiones legitimæ reo competere possunt: quales hæ sunt. Quòd non dixit, aut fecit animo vel intentione peccandi. Quòd per ignorantiam, per ebrietatem, per furorem, vel per aliam similem causam id contigit. nam quòd non semper sit reiicienda defensio animi, aut intentionis, alibi attigimus: & verissimum est, quòd ignorantia iusta, imò etiā iniusta, excusare possit ab hæresi, vt capite superiori fufius probauimus. Quòd autem ebrietatis exceptio admittenda sit, iam nunc euidenter ostendemus. Nam cum ebrietas priuare soleat vsu rationis, consequens etiam est, vt errorem intellectus, & pertinaciam voluntatis excludat. quibus cessantibus, nemo censeri potest hæreticus.
- 8 ¶ Cæterum, quia non omnis ebrietas omninò priuat vsu rationis: nec omnis ebrius par causa est; non ab re fuerit breuiter hic pauca tractare. In ebrietate igitur duo consideranda sunt: scilicet actus præcedens, & effectus consequens. Circa primum distinguendum est, vtrum ex actu præcedente subsequuta sit ebrietas sine peccato, vel contra. Priori casu, peccatū sequens in totum excusatur à culpa: sed non ita est
- m in

in casu posteriori. Quia peccatum illud redditur voluntarium ex voluntate præcedentis actus, & ideo effectus considerandus est ex modo & ratione voluntarij. Vnde si ebrius præuidit peccatum committendū, is nullo modo excusatur. nam et si absque vsu rationis nullus possit peccare: qui tamen culpabiliter se priuat rationis vsu, ex tunc vult pro illo tempore peccare, quo libero arbitrio cariturus est. Et ita docent Thomas & Caietanus. 2. secundæ. quæstione. 150. articulo ultimo.

9 ¶ Vbi & illud Caietanus addit, quod reputabitur præuisum tale peccatum, non solum si præuideatur in specie, verum etiam si sciat ille, quod ebrius peccare solet, quamuis nesciat quā blasphemiam, aut hæresim tunc facturum vel dicturum est. Et similiter præuisum censebitur, quando id præuidere debuit, puta, quia iam alias eam rem expertus est. Quod si quispiam vt peccet, inebriatur, is proculdubio peccatū aggrauat, quia ebrietatem affectat. Quemadmodū ignorantia affectata non est causa, vt peccatum hoc prætextu excusetur. Quinimo ignorantia eiusmodi, est instrumentum ad peccandum liberius. In qua specie iustissima erat lex illa Pittaci: quæ durius puniebat eos, qui per ebrietatem delinquebant. cuius meminit Aristoteles lib. 3. ethi. capit. 5. & iterū in fine libri secundi politicorum. Adde, quod in vniuersum affectata nocere solent, vt multis exemplis comprobāt Felinus in. c. ultimo. de testi. Ripa. in. l. quod te mihi. si cert. peta. Igneus in. l. 3. §. subuenitur. numero. 149. ad fillania. Tiraquellus de retractu municipali §. 35. gl. 4. numero. 27.

10 ¶ Ex prædictis collige plenam distinctionem. Aut ebrietas priuat vsu rationis ex parte, aut ex toto. Priori casu, peccatum commissum, pœna dignum est, quia voluntarium: sed temperanda est pœna pro modo culpæ. Posterior species distinguenda est. Aut ebrietas euenit sine culpa: quia vinum erat indomitum, & ignorantem inebriauit: & tunc nulla erit pœna, vbi nulla præcessit culpa. Aut ebrietas culpa bibentis prouenit, & rursus distinguere oportet. Aut præuidit crimen in ebrietate committendum, vel præuidere debuit. nam hæc paria sunt. l. quod te. si cert. peta, & hoc pœnatione dignum est. Aut præuidere nec debuit,
nec

nec potuit: & tunc nulla erit peccati culpa, sed magis crapulæ, aut ebrietatis effectus. Aut fuit ebrietas ad peccandum affectata, & grauius peccatum efficiet: quia potius illud auget, quam minuat. l. nunquam plura. de priua. delict. Alia multa de ebrietate scripsit Plato lib. 1. & 2. de legibus. Seneca epistola. 84. Chrystomus super Genesim homilia. 29. Lucas in. l. 1. de erogatio. militar. anno. Socinus in capitulo. ad audientiam. de homici. Felinus in capit. si constiterit. de accusat. Hippolytus in. l. 1. de sicar. Ripa. in. l. vltima. C. de reuocan. donatio. quæstio. 22. textus, & interpretes in. c. à crapula. de vita & honesta. clerico. summissæ in verbo, ebrietas. & regia lex. §. titu. 8. parte. 7. eleganter Salomnius in. l. 1. de legibus. prope finem.

11 ¶ Præterea, Si quis dixerit, feceritue quippiam hæreticum, defendi & excusari potest, si fortè cum esset furiosus, insanus, aut mente lapsus, vel furij, se u dæmonibus agitato, id contigisse probetur. Nec refert, an perpetuam alienationem mentis, an temporalem ille patiat, nec ex qua causa rationis vsu careat, dummodo eo tempore, quo hæresim commisisse dicitur, compos mentis verè non fuerit. nam is pertinaciter non errat, cum sensu & intellectu omninò alienus sit. Vnde in alijs quoque criminibus furor excusare solet. l. infans. de sicarijs. Hippolytus in. l. 1. eiusdem tituli. Marianus in cap. ad audientiam. de homici. Quod si ante dementia hæreticus fuerit; expectandus est, donec ad mentem redeat: ne recta via in gehennam mittatur: & quia videtur incapax pœnæ, satisque suo furore punitur. Demum quia postea mentis compos factus, iustam pœnitentiam agere potest. Et ita ego consulerem, quod ad pœnas corporales attinet. Cæterum bonorum publicatio, vbi plenè de hæresi constiterit, protinus facienda est: quia pœnitentia non tollitur. Quod mihi satis probatur, argumento. l. diuus. de offic. præsid. vbi non cessat pœna furiosi in grauioribus criminibus. Vide Hippolytum in. l. 1. de sicarijs. numero. 49. Igneum in. l. 3. §. ignoscitur. numero. 73. ad fillania. Ripam. in. l. ex facto. de vulga. & pupil. nume. 72. & iterum in. l. vlti. C. de reuocan. donatio. quæst. 68.

12 ¶ Ex alijs insup causis defendi potest reorum innocentia, quauis
m ij manifestè

manifestè probetur, eos aliquid hæreticum dixisse. nam si id factum fuerit absque dolo & pertinacia, consequens est, vt cedat impune. voluntas enim & propositum distinguunt maleficia. Vnde si quispiam exposuerit, aut narrauerit hæreses aliorum, nõ vt eas approbaret, sed magis vt confunderet; qui talem peccasse calumniabitur? Quid si lapsu linguæ id fecerit, & statim se correxerit? Quid si cum esset infans, qui quod videt ignorat? Quid si ea dixerit senex delirus, qui per longam ætatem compos mentis non sit? Quid si dormiens? Nam & somniantes multi, non solum loqui, sed etiã ambulare, & pugnare visi sunt. Quod & Marianus tradit in. c. ad audientiam. de homici. Aristote. 5. de generatione. cap. 1. Hippoly. in. l. 1. de sicarijs. Igneus in. l. 1. §. hoc autem. ad Sillania.

13 ¶ Sunt & aliæ reorum defensiones, quæ magna ex parte ab hæresi eos excusant: quamuis nec omnino careant culpa, nec pœna carere debeant, saltem leuiore aliqua, vt exemplo esse queat, iuxta peccati modum. Talis est eorum causa, qui rapti furore amoris, zelotypia, vel desperatiõe repentina impulsæ, in verba quædã blasphemata, hæreticæ prorupunt, vel nimio amore obcecati delirantes: dilectam suam honore aliquo diuino extollunt, colunt, & adorant. hi, inquam, ex parte venia, miserationeque digni sunt: si tamen ista diu præmeditata non sint, illique impietatis suspitione careant. De his enim loquens quidam poëta inquit, Iupiter omnipotens periuria ridet amantum. pari modo risurus deliramenta prædicta. Sed venia indignus fuit sapientissimus alioqui Salomon: cuius cor mulieres deprauarunt, & in idololatriam precipitarunt. Qui locum fecit proloquio illo, Mulieres, & vinum apostatare faciunt sapientes. vt non malè dixerit Accursius in §. ultimo de successio. sublati. Amor & vinum eodem modo capiunt, nam æqualiter inebriare solent: nisi quod ebrietas amoris, diutiùs infatuat. Vide Lucam. in. l. quicumque. C. de coharta. libro duodecimo. Thomam. 1. secundæ. quæstione. 26. Platonem & interpretes in conuiuio amoris. Plutarchum in pararellis capitulo. 64. & sequenti. episcopum Abulensem libro secundo regum. capit. 13. quæstio. 19. Et rursus. de optima pœlitia. nu. 207.

Guillel.

Guillel. in. ca. Rainutius. de testa. parte, duas habens filias. nu. 27. & iterum parte, cuidam Petro. nu. 31. Casseneum in catalogo. parte. 12. consideratione. 53.

14 ¶ Nimia quoque rusticitas excusare poterit, etiam in his erroribus, in quibus nulla esset prudentium defensio. Quod non sic releuaret alios rusticos sagaces, qui negotiorum expertes non essent. nam & quorundam rusticorum ignorantia probabilis est, & aliorum calliditas veniam erroris non meretur. Quis enim est qui nesciat, quosdam rusticos homines hebetissimos esse ingenij, & omnis doctrinæ prorsus ignaros, vt parum à beluis distare videatur? alios contra, longè acutiores esse, qui quamuis rura colant, malitia tamen vrbis municipales vincant. De quibus Gregorius lib. 14. in Iob cap. 27. inquit, Multos obtusi sensus homines cernimus, & tamen eos in malis actibus astutos videmus. Propheta quoque attestante, qui ait, Sapietes sunt, vt faciant mala: benè autem facere, nesciunt. Vtrique igitur prudenter examinandi sunt, & pro modo culpæ puniendi. Quam rusticorum distinctionem Accursius & cæteri notarunt. in. l. athletæ §. de rusticis. de excusatio. tuto. Anchara. consil. 393. Decius in. l. si quis id quod. de iurisdictione. omni. iudi. nu. 34. & in. c. super literis. nu. 7. de rescriptis. Ripa. de præseruatiuis remedijs contra pestem. nume. 229.

15 ¶ Præterea hæresis per facetiam dicta, interdum excusari ab impietate potest, vt puta, si à parasito dicatur, loco & tempore non suspectis. Quod si ab alijs dicta sit, qui se facetos videri volunt: quamuis per iocum id fiat, non tamen ex toto defendetur: sed in vtrisque pro modo culpæ & scandali punienda est. nec enim licet cum deo, aut sanctis, aut cum rebus diuinis iocari. Quo nomine malè audiunt Erasmus, Cornelius, & irrisores alij: qui hæc irreligiosius tractare solent, vt risum vulgi moueant, ne quid acerbius, duriùsue dicam. Planè heretici multi scommatibus, dictarijs, & ironijs, pontificiam dignitatem, sanctorum venerationem, ecclesiæ cæremonias, & ipsa etiam sacramenta irrident: qui tantum abest, vt sub prætextu facetiarum excusentur, vt grauioribus etiam pœnis coercendi sint. Quorum iam olim iudicium non cessat, & perditio eorum nõ dormitat, & subsannabit eos domi-

m iij nus

nus, & in interitu eorum ridebit.

16 ¶ Adhæc ab hæresi defendi potest, qui repentino & inconsulto dolore, aliquid hæreticū dixerit, cuius statim sedato animo pœnituit. Quod euenire solet his, qui acutissimi morbi, aut magni vulneris, aut acerbissimi alicuius casus dolore, extra seipsum rapiuntur, & velut in rabiem quandā incidunt. Est enim difficillimū, vt Papinianus inquit, iustum dolorem temperare. l. si adulterium & imperatores. ad legem iul. de adulte. Etenim quum multæ sint animi perturbationes, omnium quàm grauisima est dolor. multi enim dolore in furorem, nonnulli in incurabiles ægri tudines redacti memorantur, sibiipsis quidam præ dolore mortem consciuere, vt Plutarchus ait in oratione quadam consolatoria. Quod similiter considerandum est in his, qui cum iracundi sint animi, ab aliquo nimium irritati, inconsulto calore iracundiæ, in verba prorumpunt hæretica. nam vt Horatius ait: ira furor breuis est. Cato senior irascentem à furioso tempore solum distare dicebat, vt Plutarchus retulit in Apophthegmatibus, & Luculētius tradit municeps meus Seneca libris de ira. Omnes itaque superscripti eatenus excusantur, quatenus indeliberatè, ac inuoluntariè agunt: & eorum pœnitentia ostenderit, ea non ex animi iudicio dicta fuisse. nam & primus motus non est in homine. & hæresis, peccatum voluntarium, præmeditatum, & pertinax est.

17 ¶ Hæc, quæ prædiximus de inconsulto dolore, & furore iræ, tunc aliquam excusationem habent, quum repentiè, & sine deliberatione fiunt: quia non ex toto voluntaria sunt, nec prorsus malitiæ imputantur, sed magis humanæ fragilitati: quapropter leuius puniendæ sunt, & hæresis pertinacia, magna ex parte carere videntur. Quam distinctionem docet Plato libro nono de legibus. pagina septima. & Tullius officiorum primo inquit, Leuiora sunt ea, quæ repentino aliquo motu accidunt, quàm ea, quæ meditata, quæ præparata inferuntur. Quod & libro secundo de inuentione latius exequitur, tractans de impulsione, & animi perturbatione. Hoc etiã docet Thomas. i. secundæ. quæstione. 24. episcopus Abulensis super Matthæum capite

capit. quinto. quæstione. 122. Siluester, & Caietanus in summis. verbo, rixa. Hoc etiam considerarunt iuris autores & commentatores. l. quicquid calore. de regulis iuris. l. si adulterium & imperatores. ad legem iul. de adulte. Aretinus consilio. 80. Alexander consilio. 76. libro. 1. Felinus in. capit. dilecti. de excep. Hippolytus in practica & quoniam. Boherius decision. 168. & alij multi.

18 ¶ Hi quoque, qui metu mortis aliquid hæreticum dixerint, aut fecerint: quamuis grauisimè peccauerint, hæretici tamen non sunt, si modo errore pertinaci caruerint. vnde relinquitur, pœnis hæreticorum eos non teneri. Sed in hoc distinctione opus est. Nā qui absoluta coactione compulsus est manus violèter sacrificijs idolorum admouere, aut simile quippiã facere; is proculdubiò nullum peccatum committit: quia nil agit, sed ab externa causa mouetur. ideoque si luctu, & mœrore animi dolere se doceat, quod inuitus coactus est, tanquam inculpatus ad communionem recipi debet, vt patres iam olim decreuerunt in concilio Ancyrano. cap. 3. Sed qui coactione conditionali delinquant, hi pro modo culpæ puniri debent. Eiusmodi sunt, qui metu mortis, aut cruciatus corporis, aut amissionis famæ, aut bonorū, aut alio timore perterriti, hæresim committere maluit, quàm hæc, aut similia pati.

19 ¶ Et in prædictis iterum distinguendum est. nam pro circumstantijs metus, personarum, temporum, locorū, & rerum, grauius, aut leuius delinquitur. Quamuis in crimine hæresis non potest non esse graue scelus eorum, qui quouis metu, aut cruciatu, impium aliquid fecerint: dicente saluatore, Matth. cap. 10. Nolite timere eos, qui corpus tantum occidunt, animas autem occidere non possunt. Idcirco generaliter apud omnes theologos, philosophos, & iurisprudentes, comprobatum est, mortem, ac extrema omnia subeunda, priusquam quicquam eorum, quæ natura scæda sunt, fiat, aut peccetur mortaliter. Sed quia non oēs constantiam habent, nec æqualiter ad eā tenent; dissimilis quoque causa eorum erit. grauius enim peccant sapietes, & fortes, prælati, & religiosi, qui metu deficiunt, quàm rudes, & ex infima plebe, quæ pueri, mulieres, ac timidiore, qui non ita tenentur ad heroicæ virtutes.

Omnes tamen, qui metu quocunque deficiunt, grauissimè peccant: quia voluntariè id agunt, quamuis coacti, & nō spontè moueantur. nam in ipsis principium est mouendi organicas partes, vt Aristoteles docet Ethicorum. 3.

20 ¶ Sed in his adhuc rursus distinguendum censeo. Nam qui metu instantis mortis deficiūt, maiorem excusationem habent, saltem apud homines: cum sit mors maximum omnium terribilium. Quibus annumeramus eos, qui vi cruciatus corporis peruertuntur. quippè cum tormenta magna, soleant esse morte ipsa amariora. Quapropter martyrium, sicuti oblatum recusandum non est, ita nec temerè affectandum, vt Nazianzenus in vita Basilij, & Ambrosius lib. 1. officiorum. cap. 37. alijque theologi censent. c. presbyteros. dist. 50. Nemo quidem scit, an martyrio vincetur: nisi fortè diuina reuelatione id assequatur. quemadmodū Paulus de ea re certus erat, vt ipse cap. 8. epistolę ad Romanos testatur. Sed hi nullam excusationem habent, qui minis tantum cesserunt, aut bonorū ablatione, aut exilij pœna deterriti, victi sunt. ea enim omnia pro deo, à religione nihil facienda erant. cap. 6. concilij Ancyran.

21 ¶ Inter hæresim autem & alia facinora, quæ vi aut metu fiunt, mea sententia hoc interest: quòd alia crimina, vi aut metu facta, suam formam statim habent. adest enim consensus ea committendi, subsequitur etiam facinus: ideoque iure puniri solent. c. sacris. de his quę vi. met. ve. caus. fi. Sed pœna extenuatur iuxta cōsiderationem culpæ. c. in primis. 2. quæst. 1. c. vltim. 11. quæst. 3. At in hæresi diuersum omnimodo esse potest: quia nō est protinus hæreticus, qui hæreticum quippiam dicit, aut facit, nisi & animo pertinaci simul errori consentiat. Quod si non facit, iā deest ratio formalis hæresis: quæ quidem non in dictis, aut factis, sed in intellectu, & voluntate consistit.

22 ¶ Proinde si quis metu mortis, aut vi tormentorum aliquid hæreticum dixerit, aut fecerit: si quidem animo non discedit à fide catholica; is verus hæreticus non est. non enim sufficit consensus ille, quo voluntariè mouetur ad id faciendum: quia longè aliud est hæretica verba dicere, aliud hæreticum esse. vnde ab vno ad alterum

alterum non infertur necessariò. ex corde enim procedunt hæreses, non ex ore tantum. Igitur qui vi, aut metu imminentis tyranni, vt illi solummodo satisfaciat, hæreticum aliquid profert: si animo & corde ab ecclesiæ catholicæ fide non discedit; nec hæreticus est, nec pœnis hæreticorum tenebitur. Quam sententiã post Raimūdum, tenet Siluester in summa. verbo, apostasia. quæst. 1. Albertinus in rubrica de hæret. lib. 6. quæst. 13. nume. 67. Brunus lib. 1. de hæreticis. capi. 4.

23 ¶ Sed quamuis non sit hæreticus, qui prædicta committit, peccat tamen grauissimè contra confessionem fidei, ad quam eotēpore maximè tenetur: ideo pro modo peccati & scandali puniendus est. Nec statim sine delectu credendum est, quòd qui talia faciunt, animo non consentiunt errori: quia in malis factis, præsumitur malus animus: sed hoc ex circumstantijs in arbitrio iudicis erit. Illa autem præsumptione faciet maximam: si protinus, metu cessante, illi reclamauerint. nam si tacuerint, nec dolorem & pœnitentiam ostenderint, quædam rati habitio, & consensus tacitus accessisse videbitur: ita vt ex inuoluntario, voluntarium factum esse credatur. Quod in his, qui per ignorantiam peccant, simili ratione censet Aristoteles Ethicorū. 3. Et eleganter Salomonius in. l. 1. de legib. & probatur cap. 3. cōcilij Ancyran. Qui verò animo etiam præuaricati sunt: licet indigni sint misericordia, debet tamen aliquid circa eos humanitatis ostendi, vt canone vñdecimo concilij Niceni traditur. & cap. 11. secundi concilij Arelatenfis comprobatur. quod & Aristoteles & alij sentiunt.

24 ¶ Præterea illi à culpa prorsus immunes sunt, qui humanis rationibus decepti, erroneum aliquid citra pertinaciam asseruerunt, cuius contrarium tunc ab ecclesia definitum nondum fuerat. nã si postea ecclesiæ definitionibus obtemperarunt, aut obtemperaturi essent, si viuerent; eorum vita, fama, & memoria illæque illibataque esse debent. id enim sanctissimis atque doctissimis viris persæpe contigisse scimus. Hi quoque veri hæretici nō sunt, qui motu subito, absque deliberatione culpabiliter errarunt in quibusdam propositionibus fidei, nam venialiter tantum peccarūt, vt Franciscus Victoria censuit super Thomã. 2. secundæ. quæst. 11. arti.

arti. 2. vnde quia hæresis consummata non fuit, nec eius pœna integra esse debet. l. respiciendum. de pœnis.

- 25 ¶ Magna quoque defensio esse potest, si reus fortè iniuste opprimatur à iudice, vt contra illum eas exceptiones proponat, quibus iuste iudicium eius subterfugiat. vt puta, si probari queat, quod ille iudex non est, aut quòd iudex esse non potest. vel quia non habet iurisdictionem in reum, vel quia natura, legibus, aut moribus impedit, ne iudex esse possit. natura; vt surdus, mutus, furiosus, & impubes, legibus; infamis. moribus; fœminæ, serui, & his similes. l. cum prætor. de iudicijs. Item illud obijcietur, quòd est hæreticus, apostata, schismaticus, iudæus, vel quippiam simile. l. penul. C. de hæreti. l. vlti. de iudæis. c. catholicus. 2. quæstio. 6. itè quòd est pecunia corruptus, vt reum opprimat, vel aliàs aduersus eum coniurauit, aut ob aliam iustam causam cognoscere nō possit, nec debeat. Quarum collegit multas Guillelmus in speculo. titulo de iudice delegato §. vlti.
- 26 ¶ Et quia periculosum est coram suspecto iudice litigare, licebit reo in hoc iudicio recusatione vti, si fortè iudicem suspectum habuerit. Sed non ex quacunque causa recusatio admittenda est: quia non tam res priuatorum, quàm dei, & religionis agitur. vnde de nō facilè de his iudicibus malè suspicari debet. Eo maximè accedente, quòd cum consilio peritorum, & cum benignitate magna procedunt. Quapropter vix ego recusationem hanc admittendam censerem: nisi forsitan ob coniurationem, aut capitales inimicitias. arg. textus in. c. per tuas. de simonia. Iudex verò recusatus, supersedere debet, alioqui ab eo facta, nullius momenti sunt. Quod asserit Romanus consil. 220. Alexander consilio. 89. lib. 1. Decius consil. 175. & iterum in. c. cum speciali. de appellatio.
- 27 ¶ Promotor quoque fiscalis, qui vicem accusatoris gerit, propter causas, quibus accusatores alij repelluntur in grauioribus criminibus, reijci potest. Sed & tabellio seu notarius, aduocatus, cōsultor, & alij recusari possunt ex iustis causis, vt Ancharanus docet consil. 263. Sed hæc omnia cū ea moderatione intelligenda sunt, qua semper inquisitores vtuntur: vt nec malitijs indulgeatur, nec quicquam defensionis depereat. Quòd si plura de recusatione desideras

desideras, vide Guillelmū in speculo titu. de iudice delegato §. penul. & iterum titu. de recusatione. Et iuris vtriusque interpretes, in. l. apertissimi. C. de iudic. in. c. causam. & in. c. insinuante. in. c. suspicionis. de offic. delega. in. c. 1. de iudic. Philippum in. c. postremo. de appellatio. Alexandrum consil. 104. lib. 5. Aretinū consil. 20. Federicum consil. 24. Angel. consil. 216. Gratum consilio. 134. lib. 2. Boherium decisione. 269. & integros tractatus de recusationibus Stephani Aufreij, & Lanfranci de Oriano.

- 28 ¶ Sed & contra testes, qui plusquam omnes prædicti, nocere solent; exceptionibus, ac defensionibus vtentur accusati. sed his potissimè, quòd inimici, aut coniuratores sunt. c. per tuas. de simonia. et quòd natura, vel casu impediuntur, ne rectum testimoniū perhibeant. Quod rectè docuit Ancharanus in. c. in fidei fauorem. de hære. lib. 6. Aliæ quoque exceptiones efficiunt, vt minus testibus credatur, quamuis non ex toto repellantur, vt suo loco dicemus. Et cum testium nomina reis occultari soleant: ac proinde non sit integra defensionis facultas; iudices ex officio supplere debent, vt innocentia quoad fieri possit, à falsidicis testibus tutata & illibata permaneat, nec cætera omittent, quibus veritas manifestari queat. nam testes mendaces, quos memores esse oportet, per sæpe deprehenduntur. & quæ à veritate non veniunt, plerunque & nullo impellente seipsa subuertunt, vt inquit Augustinus lib. 7. de ciuitate dei. cap. 19.
- 29 ¶ Demum his defensionibus reus expressim renunciare nō potest: quia nec vitæ, aut necis dominus est: nec seipsum innocentē, indefensum relinquere, fas est: nec audiri debet perire volens. Hoc asserunt glo. & interpretes in. l. pactum inter hæredem. de pactis. Bar. Ange. & Imola. in. l. custodias. de publi. iudic. Bal. & Salice. in. l. vlti. C. de nego. gest. Felinus post alios in. c. si diligenti. de foro compe. nu. 3. & iterum in. c. cum dilecti. de accusa. nu. 1. Hippoly. in. l. vnus §. cogniturū. de quæstio. nu. 68. & rursus in practica §. examinanda. col. 1. Lud. Carre. tracta. de hæreti. nu. 131

DE EXCOMMUNICATIONE. CAP. XXVII.
 DE EXCOMMUNICATIONE.
 CAP. XXVII.



HÆRETICI excommunicati sunt ipso iure, & à communionem fidelium separati. c. excommunicamus. de hæret. & papa illos quorannis excommunicat in cœna domini, verbis descriptis à Caictano, in summa, verbo, excommunicatio. capi. 1. nec absolui possunt, nisi à summo pōtifice, vel ab eius delegatis, vt alio loco diximus. Hæc autē pœna videtur lata in hæreticos iure diuino. est enim habendus hæreticus tanquam ethnicus, & publicanus, quia ecclesiam non audit. Et Paulus præcipit, vt eum vitemus. cap. 3. epistolæ ad Titum. Et iterum posterioris ad Thesalonicensis cap. 3. Ioannes quoque secūda epistola iubet, ne hæreticum in domo recipiamus, nec, Aue, ei dicamus. Quibus & alijs autoritatibus hæc sententiam tenent Clichtoueus, Latomus, Echius, & Driedo. lib. 1. de libertate christiana. cap. 2. consideratione. 9. Et quamuis de hoc probabiliter dubitari queat, negari tamen non potest, quin hæc excommunicatio, iuri diuino sit ad modum conformis, vt & Alfonsus noster inquit, lib. 2. de iusta hæretico. punitio. cap. 18. vbi quædam ex prædictis, & alia refert.

1 ¶ Nec tantum hæretici sunt excommunicati, sed etiam qui eis cōmunicant, aut alioqui negotia cum eis exercent. c. sicut. de hæreti. quæ quidem pœna maxima est, per quam excommunicatus traditur Satanæ in interitum carnis, vt ex priore Pauli epistola ad Corinthios. cap. 5. apparet. Ac rursus ex priore ad Timot. c. 1. extra ecclesiam eijcitur excommunicatus, & communionem fidelium priuatur: nudus ac desertus lupis datur in predam: à spiritu sancto priuatus erit: & miser perfacilis in capturam vadit, vt Theophylactus, & Vulgarius aiunt. Vnde patet excommunicationem esse timendam. imò etiam plurimum tremendam, & horrendam, quicquid deliret impurus Lutherus. contra quæ extant autoritates scripturarum, & ecclesiæ traditiones, & sanctorum patrum decreta, vt nominatim illum confundentes colligunt Faber tracta. 10. textu. 24. Roffensis articulo. 23. & seq. Pighius lib.

libro quinto hierarchiæ ecclesiasticæ. capitulo secundo.

2 ¶ Vnde fit, vt si quispiam suspectus alioqui de fide per annum in excommunicatione permanserit animo pertinaci, ex tunc velut hæreticus condemnandus sit. c. excommunicamus §. qui autē. de hæreti. c. cum contumacia. eod. titu. lib. 6. Quòd si per annū persistat in excommunicatione, qui alias non erat suspectus, eo ipso incidit in suspensionem hæresis: quia de potestate clauium ecclesiæ malè sentire præsumitur. Hæc tamen suspitio non est violenta, per quam solum damnari quisquam possit: verum ad purgationem indicendam sufficit: quam qui subire recusat, & in eadem excommunicatione perseuerat, meritò damnari potest tanquam hæreticus impœnitens. Hoc docent Innocētius, Ioannes Andreas, & posteriores. in. c. vlti. de pœnis. Hostiensis, Henricus, Cardinalis, & Felinus in. d. §. qui autem. vbi Cardinalis ait, omnes ferè aduocatos Florentinos id ipsum in facti quæstiōe respondisse. Hoc etiam tradunt Hostiensis in summa. titu. de hæret. col. 3. Calderinus consilio. 5. eodem titulo. capella tholosana, & Stephanus decisione. 365. Francus in. c. cum contumacia. Lupus in. c. per vestras §. 18. nu. 24. Gonsalus de hæreti. quæstio. 9. Arelatanus notabi. 41. Ripa. in. c. 1. de iudicijs. num. 77. latius Albertinus in rubrica de hæret. lib. 6. quæst. 13. nu. 34. & Brunus lib. 1. cap. 4. Ludo. Carre. tracta. de hæreti. nu. 21.

3 ¶ Excommunicatus autem non prius absolui debet, quàm satisfactionem congruam exhibeat: in qua interdum pœna pecuniaria iniungitur. & iustè potest exigi ad pios vsus, vt in consilio cardinalium ad Paulum tertium declaratum est. Quòd aliquando faciunt inquisitores in absolute illorum, qui officium suum impediunt, aut ob aliam similem causam excommunicati sunt. nam excommunicatio non est terminus pœnæ, sed magis ad emendationem infligitur, vt corrigatur excommunicatus: & ea medicina purgatus, redeat ad sanam mentem. Quæ ratione medicinalis vocatur in. c. 1. de sentent. excommunicatio. lib. 6. Quòd si reus adhuc induratus fuerit, alia remedia insuper adhibere oportet. c. excommunicamus §. qui autem. & §. quia vero. de hæreti. l. placet. C. de sacrosan. eccle. vbi notant Accursius & Bal. docet Paulus

Paulus in. l. i. de sum. trinit. Felinus in. c. apostolicæ. de exceptio. & iterum in. c. qualiter. §. ad corrigendos. de accusatio. nume. 51. Planè leges Hispaniarum iustissimè puniunt eos, qui per mensem in excommunicatione persistunt: duriùsque si per sex menses: & his acerbùs eos, qui per annum excommunicati, ecclesiæ non satisfaciunt. regia lex. i. titu. 5. & lex. 9. titu. vlti. lib. 8. ordinationum. Quod quidem exemplo non caret. nam tertio cap. concilij Triburiensis decreuerunt patres, vt qui post excommunicationem non se inclinauerint ad pœnitentiã, per secularem principem puniantur. nempè, vt quos dei timor non corrigit, saltè pœna temporalis corripiat.

4 ¶ Nullus post mortem propriè excommunicatur, quia iam non est super terrã, neque in territorio viuentiũ. hæreticus tamen solet mortuus etiam excommunicari, hoc est, excommunicatus declarari, ne sepeliatur in loco sacro, et ne quispiam oret pro illo. Quo sensu exaudienda sunt, quæ traduntur in. c. si quis episcopus. de hæreti. & in. c. vlti. 24. quæstio. 2. Sed propriè mortuus hæreticus anathematizatur, id est, maledicitur. nam anathema, teste Augustino super librum numerorum, quæstio. 41. detestabile & abominabile significat. est enim hebræa dicitio, qua solent hebræi extremam detestationem significare. vt inquit Hieronymus super cap. i. epistolæ ad Galatas. Vnde in hoc differt ab excommunicatione: quia infertur aduersus eos, qui grauissimo aliquo delicto detestabiles sunt, & de quibus non est spes, quòd reducentur ad pœnitentiam. Vide cap. Engeltrudam. 3. quæstio. 4. & cap. debent. 11. quæst. 3. Alciatum in. c. cum non ab homine. de iudic. nume. 106. Alfonsus lib. 2. de iusta hæretico. punitio. cap. 19. Adde, quòd hæreticus nec absolueri potest, neque ligare, vt colligit Gratianus. 24. quæstio. 1. Alia scitu digna docent theologi. in lib. 4. sententiarum. distinctio. 18. & Lupus in cap. per vestras §. 18.

5 ¶ Adde, quòd hi qui sunt in carcere accusati de hæresi, etiã priusquam declarentur hæretici, euitari solent tanquam excommunicati. nec diuina officia vel sacrificia permittuntur audire. neque traduntur ecclesiasticæ sepulturæ, si interim decesserint. Quæ
fortassis

fortassis temperanda essent cum his, qui nondum plenè conuicti sunt. Vide quædam notatu digna de excommunicatione apud Hermã libro septimo de instauranda religione. capit. 20. & deinceps.

DE FIDE CATHOLICA. CAP. XXVIII.



M hæresis vitium sit oppositum fidei, opereratum erit nonnulla hoc loco breuiter de fide perstringere. vt quale crimen sit hæresis, rectius, & apertius intelligamus. Paulus cap. 11. epistolæ ad Hebræos, inquit, Sine fide impossibile est placere deo. Per hanc sancti vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones, obturauerunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugauerunt aciem gladij, conualuerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum. Denique fides est vita iustorum, basis & fundamentum totius christiani edificiij. Quæ omnia intelligenda sunt de fide viuã, & charitate formata, & quæ per dilectionem operatur: non autem de fide sine operibus, quæ mortua est. Nec de fide illa, quam finxit impius Lutherus, quæ nec est, nec fuit, nec erit vnquam: nempè imaginaria quædam, & monstruosa credulitas, ab eodẽ etiam Luthero non intellecta, vt eleganter ostendit Pighius controuersia. 2. Roffensis arti. 1. Alfonsus lib. 7. aduersus hæreses, Bũderius in compendio concertationis. titu. 3. concilium Tridentinum sessio. 6. capite. 7. Ambrosius Catharinus libro de perfecta iustificatione à fide & operibus.

¶ Est autem fides, vt apostolus docet epistolæ ad Hebræos capit. 11. substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium. vel est eorum, quæ sperantur fundamentum, & quæ non videntur, indicium. vel est firmus assensus credendorum propter dei reuelationem. Aliæ definitiones traduntur à theologis in lib. 3. sententiarum. distin. 24. sed pleræque illarum sunt declarationes eius, quam posuit apostolus. Est quippè fides vsque ad eò efficax

ficax argumentum rerum non apparentium, vt per illam lōgius, certius, & acutiùs, quę nō videntur, intueri possimus; quam oculis corporeis præsentiā quęque aspiciamus. ea cōuersionis & iustificatiōis principium est. Docet enim credenda, speranda, amāda, fugienda, amplectenda, & timenda. qui em̄ deum non no uit; eius maiestatem non verebitur, eius iustitiam non formidabit, eius iudicium non pertimescet, eius misericordiam & gratiam non sperabit, eius bonitati non fidet. qui infernum non credit, æterna tormenta non pertimescet. Demum, qui beatitudinem non credit futuram, ad eam non suspirabit. Quibus contraria omnia euenient his, qui fide uiua semper deum & beatitudinē cōtemplantur, Satanam & æternam damnationem intuētur. Sed nunc perinde fit, ac si rex cohæredes filio suo volens facere, post innumera etiam alia beneficia contemnatur. Princeps autem latronum, qui innumeris malis, & nos, & parētes nostros affecit: confundens gloriam nostram, & salutem, vnico duntaxat obolo monstrato, adoratur à nobis. Regnum promittit deus, & contemnitur: gehennam apparat diabolus, & honoratur, quod inde proculdubiō prouenit, quia fide uiua caremus. Vide Chrysostrum in actis apostolorum homilia. 6. Damascenum lib. 4. fidei orthodoxæ. capit. 11.

- 2 ¶ Fidei catholicæ veritas infallibilis est: quia innititur diuinæ reuelationi, quæ fallere nequit, aut falli. Præterea nobis est confirmata stupēdis, innumerisquę miraculis, scripturis, & testibus sacratissimis, atque doctissimis: testimonijs etiam omnipotētis dei, angelorum, & omnium ferē nationum. totquę, ac tantis rationibus, & argumentis eius veritas manifesta ostenditur; vt omnis intellectus, vitijs vacuus, nō possit ei nō assentiri. Quapropter fides firmitatem exigit, vsque adeò, vt parati esse debeamus ad tormenta, & mortem, priusquam eam quoquomodo relinquamus. alioqui non esset uiua, aut efficax. Hanc firmitatem exigit Iacobus epistolæ canonicæ cap. 1. inquit, Postulet autem in fide, nil hæsitan. qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui à vento mouetur, & circūfertur. Cui consonat illud Matthæi. 14. Modicæ fidei, quare dubitasti? Multis præterea locis probatur, q̄ certitudo

certitudo veritatis, & firmitas adhæsionis, sunt essentialia fidei; quæ si defint, non fides erit, sed potius opinio, vel dubitatio. Sed neque hæreticorum credulitas, fides rectè dicitur: quia non credunt ratione diuinæ reuelationis, sed propria voluntate.

- 3 ¶ Hanc fidem, quæ rationis naturalis lumen excedit, deus ipse nobis reuelare dignatus est per prophetas, & apostolos, per filium suum, & spiritum sanctum, per ecclesiam, & sacros doctores. Et in quibusdam fidei veritatibus ad ipsius fidei nostræ meritum, difficultatem nonnullam inesse voluit diuina prouidentia, vt nō nihil ad fidem pius cooperaretur affectus: dum captiuamus intellectum in obsequium fidei, & humiliamur sub potenti manu dei. Alioqui si deus omnipotens palàm omnia loquutus esset, non possemus ei non credere: nullæquę essent in hoc partes arbitrij nostri, sed crederemus necessariò, quemadmodū etiam dæmones credunt, & contremiscunt. Vnde redemptor noster Thomæ nolenti credere apud Ioannem capitulo vigesimo, ait, Quia vidisti me Thomā, credidisti, Beati qui non viderunt, & crediderunt. Quasi diceret, Tu quidem credis, sed quia vidisti, quia palpasti, nil magnum facis: sed illi demum beati erunt, illorum fides digna remuneratione & præmio, qui non videntes, in me credituri sunt. Hæc fusius tradit Campensis, libro primo hierarchiæ ecclesiasticæ. cap. 2. & Alfonso lib. 1. aduersus hæreses. capitulo. 10.

- 4 ¶ Hæc fides catholica, quæ (vt inquit Leo) genus humanum sola viuificat, sola sanctificat, firmissimè tenenda est. cap. 1. de summa trinitate. Qui autem in ea fide dubitat, infidelis est. capit. 1. de hæreticis. Quod necessariò exaudiri debet de illo, qui dubitat, an fides catholica sit vera: vel, an aliquid verum sit, quod tamen scit esse de fide. is enim errat grauissimè, habens certissima pro incertis. Et eo ipso quòd scit illud esse de fide, ac de veritate eius dubitat, hæreticus pertinax est. Alioqui si quispiam dubitaret ex ignorantia probabili, vel ex infirmitate animi: non discedens à fide catholica, sed paratus assentiri cognitæ veritati; talis pertinacia carens, hæreticus non est. Quod hoc sensu docent Ioannes Andre. Cardinalis, Abbas, Ancharanus, n Henricus

Henricus, Ioannes de Anania, & Felinus in capitulo primo. de hæreti. Præpositus in. c. nec licuit. 17. distinctio. theologi relati per Lupum in allegatione de hæresi. §. 5. Occam lib. 3. dialogorū, ca. 10. summa rosellaverbo, hæreticus. Siluester, verbo, hæresis. 1. quæstio. 3. Gabriel in. 4. sententiarum. distin. 13. quæst. 2. Alfons. lib. 1. aduersus hæreses. cap. 10. Ludouicus Care. tracta. de hære. nume. 8. & alij multi.

5 ¶ Solet fides, vt planiùs intelligatur, multipliciter distingui. Alia est fides infusa, alia acquisita, alia est fides actualis, alia habitualis. Quædam est fides formata, quædam informis: quædam explicita, quædam implicita. Infusa fides est, habitus à deo supernaturaliter & immediatè in anima creatus, inclinans ad credendum catholicis veritatibus: quam habent paruuli baptizati. Fides acquisita est, habitus naturaliter acquisitus ex actibus credendi frequentatis. vel, est credulitas quædam, qua quis absque dubitatione alicui propositioni adhæret. Quam definitionem posuit Occam lib. 4. dialogorum, cap. 4. Fides actualis est, assensus veritatis reuelatæ. Fides habitualis est, habitus acquisitus ex assensibus frequentatis. Fides formata dicitur, quæ charitati coniuncta est. Fides informis, quæ mortua est, & sine charitate. Fides explicita est, actualis assensus catholicæ veritatis. nã quicumque apprehendit aliquam veritatem catholicam, & ei assentit, is habet fidem explicitam illius veritatis. Fides implicita est, assensus alicuius propositionis generalis, includentis multas particulares veritates. vt puta, si quispiam credat generaliter, quòd omnia contenta in scriptura canonica sunt vera; ille habet fidem implicitam: quamuis ignoret in particulari, quæ sint illa, quæ diuina scriptura continentur. Hæc mutuatis sumus à theologis in. 3. sententiarum, distinctio. 24.

6 ¶ Præterea fides implicita, dupliciter consideratur. Quædam enim omnem assertionem pertinacem respectu hæreticæ prauitatis excludit: & hæc vera est, & sufficiens, vt illā habēs, catholicus, & fidelis cēseatur. Altera fides implicita, falsa esse potest. verbi gratia, Si quis credat fidem christianam esse veram, sed aliam fidem, quam quæ verè christiana est, pro christiana habet, in eo errore

errore impudenter insistens. cuiusmodi fuit fides quampluriū hæreticorum. Non ergò sufficit credere totam fidem christianā esse veram, nisi ea sola teneatur pro fide Christiana, quæ sola vera est, & catholica. Quod prolixius tradit Occam. lib. 4. dialogorum cap. 4.

7 ¶ Omnes christiani tenentur explicitè scire symbolum fidei, & præcepta legis, atque orationem dominicam. Vnde in concilio Maguntiacò sic habet canon. 45. Symbolum, quod est signaculum fidei, & orationem dominicam, discere semper admoneant sacerdotes populum christianum. Volumusque, vt disciplinam condignam habeant, qui hæc discere negligunt, siue in ieiunio, siue in alia castigatione emendentur. Propterea dignum est, vt filios suos donent ad scholā, siue ad monasteria, siue foras presbyteris, vt fidem catholicam rectè discant, & orationem dominicam, vt domi alios edocere valeant. Et qui aliter nō potuerit; vel in sua lingua hoc discat. hæc ibi. Addit Occam lib. 4. dialògo. capitulo nono. quòd omnes christiani rationis capaces tenentur explicitè credere illas veritates fidei, quæ sunt apud omnes diulgatæ. Quod & Gersonus docet, tractatu de protestatione. consideratione. 6. & Fran. Picus lib. de fide. theoremate. 12.

8 ¶ Hæc autem, quæ prima credibilia vocant, ita quilibet credere tenetur explicitè, quemadmodum & ipsam fidem catholicā tenere debet. Aliaverò credibilia non obligantur omnes explicitè credere, sed implicitè, vel in præparatione animi, hoc est, vt oēs christiani parati sint credere quicquid continetur in scriptura diuina, & in doctrina ecclesiæ. Sed tunc hæc omnia credere tenemur explicitè, quando nobis constiterit, quòd in doctrina fidei continentur. non enim ante possumus omnes explicitè scire omnia credibilia. Multi nanque in studijs theologiæ proficere nequeunt, vel propter ingenij tarditatem, vel propter alias vitæ præsentis occupationes, & necessitates. Nec vulgus debet mysteria sacra tractare, aut ea curiosius indagare, vt rectè docet Catharinus in speculo hæreticorum, consideratione quinta. Nec omnes christiani debent, aut possunt esse doctores, vt rectè inquit Aquinas secunda secundæ, quæstione secunda, articulo n ij quarto

quarto. & sequenti.

9 ¶ Sed hi, ad quos ex officio, aut professione pertinet alios erudire, tenentur explicitè credere multò plura, quàm reliqui. puta episcopi, parochi, prædicatores, confessores, theologi, doctores, iudices, & rectores populorum, & quicumque habent ingenij viuacitatem. Quia, ut inquit Gregorius, tantum ab vnoquoque deus exigit, quantum dedit. Proinde prædicti multa debent explicitè credere, de quibus potest idiota probabiliter sine pertinacia dubitare. quod Nazianzenus docet oratione. 18. post medium. Vnde rectè Gersonus colligit, quòd viri docti possunt esse vehementer suspecti de hæresi, asserentes aliquam propositionem, quam si proferret idiota, non esset suspectus, nec leuiter quidem. Hæc sentiunt Thomas, Gersonus, & Picus, locis supra laudatis. Bal. in c. 1. de summa trinita. Paulus in rubrica. C. eo. titu. Confert. l. 2. §. feruius. de origi. iuris. l. 1. §. hæc actio. si mens. fals. mod. dixit. l. 2. quod quisque iuris. l. si quis fundum §. celsus. loca. l. professio. C. de nume. patri. lib. 10.

10 ¶ Huius autem iuris diuini ignorantia neminem excusat à culpa: quæ maior, aut minor erit, ex personarum, & rerum qualitate. nam ut prædiximus, inexcusabiles sunt peritiores, & acutiores, & hi, ad quos ex officio pertinet, esse doctiores: quales sunt episcopi, ut suo loco diximus: & sacerdotes, quorum labia custodire scientiam debent, & à quibus ignorantia omnimodo vitanda est, ut eleganter collegit Gratianus distin. 37. & seq. Et rursus idem distinctio. 59. & 91. Ideò in octauo concilio Toletano, canone. 8. ita statuerunt maiores nostri, Solus accedat ad sacra dei mysteria tractanda, quæ morum innocentia, & literarum splendor illustrem reddunt. Alij verò in rebus dubijs consulere debent peritiores, alioqui non excusantur. cap. ultimo. 37. distinct. cap. peruenit. 84. distinctio. l. in bonorum. de bonor. possessio. l. 2. §. ultimo. quis ordo in bonor. possessio. serue. l. si auiam. C. de ingenuis manum. Et Hesiodus, quem refert Aristot. lib. 1. ethi. ait, Qui ex se nescit, cuiquã, nec porrigataures, ut bona percipiat, demens, & inutilis ille est. Et alius inqt, Infelix qui pauca sapit, spernitque doceri. Vide. c. turbatur. 1. q. 4. Lucã in. l. oēs iudices.

C.

C. de decurio. col. penult. Tiraquel. de retractu conuentionali §. 4. glof. 7. numero. 18.

11 ¶ Qui non credit aliquem articulum fidei, non habet fidem formatam, sed neque informem: quia obiectum fidei formale est veritas prima, secundum quod manifestatur in scripturis sacris & in doctrina ecclesiæ: quæ procedit ex veritate prima & infallibili, quæ deus est. Ideò quicumque non inheret in omnibus scripturæ sacræ & ecclesiasticæ doctrinæ, is non habet habitum fidei. Hæc Thom. 2. secundæ. q. 5. arti. 3. vna enim est ratio credendi in omnibus articulis. Proinde qui falsam putat esse fidem in aliquo; pari ratione vacillat in omnibus alijs, cū oim ratio & autoritas sit eadē.

12 ¶ Confessio fidei cadit sub præcepto affirmatiuo, & ideò semper obligat. sed non est passim temerè, atque omnibus facienda. Cæterum loco, & tempore necessaria est, scilicet, quando per omissionem huius confessionis detraheretur honor deo debito, vel impediretur utilitas proximi, vel dispendium fidei pararetur. igitur defendenda fides est, prædicanda, confitenda, & testificanda coram hæreticis, coram tyrannis, coram iudicibus: quòd si res ita exegerit, coram populis etiam. Confert illud Pauli epistolæ ad Romanos capit. 10. Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Et illud saluatoris, Lucæ capite decimo, Qui me erubuerit, & sermones meos; filius hominis hunc erubescet coram angelis dei. Et iterum apud Mattheum cap. 10. Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo. Hæc Thomas. 2. secundæ. quæstione tertia. articulo secundo. Gersonus tractatu de protestatione, consideratione prima. Angelus, Siluester, & cæteri in summis verbo. fides.

13 ¶ Ad extremum credere tenemur, non solum diuinis scripturis, & ecclesiæ doctrinis, iustis concilijs, summorum pōtificum decisionibus, patrum decretis, sacrorum doctorum receptis sententijs; sed etiam in his, quæ ad fidem & mores spectant, amplecti debemus oēs veritates, quæ ex prædictis deducuntur p̄ certam consequentiã in lumine fidei, vel euidenti ratione naturali: si veritates ita inferuntur, ut omnibus, & præcipuè sapiētibus, verè appareat:

n iij quia

quia hæc illis insunt, & ibi comprehenduntur & continētur, unde per talem consequentiam eliciūtur. Hæc diffusius tradit Gersonus alphabeto. 14. & Fran. Picus lib. de fide, theoremate. 7. Ambrosius Catharinus libro de consummata gloria solius Christi, ac diuæ virginis.

DE FILIIS ET MINORIBVS.
CAP. XXIX.



LII catholici hæreticorum priuantur hodie bonis parentum. Quod iustissimum esse, a iolo supra docuimus, & subtiliter diserit Catharinus libro de peccato originali, disputatiõe sexta. Sed Ioannes Lupus decanus Segobienensis tractatu de hæresi cap. 18. durum hoc iudicat, præcipuè in filijs minoribus, qui si priuentur alimentis, in vitæ discrimen adducentur: ideò piùm & humanum esse censet, vt saltem istis aliquid relinquatur, ne pereant innocentes. Quod & iunior Lupus repetit in. c. per vstras §. 72. & rationi consonum est. Quam sequuti, vt assolent, Hispani maiores nostri. cap. 22. primæ instructionis Hispalensis, in hunc modum statuerunt, Filij minores hæreticorū, nondum coniugati: qui priuati fuerint bonis parentum, educētur, atque nutriantur cura inquisitorum apud viros catholicos, & religiosos, qui eos fidem catholicam doceāt. Et reges nostri volunt, vt subueniatur illis, de bonis parentum: & maximè puelis, vt nubere, aut religionem ingredi possint. Hæc ibi. Quæ quidem benignitate, atque pietate plenissima sunt.

1 ¶ Præterea filij catholici hæreticorū, fautorum, defensorū, & receptorū vsque ad secundā generationē nō sunt ad sacros ordines pmouēdi: neq; ad ecclesiastica beneficia, vel publica officia admittēdi. c. 2. §. hæretici. de here. lib. 6. c. felicitis §. nulli. de pœnis. lib. 6. & 3. instructione Vallisolitana. c. 11. Adde etiā, q̄ neque ad officia secularia hodie admittūtur: quibus vel ipsi honorē consequantur, vel alijs nocere queant. idcirco nec medici, nec chirurgi esse debēt, nisi prius cū eis dispensatū fuerit. alioqui pœnā publicatio- nis

bonorum ipso facto incurrunt, vt cauetur lege pragmatica. 8. & seq. Prohibentur in super, ne sint mercatores, proxenetæ, aut macellarij, nec per interpositas personas eadem officia exerceant. tertia instructione Vallisolitana cap. 11. Sed benigna interpretatione hoc limitatum est, vt solummodo procedat in filijseorum, q̄ nō fuerint ecclesiæ reincorporati: & vt primus & secundus gradus generationis intelligatur per lineam paternam, per maternam verò primus tantum gradus puniatur. c. statutum. 2. de hæreticis. lib. 6. vbi aiunt interpretes, eam esse differentiæ rationem inter hos gradus: quia deterior est infectio viri, quàm fœminæ. maiori enim bono, maius malum opponitur: vir autē caput est mulieris. c. cum caput. 33. quæst. 5. Sed considera sit ne verisimilius, quòd quemadmodum nobilitas & honores descendunt in filios per patrem, & non per matrem. l. 1. de iurc immunita. l. exemplo. C. de decurio. lib. 10. sic per contrarium, longiorem honoris iacturam soboles patiat pro delicto paterno.

2 ¶ Filij naturales & spurij hæreticorum easdem pœnas patiūtur, quas & legitimi. tum quia par est in eis, aut maior pœnarum ratio. tum etiam, ne in hoc sint melioris conditionis. Quod tenet glo. in prædicto cap. statutum. & illic Archidiaconus, Ioan. Andreas. Monachus, Francus, & Pröbus. & Collectarius cōtra Cardinalem in. c. excommunicamus. 1. de hæreti. Gonsalus in tractatu de hæreti. q. 23. Sed quid de filijseorum, qui relapsi sunt? Ioan. Andr. & Francus putant, quòd pœnis supra scriptis teneantur: quia non videntur ecclesiæ reincorporati: quandoquidem iudici seculari relinquuntur. Verum contraria sententia benignior est, ne innocentes filij patiantur. Quæ etiam probabilitate non caret: cum relapsis non denegetur pœnitentia, neque eucharistia. c. super eo. de hæreti. lib. 6. quæ sacramenta his, qui nō sunt in ecclesia, non communicantur. c. in ecclesia. & seq. 1. quæst. 1. relapsi igitur, qui pœnitentiam agunt, nō ideò minus ecclesiæ reincorporantur, quia iudici seculari traduntur. non secus atque homicidæ, aut fures, qui per seculares potestates suscepta pœnitentia puniūtur. Et hanc sententiã sequitur Dominicus in eod. cap. statutum. Decanus Segobienensis in tractatu de hæresi. capi. 18.

- 3 ¶ Dubium est inter doctores controuersum, an pœnæ statutz cōtra filios hæreticorum, comprehendant eos filios, qui nati fuerāt antequam parentes in hæresim laberentur, an potius eos tantū, qui nati, aut concepti sunt post hæresim parentum? Priorem partem, videlicet, quòd sine distinctione omnes filij quocunque tempore nati, patiantur pœnas ante dictas, probare videtur decisio tex. in. c. statutum. §. vlti. & rursus in. c. filij. de hæreti. lib. 6. vbi tantum exigitur, quòd parentes fuerint hæretici tempore mortis: nec distinguitur, hoc vel illo tempore nati fuerint filij. Præterea videtur, quòd eadem ratio punitionis sit vtroque casu, propter sceleris grauitatem, & pœnam parentum. Ad hæc hæresis vitium est merè spirituale, non trahens à carne commercium: quapropter cessare videtur illa ratio distinctionis, quòd hi veniunt ex infecta radice, illi contra. His ferè moti rationibus hanc opinionem sequuntur Ioan. Andre. Dominicus, & Francus in. c. vt commissi. de hæreti. lib. 6. Gonsalus quæstio. 23. Lupus libro de iure nauarræ. parte. 5. §. 8. obiectione. 4. Alfonso lib. 2. de iusta. hæretico. punitio. c. vlt. & iterum lib. 1. de potestate legis pœnalis. c. 7. Galindus in regia disputatione §. 18. qui asserit hanc esse magis communem opinionem, quam arbitror vsu receptam.
- 4 ¶ Contrariam ego sententiam, tam veriore, quam benigniorem puto: quam et multi viri sequuntur, neque numero, nec auctoritate prædictis inferiores. Hanc enim defendit Calderinus ritu. de hæreti. consil. 3. referens Petrum eiusdem sententiæ. Hanc tenent in simili specie Petrus, Cinus, & Angelus in. l. quisquis. C. ad leg. iul. maiesta. nuncupatim Præpositus. in. c. quo iure. 8. distin. col. penulti. Ioan. de Anania. in. c. vergentis. de hæret. Alfonso Carthagena in quodam consilio relato per Galindum. quæst. 7. Domini. in. c. 2. §. hæretici. de here. lib. 6. Tiraquel. de iure primogeniorum. quæstio. 31. nume. 4. & probatur sequētibus argumentis. Primo, quia si filius natus ante dignitatem patris non consequitur eius honores. l. emancipatum. de senato. l. diuo Marco. C. de quæstio. l. si quis decurio. 3. de decurio. lib. 10. l. si cohortalis. de cohorta. lib. 12. l. filij. §. senatores. ad municipa. ergo ab oppositis, & benigniore ratione, eadem distinctio seruanda

- da est, ne damnum sentiat innocens. l. ex qua persona. de regul. iur. Deinde, quæ proueniunt ab auis, & quæ propria virtute queruntur, non solent auferri à nepotibus, propter parentū crimina. l. 3. de interd. & relega. l. fancinus. C. de pœnis. talia autem esse videntur illa, quæ à filiis hæreticorū auferuntur, puta honor, fama, & his similia. Ad hæc plurimum confert decisio. tex. in. l. 2. C. de libert. & eor. liber. vbi patris ingratitude, filijs antea natis nil nocet. Vnde Baldus generaliter colligit, quòd in omnibus criminibus eadem distinctio facienda sit.
- 5 ¶ Præterea virget ratio illa vulgaris & efficax, quòd nati & concepti post crimen admissum, ex infecto semine prodeunt. Quam rem subtiliter tractat Catharinus libro de peccato originali, disputatione sexta. Cui nō obest, quòd hæresis vitium sit merè spirituale: nam & animi mores, in filios transire solent. iuxta quod verè ille canebat, Qui viret in folijs, venit à radicibus humor. Et patrum in filios abeunt cum semine mores. Quippè vita, & sensus ex anima in corpus defluunt. Quæ si magnis peccatis deprauata & corrupta fuerit, corpus etiam ipsum trahit secum in corruptionem: illudque miris modis inficit, siue coniunctione societatis, siue iure possessionis, siue deriuationis natura. Vnde fit nonnunquam, vt infirmitas corporalis, ex peccato proueniat. c. cum infirmitas. de pœniten. & remissio. Quod Plato diuinus non ignorauit, sicuti docet in Charmide, facie secūda. Vide Gellium lib. 4. cap. 13. Lucam in. l. 1. C. de deserto, & occultato. lib. 12. columna septima.
- 9 ¶ Legibus quoque regijs hæc sententia comprobatur. Et viri illi doctrina, & antiquitate venerandi: qui in condendis legibus septipartitis strenuam operam nauarunt, prædictam distinctionem approbantes, addūt, sapientissimos maiores nostros Hispanos, in pœnis statuendis semper hanc rationem obseruasse, vt videre licet in. l. 6. titu. 27. parte. 2. Quod mihi euidenter constat ex decimotertio concilio Toletano cap. 1. vbi restituuntur in pristina dignitatem, qui inciderant in infidelitatem. Et statim subiungitur. Quod etiam de filiis eorum decernimus obseruandum, qui post admissum parentum præmemorate profanationis scelus,
- nati

nati esse produntur. Ecce quomodo illi tantum filij egebant restitutione, qui nati erant post parētum infidelitatem: reliqui enim filij ante crimen concepti, quia illæsi atque integri status permanserunt, nulla egebant restitutiōe. His accedit Augustinus ad Auxilium episcopum. epistola. 75. inquit, Non imputantur filijs peccata parentum, qui post eorum natiuitatem à parentibus committuntur. c. non imputantur. r. q. 4. Vide regiam. l. 3. titu. 9. lib. 4. ordinationum.

7 ¶ Demum hæc sententia longè benignior est, & innocentū causam, aliqua saltem ex parte tuetur. Quòd si cum ipsis hæreticis conuersis magna benignitate semper vtimur; multò magis eam impartiri oportet si ijs eorum innocentibus. Idcirco illam etiam sententiam sequor, qua multi docent, filios hæreticorum nō esse priuatos beneficijs ipso iure, sed per sententiam priuandos. glo. in. c. satis peruersum. 56. distin. Quam approbant Abbas. Ioan. ab Imola, Romanus, Ioan. de Anania, & Felinus, qui eos refert. in. c. vergentis. de hæreti. Quinimo pia consuetudine obtinuit, vt neque per sententiam priuentur. Et ita pronunciatum fuit anno superiori per inquisitores Vallisolanos. Sic benigna interpretatione hæreticorum nepotes eligere possunt ad beneficia: quia non sunt nominatim electionis iure priuati. Quod rectè docet Cardinalis in. c. excommunicamus §. credentes. de hæret. Sic pater hæreticus non nocet filio catholico in successione aui paterni, vt interpretes tradunt in. l. gallus §. & quid si tantum. de liber. & posthu. Cassene. in consuetu. Burgun. rubri. 3. §. 5. nume. 69. prolixius Iacobus de Segura in. l. cohæredi §. cum filia. de vulga. & pupil. nume. 73.

8 ¶ Diximus alibi, filios orthodoxos iustissimè parentum hæreticorum bonis priuari. addimus pari ratione, dotes non esse filibus seruandas. in quo errauit Corrasius contraria opinatus in. l. qui liberos. de ritu nuptia. numero. 62. Sed benignitate regia vtrisque prospectum est, vt paulò ante notauimus. Præterea filij admittuntur ad probandam innocentiam patris defuncti per testes idoneos, & fidei zelatores. in quo non sunt admittendi, vt testimonium perhibeāt filij, familiares, neque domestici. c. filij. de

de hæreti. lib. 6. De filijs insuper iudæorum tale decretum extat, Iudæorum filios, ne parentum vltra inuoluantur erroribus, ab eorum confortio separari decernimus: deputandos aut monasterijs, aut christianis mulieribus, aut viris deum timentibus, vt sub eorum conuersatione cultum fidei discant: atque in melius instituti, tam in moribus, quàm in fide proficiant. c. iudæorum. 28. quæstio. 1. Quod similiter seruandum est in filijs hæreticorum, & aliorum infidelium.

9 ¶ Quæstio nunc tractanda occurrit, elegans quidem, & memoranda, Nunquid filius patrem occultum hæreticum, qui sibi & alijs nocet praua doctrina, iudicibus denūciare teneatur. Quod magis placet Alexandro de Ales tertia parte. in quarto præcepto, & Henrico cuidam in eodem præcepto, sermone. 5. Sequitur Lupus in. c. per vestras §. 75. subscribit Alfonso lib. 2. de iusta hæretico. punitio. c. vlti. Quæ opinio multis argumentis suaderi potest. Primo, quia plus deo, quàm parentibus debemus: quos qui plus quàm deum amaucrit, nō est deo dignus. Igitur qui patris dissimulat hæresim, quæ fidei catholicæ, deo quæ aduersatur; plus patrem diligere videtur, quàm deum: cuius fidem & gloriam, cum possit, non defendit. Præterea Hieronymus in epistolis, calcato patre, in religionem eundem docet, fore quæ pietatem ait, in tali casu esse crudelem, Cui simile quippiam scripsit Hilarius in Psal. 118. versu, Iniquos odio habui. dicens, odio habēdos esse parentes, qui ab amore Christi filios abducere conantur. Ad hæc pro defensione patriæ, si eam pater oppugnet, filius potest eum occidere. l. minimè. de religiof. & sumpti. func. Quinimo si arcem filio commissam pater occupare tētauerit, filius in ipso conatu eum interficere valet. regia. l. 12. titu. 18. parte. 2. Similiter patrē proditorem patriæ filius debellare tenetur. Ergo multò magis tenebitur denunciare patrem fidei catholicæ proditorem, & oppugnatorem. eo accedente, quòd de patris conuersione, ac salute spiritali eius & aliorum agitur.

10 ¶ Sed his atque alijs argumentis reiectis, contraria sententia mihi benignior, & probabilior videtur. Quam episcopus Abulensis probat super Deuteronomium, cap. 13. quæst. 3. & satis colligitur

gitur ex illo textu, verbis sequentibus, Sit tibi voluerit persuadere frater tuus, filius matris tue, aut filius tuus, vel filia, siue vxor, que est in sinu tuo, aut amicus, quem diligis vt animam tuam, clamdicens, Eamus, & seruiamus dijs alienis. non a quiescas ei, nec audias, nec parcat ei oculus tuus, vt miserearis, & occultes eum: sed statim interficies. Sit primum manus tua super eum, & post te omnis populus mittat manū. lapidibus obrutus, necabitur: quia voluit te abstrahere à domino deo tuo: vt omnis Israel audiens timeat, & nequaquam vltra faciat quippiam huius rei simile. Ecce fit mentio fratris, & filij, vxoris, & amici: non autē patris, de quo maior est ratio dubitandi. Ille igitur prodendus non est, quia si id legislator voluisset, expressisset vtique. nec sunt poenalia extendenda ad casum omissum, in quo maior causa dubitandi versatur. nulli nanque post deum æquē sumus obnoxij, atque parentibus: quibus plusquam cælo & terræ, plusquam angelis, & cæteris hominibus debemus. Vide Aristote. 8. ethico. cap. 11.

11 ¶ Quod etiam eodem argumento comprobatur Exodi cap. 32. vbi Moyses punire volens eos, qui vitulum adorauerant, Occidat vnusquisque, inquit, fratrem, & amicum, & proximum suū. Quod cum fecissent filij Leui, rursus ait, Consecratis manus vestras hodie domino, vnusquisque in filio, & in fratre suo, vt detur vobis benedictio. Ecce iterum de patre altum filietum. Accedit & illud prouerbiorum, cap. 30. Oculū qui subsannat patrem, suffodiant eum corui de torrentibus, & comedant eum filij aquile. Suffragatur in super memorabilis maledictio Noë, Genesis cap. 9. vbi Cham fuit iustè maledictus, quia verenda patris sui nō operuit, sed potius fratribus suis foras nunciauit. Præterea deus ipse in præceptis decalogi nobis mandauit, vt patrem, & matrem honoremus, vt simus longæui super terram: nullibi autem excepit, quòd filius patrem hæreticum prodat, in maximum patris dedecus, ac vitæ, facultatumque discrimen, atque iacturam.

12 ¶ Quid, quod iura naturalia hæresibus non delentur, nec ideo minus pater est, qui hæreticus est. Vnde fit, vt iuxta veram & receptam sententiam, si extrema necessitas vrgeat, filius teneatur subuenire potius hæretico patri, quàm alteri cuiunque catholi-

co,

cō. Hoc docent glo. & interpretes. in. c. 1. distin. 30. glo. in. c. nō factis. 86. distin. vbi Prepositus. col. vlti. refert eiusdem sententię Hugonem, Cardinalem, Thomam, atque Durandum. Hanc aiunt communem sententiam Felinus in. c. cum sit. de iudæis. Arelatus de hæreticis notabi. 2. 2. Ludo. Care. tracta. de hæreticis. nu. 167. Et expressim traditur. l. 2. titu. 23. parte. 1. Natura quippè abhorret, vt filij sint accusatores parētum: quos absque venia in causis ciuilibus in iudicium trahere iura nō permittunt. l. vltima. C. de in ius vocan. Demum aduersus naturalem hominum inclinationem est, vt patres suos iudicibus filij denuncient. Cui inclinationi, quicquid aduersatur, peccatum est contrarium legi naturæ. vt inquit Thomas. 2. secundæ. quæst. 133. arti. 1.

13 ¶ His accedit, quòd filius patrem proscriptum, seu bannitum, occidere nullo modo potest, quamuis alijs eum interficere liceat impunè. Quæ vera sententia est Dyni, & Angeli, contra Bartolum in. l. si adulterium & liberto. ad leg. iul. de adulte. Sequitur Alber. Nelus, & Scepolus, quibus Decius subscribit in. c. que in ecclesiarum. de constitutio. nume. 14. & Ruinus consi. 4. lib. 5. Imò etiam si filius iudex fuerit, & pater eius morte puniri debeat, filius patrem damnare nequit, sed causam illam alteri committet: vel ad extremum potius magistratui renunciabit, quàm id facinus audeat. Quod Abulensis loco prædicto cum peritioribus censet. Confirmant eam sententiam hæc Marci Tullij verba in paradoxis, In seruo necando, si id fiat iniuria, semel peccatur: in patris vita violanda, multa peccantur. violatur is, qui procreauit, is qui aluit, is qui erudiuit, is qui in sede, ac domo, atque in republica collocauit. multitudinem peccatorum præstat, eoque pœna maiore dignus est. Illud autem ad propositam quæstionem accedit propius, quod ipse Cicero lib. 3. officiorum scriptum reliquit, in hæc verba, Quid si pater phana expilet, cuniculos agat in ærarium: indicet ne id magistratibus filius? nephas id quidem est. Quinetiam defendat patrem, si arguatur. ipsi patriæ conducit, pio habere liberos in parentes.

14 ¶ Illud quoque huic sententiæ maximè fauet, quòd filius, qui patrem prodit, seipsum etiam prodere videtur. nam qui patrem impietatis

pietatis accusat, sibi ipsi iniuriam infert: quia infames fiunt hæreticorum filij, & parentum successione, alijsque beneficijs priuantur, vt paulò ante commemorauimus. Et sapiens inquit prouerbiorum: 17. Gloria filiorum, patres eorum. Et Ecclesiasticus. c. 3. Gloria hominis, ex honore patris sui: & dedecus filij, pater sine honore. Deinde pater & filius eadem esse persona penè intelliguntur: & filius quodammodo pars corporis patris est. l. vlti. C. de impuber. & alijs substi. l. cum scimus. de agricol. & censi. lib. 11. & Ioannes Picus in quadam ad Hermolaum epistola, Maxima, inquit, patris pars in filio est. Indecens ergo, & contra naturalem rationem videtur, vt filius in patre seipsum prodere ac perdere teneatur. Nec me mouet, quòd filius patrem proditorè patriæ indicare teneatur, & oppugnatorem occidere possit: quia alògè alia causa est, in qua filius seipsum cū patria defendit, eamque à periculo liberat, quo vel momento perire poterat. Quod secus est in hæresi occulta, quæ paulatim vt cancer serpit: quam si longius fuerit euagata, alijs plures indicare possunt, ac debent.

15 ¶ In summa hæc mea qualiscunque sententia est, quòd filius patrem occultum hæreticum regulariter prodere non teneatur: id enim perquam durum, & cōtra naturalem inclinationem esset. Iugum autem domini suaue est, & onus eius leue. Non tamè auderem illius factum improbare, qui zelo fidei feruens, omnem humanum affectum postponens, seruatis debitis circumstantijs, patrem hæreticum iudicibus denunciaret. Illud verò extra controuersiam est, quòd filius à iudice iustè interrogatus, patrè hæreticum reuelare debeat: quia eo casu veritas omnino manifestanda est, neque mentiri iudici vlli vnquam licuit. Cæterum si pater filium ad impietatem trahere conetur, monitusque nō desistat, tunc filius patrem relinquat, à cuius potestate hoc ipso liberatus est. c. 2. §. vlti. de hæreti. lib. 6. Demum si magnum rei publicæ detrimentū ex patris hæresi pararetur, quod vix euenire posse puto, dum hæresis occulta est, posset filius eadem facere, quæ de patriæ proditore Cicero lib. 3. officiorum scriptum reliquit, hoc verborum tenore, Quid si tyrannidem occupare, si patriam prodere conabitur pater, filebit ne filius? Imò verò obsecrabit patrem

trè, ne id faciat. Si nil proficiet, accusabit, minabit: & ad extremū si ad perniciem patriæ res spectabit, patriæ salutem anteponet saluti patris. hæc ille.

16 ¶ Querit Alfonso lib. 2. de iusta hæretico. punitio. cap. vlt. Vtrū filius deferens patrem hæreticum sit liberandus ab infamia, & alijs pœnis, quæ in filios hæreticorum statuuntur. Et ipse liberandum putat, quia ratio legis cessat in filijs, qui parentes denunciāt, in quibus paterni criminis exempla non sunt metuenda: quæ ratio in lege posita, cum cesset, & lex ipsa simul cessat. c. cum cessante. de appellatio. l. quisquis. C. ad leg. iul. maiesta. Verum hoc argumentum fragile, atque inefficax mihi videtur. non enim ea est potissima ratio illarum pœnarum: alioqui lex iniustissima foret. Nam quis vnquam punit innocentem, eo quòd metuat, ne fortè aliquando prauus efficiatur? pœnā culpā præcedere debet, nō subsequi. nec propter incertissimam præsumptionem quisquā puniendus est. c. literas. de præsumptio. Quāuis ergo ratio illa cessare videat, supersunt aliæ multæ causæ, quibus iustè ad filios pœna pertranseat, vt alibi supra tractauimus. Sed alia ratio magis mouet: quia præmio dignus est, qui charitatis feruore, ac zelo fidei, atque religionis accensus, nec parenti quidem suo parcat. Quod multis similibus exemplis facile comprobari potest. c. si quis papa. 79. distin. l. eum qui. C. de decurio. lib. 10. glo. in §. plane. insti. de iure natura. Abulensis lib. 2. regum. cap. 20. quæst. 21. Casseneus in catalogo. parte. 6. in fine. Denique de hoc extat, vt aiunt, constitutio quædam Federici: qua cautum est, vt qui latentem patris perfidiam reuelauerit, aliorum filiorum pœnis non subiaceat. Sed optarim, vt id iure, aut instructione aliqua statueretur: alioqui non satis intelligo, qua via iudices dispensare queāt. l. non potest. de furtis.

17 ¶ Eodem loco prolixè Alfonso disputat, Nunquid filius hæreticus à patre iudicibus oblatus, vel contra, patre à filio delatus, puniendi sint mitius, vel non? Ipse putat benignius cum eis agendum: ne videantur ad supplicium alter alterum detulisse. Quæ fuit in simili casu ratio Martiani iuriconsulti. in .l. milites agrum §. vlti. de re milita. Vnde multa decidebant Salicetus, & Paulus

Paulus in. l. propter insidias. C. de his qui accusa. non pos. Scepo la cautela. i. Hippolytus in. l. i. §. ad quæstionem. de quæstio. Sed vt liberè dicam quod sentio, multò magis intueri debent iudices spontaneam hæretici, simplicem, atque humilem cõfessionem, eiusque contritionem, & piam conuersionem, quàm extraria isthæc, quæ metu magis fieri solent, accusationis timore: ac sæpe deprehenduntur plena fallacijs, atque mendacijs. non tamen ne gauerim benignius agendum cum his, qui spontè se deferunt. Quod & instructionibus cauetur.

18 ¶ Quæstio illa frequenter tractata est apud theologos, & iurisperitos, Vtrum iudeorum, aut infidelium filij, baptizari possint, vel debeant, parentibus suis inuitis? Cuius quæstionis diuersi casus seorsim considerari possunt. Primus, quãdo hi iusto bello capti, aut aliquo alio euentu, perueniunt ad Christianorum ditionem: tunc etenim baptizandi sunt, parentibus inuitis, in quorum potestate esse desierunt. Iam enim dominorum arbitrio educari, atque instrui debent, qui spiritali salutem eorum, plusquã vitæ corporali prospicere tenentur. nam & vnicuique mandauit deus de proximo suo. Et qui suorum, maximè domesticorum, curam nõ habet, fidem negauit, & est infideli deterior, iuxta Pauli sententiam, prioris epistolæ ad Timo. capit. 5. Alter casus est, quando infantes in potestate parentum infidelium permanent, & ab eis suo ritu educantur: qui nullo modo baptizari debent, parètib; inuitis: quia hi non suscipient fidem habitualement, neque in eis quicquam operabitur baptismus.

19 ¶ Tertius casus est, quando infideles, qui filios paruulos habent, sub dominio christianorum degunt. De quibus plurimum dubitatur, vtrum abduci debeant ad baptismum, parentibus inuitis. Quã quæstionem breuiter ipse perstringam: tum, quæ apud Hispanos non tolerantur infideles: tum etiam, quia eam diffusè atque eleganter discruit Zasius tractat. de iudæis. quæstio. i. vbi refert plurimos asserentes, non licere in specie proposita, infantes infidelium, parentibus obluçantibus, ad baptismum diripi. Cuius sententiæ sunt Thomas. 2. secundæ. quæst. 10. arti. 12. Durandus, Richardus, & Paludanus in. 4. sententiarum, distin. 6. Gersonus in regulis

regulis moralibus. glosa. in. c. iudæorum. 23. quæstio. i. Calderinus consil. 3. titulo de iudæis. Cardinalis, Abbas, Prepositus, Ioannes de Anania, & Felinus, qui ait hanc esse receptiorem sententiam in. c. sicut. de iudæis.

20 ¶ Diuersam huic opinionem asserunt multi, qui ferè cum præcedentibus concordant. Aiunt enim paruulos infidelium ab inuitis parentibus auferri posse, & baptismi sacramento regenerari, cautione pro viribus adhibita, ne ex hoc homicidia sequantur. Hanc probant Scotus in. 4. sententiarum distin. 4. quæst. vlt. Ioan. Andre. Archidiaconus, Stephanus, Ioan. ab Imola, Ládolphus, Aureolus, Angel. de Clauasio, Gabriel, & Zasius, qui eodem refert in quæst. illa. r. de iudæis. Sequitur Echius homilia. 11. de sacramentis. Horum omnium opinio probabilibus fulcitur argumentis, sed præcedens verior mihi videtur. Quæ etiam ecclesia hæctenus, nisi fallor, vsa est. Adde Thomam quodlibeto. 2. arti. 7. & iterum. 3. parte. quæstio. 68. arti. 10. Siluestrum in summa, verbo, baptismus. 4. §. 6. Matthæum de afflictis Neapolitana decisione. 151.

21 ¶ Hæc autè, quæ prædiximus, de his filijs exaudienda sunt, qui nõdum habent usum rationis. nõ his quibus liberum est arbitriũ nolentibus, siue parentes velint, siue nolint, baptizari non debent. militem enim voluntariũ deus diligit. Quod si hi baptizari velint, inuitis etiã parètib; ad baptismum perducendi sunt, quod multis argumentis cõfirmat Zasius eod. tracta. q. 2. vbi post diuũ Thomã, Richardum, & Antoninum testatur, hanc sententiam esse communi consensu receptam. Demum si iusta ex causa infidelium filij cum parentibus suis fuerint in seruitutem christianorum redacti, possunt liberè ipsis inuitis, baptizari, & ab eis auferendi sunt, iuxta decretum decimiseptimi concilij Toletani, cuius verba, cap. 8. sic habet, Qui iudæos in seruitutem acceperint, in nullo eos permittant, rituum suorum cæremonias celebrare, aut colere, & filios eorum à septimo anno nullã cõ parètib; suis habitationem, aut societatem habere permittant: sed fidelissimis christianis nutriendos tradant, & filias eorum, ac filios christianis in matrimoniũ tradant: ne infidelium patrũ suorum semitas, quibuslibet occasiõibus iterare possint.


22 ¶ De minoribus viginti annis, qui spontè de seipfis, de parentibus, & consanguineis, & alijs hæreticis, plenam iudicibus dixerint veritatem; statutum est, vt benignè recipiantur, etiam post tempus gratiæ, atque leuiùs puniantur, quàm alij maiores: quia ætas immatura, & praua educatio, eos quodammodo excusare debent. Præterea curent inquisitores, vt hi fidem catholicam doceantur, & plenius ac melius in posterum instituantur. Hæc prima instructione Hispalensi, cap. 9. Quæ omnia satis iuri consona sunt. Nam quòd minores conuersi debeant in fide catholica instrui, alijs quoque locis iure probauimus. Quòd autè sint mitius puniendi, Triphonus iureconsultus docet in. l. auxilium §. in delictis. de mino. dicens, Ætatis miseratio, ad mediocrem pœnam iudicem perducere debet. Sed & illud in specie proposita iuuat plurimum hanc sententiam, quòd filij parentum doctrinis educati, facillimè decipi possunt, & plerunque impietatem eorum simul cum lacte sugunt. Proinde immètas deo gratias agere tenemur, qui nos nil tale meritos, ex parentibus orthodoxis nasci dignatus est, nam alioqui similes alijs efficeremur.

23 ¶ Minoribus autè in causâ hæresis curator ad litem à iudicibus decernendus est: cuius autoritate, consilio, ac diligentia, innocentiam suam tueri possint. Quòd perfunctoriè, simpliciterque fieri solet: ne curatores sub innocentia prætextu, impietate illorù occultent. sed recti iudices horum reorù, curatores, defensores, & patres esse debent. Et quamuis hæc solennitas in vsu forensi leuissima esse videatur in causis criminalibus, vbi curatores personam quandam ferè mutam agunt: sed tamen quòd ad ius attinet, magni momèti ea res est, vsque adeò, vt nisi hoc fuerit obseruatum, reddatur iudicium ipso iure nullum. l. clarum. C. de autori. præstan. Corneus consil. 198. lib. 4. Hippolytus consil. 130. Gratus consilio. 52. lib. 2. Matthæus Neapolitana decisione. 208.

DE

DE HÆRESI, ET QUÆSAPILLAM.
PIVNT ILLAM.

CAP. XXX.



HÆRESIS, græca vox est, latinè sectam sonat. olim sæpe in bonam partem accepta, hodie verò nomen odiosum est, & apud vulgus infame. Significat hæresis de aliquo dogmate firmatam opinionem, in qua homo tenaciter persistit: vnde hæretici dicti. Quo nomine significantur, qui contra Christi fidem, aut illius ecclesiam, vel docent, vel credunt. Dicitur autem hæresis ab electione, vt Hieronymus inquit: quia scilicet, eam sibi vnusquisque disciplinam eligit, quam putat esse meliorem. c. hæresis. 24. quæstione tertia. Et vt est apud Augustinum super euangelium Ioannis tractatu decimo octauo, hæreses orthodoxis sunt dogmata peruersitatis, animas illaqueantia, & in profundum præcipitantia. Vide Budæum in. l. prima §. exempli. de edeli. edict. Corrasium libro tertio miscella. capitulo octauo.

1 ¶ Hæresis grauissimum scelus est, eo cæteris peius, quòd, vt Alfonso ait, latius se diffundit, acutiùs penetrat, tenacius adhæret, atque ideò difficiliùs curatur. Quantum enim noxium sit, inde censeripotest, quòd fidem catholicam impetit, fundamentum totius pietatis, sine quo nil sunt reliqua omnia profutura. Vnde Felix papa epistola prima inquit, Hæresis nimis impia, & euangelicæ veritatis inimica, quæ non portionem aliquam lædere, sed ipsa christianæ religionis conatur fundamenta conuellere. Quosunque enim rapit ad se, non solum in hoc vitium, sed in alia multa ruere facit. Hæresis omnium nocentissima pestis est: quæ non tantum hæreticum extra ecclesiam eijcit, & omni salute destituit, sed etiam latissimè serpens, contagione sua quam plurimos corrumpit. Propter quòd Augustinus cõtra Donatistas lib. 6. cap. quadragesimo quarto, putat, hæreticum hominem, quouis ethnico, quantumlibet malo esse peio-

o ij rem

rem. Denique tanto execrabilior est hæresis, quam idololatria: quanto deterior est, qui sub specie mutuæ benevolentiae amicū prodit, quam qui hostem, aperto Marte, aggreditur. Vide Brunum in præfatione de hæreticis. & lib. 1. cap. 3. qui multa mala ex hæresi prouenientia colligit. lib. 2. cap. 1. & deinceps. Vide etiam Richardum in. 4. sententiarum. distin. 13. arti. 5. quæst. 4. Gabrielem eadem distin. quæst. 2. Alfonsum lib. 1. aduersus hæreses. c. 1. & iterum lib. 1. de iusta hæretico. punitio. capitulo secundo.

2 ¶ Hæresis autem definitur multipliciter à multis, sed in eandem sententiam conueniunt omnes. Quidam sic aiunt, Hæresis est propositio falsa, fidei catholicæ repugnans. Alij sic definiunt, Hæresis est opinio, assertio, vel dogma falsum, catholicæ veritati contrarium, in eo, qui fidem christianam professus est. Alij hoc modo, Hæresis est error pertinax contra catholicam veritatem. Sunt qui definiant his verbis, Hæresis est fidei vitium, quo quis singulare aliquid à communi catholicæ ecclesiæ fide ac sententia eligit, ac proinde se ab ecclesia separat, quæ se rectius sentire præsumit. Et ob id hæresis, hoc est electio, haud insignificanter appellatur. In prædicta autem finitione satis includitur pertinacia: qua adeò sententiæ ecclesiæ se nō subiicit, vt sciens, eligensque ei contradicat. Demum hæresis est dogma falsum, contra fidem orthodoxam, ab eo, qui fidem profitetur, pertinaciter assertum, vel in dubium reuocatum. Hæc tradunt Cardinalis Hispanus tractatu de potestate papæ. lib. 4. cap. 1. Gabriel in. 4. sententiarū. distinctio. 13. quæstio. 2. Pighius lib. 4. hierarchiæ ecclesiasti. cap. 8. Brunus lib. 1. de hæreticis. cap. 1. Sunt & aliæ definitiões, quas quia his concinunt, libens omitto.

3 ¶ Tria necessaria sunt ad hæresim perfectam: videlicet, falsa credulitas, quæ est ex parte rationis: peruersa voluntas, quæ est ex parte concupiscibilis: & pertinax defensio seu impugnatio ex parte irascibilis. Ex tribus itaque constituitur hæresis, scilicet, ex errore in fidei pertinaci. Duo pertinent ad intellectū, error, & sententiā fidei. Pertinacia verò, pertinet ad voluntatē: & hæc est, quæ constituit plenā rationē hæresis. Idcirco si quispiā credat se tenere sententiā aliquam fidei, cum contrariam teneat, huiusmodi adhæsiō non est

est hæresis, quia deest pertinacia. Est itaque hæresis, infidelitatis species, pertinens ad eos, qui fidem Christi profitentur, sed eius dogmata corrumpunt. Et est vitium non in intellectu absolute, sed in eo, vt moto à voluntate eligente. hæc Thomas, & Caietanus. 2. secundæ. quæst. 11. articu. 1. & rursus idem Caietanus arti. 2. Alexander ab Ales parte. 2. quæst. 181. membro primo §. 1.

4 ¶ Hæc tria quæ faciūt hæresim, sic familiarius intellige, Dogma falsum, seu doctrina, assertio, vel opinio falsa: qua scienter aliquis eligit cōtrarium eius, quod ecclesia docet. His includitur error, approbans falsa pro veris, aut vera pro falsis, vt alibi prolixius explicuimus. Sententia fidei necessaria est, vt ei opposita opinio hæresis sit. importat enim hæresis corruptionem fidei christianæ: ad quam non pertinet, si quis habeat falsam opinionem in his, quæ non sunt fidei. Sicut Thomas docet. 2. secundæ. quæst. 11. artic. 2. Inde est, quod sæpissimè catholici scriptores citra hæresim dissentiant, in his rebus, in quibus nil ad fidem refert, vtrum hoc, an illud asseratur. Tale est, quod Ioannes Picus ingeniosè diserit de salute Origenis in apologia. quæst. 7. vbi pie atque acutè coniectat, tantum virum non fuisse damnatū. Cui ferè simile est, quod Abulensis opinatur lib. 2. regum. capi. 7. quæst. vlti. Salomonem illum fuisse damnatum, quia idolorum aras nō destruxit, nec ab Ecclesiastico inter viros gloriosos fuit numeratus: cū tamē è regione sanctum eum vocet Ambrosius in præfatione ad euangelium Lucæ. Et huius sententiæ alibi fuerunt Hieronymus, Chrysostomus, & Hebræorum longè plures, vt est apud Pelagiū lib. 2. de planctu ecclesiæ, arti. 45. A quibus disidet Augustinus lib. 17. de ciuitate dei. capitulo. 20. & iterum libro tertio. de doctrina christiana. capitulo. 21. Vide Felinum in capit. ne innitaris. de constitu. numero. 5. & rursus in capitulo. 1. de præsumptio. Campesem libro. 7. de libero hominis arbitrio. capitulo. 2. De pertinacia verò fusiùs proprio loco dicemus. Prædictas hæresis partes prolixius exponunt Occam lib. 1. dialog. cap. 6. Gabriel in. 4. sententiarum. distin. 13. quæst. 2. Alfonsus lib. 1. aduersus hæreses. capi. 1. & iterum libro. 1. de iusta hæretico. punitio. cap. 1. Brunus lib. 1. de hæreti. capitulo primo.

- 5 ¶ Hæresum causæ multæ numerantur à multis. Defectus, & fragilitas intellectus humani. Conuersio ad peccata & errores, quibus obscuratur cor insipiens. Malitia, quæ mutat & corrumpit intellectum. Sublimitas rerum diuinarum. Negligentia quæ redi adiutorium dei ad fidem confirmandam, & adiuuandam incredulitatem. Superbia, quæ propria est hæreticorum, qua inniuntur prudentiæ suæ. Vnde illud Hieremiæ cap. 49. Arrogantia tua, & superbia cordis tui decepit te. vbi glosa rectè colligit, omnis hæreticus arrogans. Quia superbia facit hæreticum, non ignorantia. Et Gregorius de superbis inquit, tanto à dei luce longè sunt, quanto apud se humiles non sunt. Et Bernardus in canticis ait, Superbo oculo veritas non videtur, sinceropatet. Affectio quoque inordinata intellectum trahit ad contraria fidei. Multi nanque defecerunt odio, amore, atque timorè. Hæc voluntatem, & prauum affectum hæreticorum vsque ad eò corrumpūt, vt eorum intellectum in stultissimos, atque impijssimos errores precipitem trahant. Vide Peraldum in summa virtutum, tractatu de fide. capitulo. 28.
- 6 ¶ Quidam aliter causas hæresis colligūt. quarum dicunt esse potissimam, immodicum sui amorem: vnde oritur, vt sua semper hæreticis placeāt, proprijs inuentis delectentur, & vt obstinati et pertinaces sint. Alia causa est, gloriæ cupiditas. Deinde proprius cuiusque inordinatus affectus est illi causa cadendi. Auaritia, libido, superbia, libertas, ambitio, inobediētia, gula, aliaque id genus vitia effrenata, prout trahit sua quenque voluptas. Sed & prauorum librorum lectio: zelus non secundum scientiam: prælatorum negligentia: defectus doctrinæ christianæ, atque prædicationis verbi dei: sacrarum literarum in linguam vulgarem translatio: indifferens prædicatio verbi dei, per quoscunque prauos, & indoctos: indignitas prælatorum & sacerdotum: versutia diaboli: principū impietas, causæ sunt hæresis manifestæ. In summa hæresis, quæ pessima insania est, infinitis fit modis. Malū em̄ ex multis particularibus proficiscit defectibus, vt est apud sacrū Dionysium lib. de diuinis nominibus. c. 4. Hæresum remedia cogitantur multa, contraria prorsus causis supra scriptis. Sed re-
rum

- rum experientia illud potissimum indicauit, vt inquirantur hæretici diligentissimè, & puniantur acerrimè. Hæc prolixè tractauit Alfonso libro primo aduersus hæreses capit. 11. & sequen. & iterum prolixius lib. 3. de iusta hæretico. punitio. Brunus lib. 1. de hæreticis. cap. 5. & rursus idem lib. 3.
- 7 ¶ Crimen hæresis per iudicem ecclesiasticum examinandum, ac declarandum est. Nec potest secularis vlllo modo vsurpare cognitionem hanc: alioqui sententiam excommunicationis incurrit. c. vt inquisitionis. §. prohibemus. de hæreti. lib. 6. Quod si iudex secularis, qui contrauenit, petat absolutionem; tunc pro modo culpæ iniungetur ei pœnitentia: poteritque vel in expensis damnari, vel alia pœna puniri: quod alibi dixi. Si verò hæreticus in manus iudicis secularis quoquomodo inciderit; protinus remittendus est ad iudices ecclesiasticos, vt. c. de Lamijs attingam. De mum de hæresi transigere non licet. ea enim res publici iuris est, atque commune bonū in eius punitioe versatur: cōcernitque periculum animarum, vt proculdubio priuatorum conuentionibus concludi nequeat. Vide Purpuratum in. l. transigere. C. de transactio. Arelatanum. tracta. de hæreti. nota. 8.
- 8 ¶ Quia verò quædam sunt crimina, cognationem magnam cū hæresi habētia, de quibus inquisitores cognoscere nequeunt, nisi manifestè sapiant hæresim. c. accusatus. §. sanè. de hæreti. lib. 6. idcirco non abrefuerit, pauca de his breuiter commemorare. Illa igitur propositio sapit manifestam hæresim, ex cuius confessione coassumpto aliquo, quod non potest probabiliter negari, sequitur hæresis in fide. vel planius, Illa sapit manifestā hæresim, ex qua & quibusdam veris, quæ nulla tergiuersatiōe possunt negari, sequitur hæresis manifesta. Illa quoque propositio eundem saporem habet, quæ in prima verborū significatiōe, & prima figura, & facie, sensum habet hæreticū: quāuis piè intellecta. possit habere sensum catholicū. Hæc Gersonus alphabeto. 14. Ecchius libro primo de primatu Petri. capitulo sexto. Alfonso lib. 1. de iusta hæreticorum punitio. capitulo tertio.
- 9 ¶ Præterea illa facta sapiūt manifestam hæresim, quæ natura sua præferunt aliquid, quod manifesta est hæresis. vt puta, bapti-

zare imagines praefert, quod illae sunt capaces huius sacramenti. Et rebaptizare puerum, praefert, quod baptisma possit bis conferri. Haec sunt de mente doctorum teste Siluestro in summa. verbo, haeresis. 2. nume. 4. Sequitur Dominicus consil. 54. Similiter circa aras idolorum preces nefarias emitere, aut illis offerre sacrificia, manifestam haeresim sapit. glosa & interpretes. in. c. accusatus §. sanè. de haereti. lib. 6. per tex. in. c. igitur. 26. quaest. 3. & quia veritas ipsa per Matthaeum cap. 4. inquit, Dominum deum tuum adorabis, & illi soli seruias. Hoc etiam docet Oldradus consil. 210. & est peritorum omnium recepta sententia.

10 ¶ Circa cultum & inuocationem daemonum, & pacta cum eis inita, distingui solet. Quaedam enim ordinantur directe in reuerentiam eorum. qualia sunt adorare, oblationes offerre, inuocare ad futura praenoscenda, tribuere illis aliquid, quod solius dei sit, vel pacta cum eis facere ad praedicta, similiaue perpetranda, quae ad idololatriam speciem pertinent. Et haec omnia sapiunt manifestam haeresim. Quaedam fiunt indirecte ad reuerentiam daemonum, ut aliquid homines curiosi & perditiciant, aut operentur per daemones absque idololatria, inuocantes illos ad sua comoda, vel ad pudicitiam tentandam, vel ut quippiam simile faciant, quod sit eorum proprium: quae si fiant per modum imperij, neque daemonem honorando quasi deum, vel infallibilem veritatem: haec, inquam, non sapiunt manifestam haeresim, iuxta vulgarem sententiam doctorum; quam asserunt glosa, Dominicus, Francus, & caeteri in. c. accusatus §. sanè. de haereti. lib. 6. Oldradus consil. 210. Albericus in rubrica. C. de haereti. Ioan. Andre. ad speculum. titu. de sortilegijs. Dominicus consil. 54. Gonsalus tractatu de haereticis. quaestione nona. Matthaeus in constitutionibus Siciliae, titu. 1. quaestio. 1. Ponzinibus de Lamijs. numero. 82. Grillandus de sortilegijs. quaestio. 10. Brunus lib. 1. de haeret. cap. 2. Siluester verbo, haeresis. 2. nume. 4. summa quoque rosella verbo, haereticus. nume. 3. Alfonsus lib. 1. de iusta haeretico. punitio. capit. 19. Caietanus. 2. secundae. quaestio. 95. articu. 4. Ludouicus Care. de haereti. nume. 23.

11 ¶ Facere sortilegia simplicia, & amatoria pocula, & imagines cereas

reas, ad prouocandum amorem, superstitiosa sunt magis, quam haeretica, ut inquit Oldradus consil. 210. quem omnes ferè proxime nominati sequuntur. Quibus adde Iasonem in. l. huiusmodi §. vlti. de lega. 1. Praeterea petere hostiam non consecratam tempore mortis, non sapit manifestam haeresim: si modo vera est opinio Calderini consil. 4. titu. de haereti. per tex. in. c. de homine. de celebratio. missa. Quam opinionem approbant Ioan. de Anania, & Felinus in. c. ad abolendam. de haereti. Albertinus in rubrica eiusdem tituli. lib. 6. quaestio. 13. nume. 66. Quae mihi distinguenda videntur ex personis, & causis, alijsque circumstantijs. Sed illud penè omiseram, quod speciali nota dignum est, quod inuocare daemones per modum imperij, aut per minas, erroneum, ineptum, & ridiculum est. ut eleganter docet Augustinus lib. 10. de ciuitate dei. cap. 11. his enim rebus daemones non constringuntur, sed magis fatuos decipiunt. Quapropter, ut ego sentio, haec quoque censura inquisitorum examinanda sunt. Illum demum, qui credit aliquid boni fieri posse virtute daemonum, haereticum censeat Bal. consilio. 95. lib. 1.

12 ¶ Quando dubitatur, vtrum diuinationes, vel sortilegia sapiant manifestam haeresim, & ea propter de iurisdictione ambigitur, inquisitores de eare cognoscere nequeunt. Haec est opinio glosae in. d. §. sanè. quam illic sequuntur Monachus, Archidiaconus, Ioannes Andre. Dominicus, & Francus. Sequitur etiam Felinus in. c. si clericus laicum. de foro compet. Carerius de haereti. nume. 24. Sed haec opinio modicam utilitatem habet. nam si dubitetur in facto, vtrum aliquid huiusmodi sit commissum, quod sapiat manifestam haeresim; tunc inquisitores de hoc possunt cognoscere, ut probat Franciscus Squilacensis tractatu de fide catholica. c. 56. referens eiusdem sententiam Dominicum. in illo §. sanè. Praeterea inquisitores inuestigare atque cognoscere possunt, an crimen commissum sapiat manifestam haeresim. argumento glosae. in. c. 1. de officio delega. lib. 6. vbi notatur per Archidiaconum, Hostiensem, Ioannem Andr. & Dominicum. Et in specie proposita tradit Felinus in. c. si clericus laicum. de foro compe. Ponzinibus de Lamijs nume. 79. post Federicum Senensem consil. 157. summa rosella,

rosella, verbo, hereticus. nume. 3. & Arclatanus de hereti. notabili. 3. Ad extremum cōtra prædicta scelera perpetrantes rectè procedent inquisitores, tanquam cōtra suspectos de hæresi: tametsi crimina illorū non sapiant manifestam hæresim. Quod ita esse vsu receptum, testatur Bonifacius in cle. vlti. in fine de hæreticis. Hac igitur, vel illa via semper iudices erunt inquisitores.

DE HÆRETICIS. CAP. XXXI.



HÆRETICVS ab hæresi deducitur, qui sibi ex suo arbitrio doctrinam falsam eligit. Dicuntur autem hæretici latissima significatione, infideles, excommunicati, simoniaci, & quidā alij, qui de hæresi suspecti sunt. c. quod autē. 4. quæst. 1. cap. qui quis. 1. quæstio. 1. Et hi per quandam similitudinem improprie dicuntur hæretici: quia ita operantur, ac si contra fidem sentirent. Quam rationem assignant Richardus in. 4. sententiarum. distin. 13. arti. 5. quæstio. 2. & ibidem Gabriel, eadem distin. & quæstio. Occam, lib. 3. dialo. cap. 2. Vnde manifestè colligitur, quod prædicti non sunt pœnis hæreticorum coercendi, quando quidem veri hæretici non sunt. Quam in re clara & euidenti probanda, nimius est Lucas de pen. in. l. 1. C. de priuile. schola. lib. 12. col. 5. Sed quia hoc loco non scribimus nisi de hæretico proprie, atque strictè sumpto, ideo ad eius definitionem transeundū est.

¶ Definitur autem hæreticus multipliciter, sed in eadem ferè sententiam Origenes inquit, Hæreticus est, qui se Christo credere professus, aliud de veritate christianæ fidei credit, quàm habet de finitio traditionis ecclesiasticæ. Refert Pighius lib. 3. de libero arbitrio, prope finem. Augustinus ait, Hæreticus est, qui alicuius temporalis commodi, & maximè vanæ gloriæ, principatusque sui gratia, falsas, ac nouas opiniones, vel gignit, vel sequitur. c. hereticus. 24. quæstio. 3. Quod ex audit Occam lib. 3. dialogorum. capi. vlt. quando prædicta pertinaciter fiunt. Sed & ille hereticus est, qui aliter docet, vel sentit de sacramentis, quàm sacrosancta Romana ecclesia prædicat, & obseruat. c. ad abolendam. de heret.

Aliter

- Aliter definitur sic, Hæreticus est, qui verè baptizatus, vel p baptizato se gerens, pertinaciter dubitat, vel errat contra catholicā veritatem. Hanc ponit Occam lib. 3. dialogo. cap. 3. sequitur Gabriel in. 4. sententiarum, distin. 13. quæstio. 2. Alij aliter definiunt, Hæreticus est, qui scienter tenet contrarium eius, quod sequitur consequentia necessaria ex sacris literis. Hæc est de mente Gersonis, vt refert Franciscus Victoria. 2. secundæ. q. 11. arti. 2.
- 2 ¶ Præterea Ricardus in. 4. sententiarum, distin. 13. arti. 5. q. 1. ponit hanc definitionem, Hæreticus est, qui profitetur Christū, & eius dogmata corrumpit. Traditur & alia ex mente Thomæ, & omnium doctorum, quæ huiusmodi est, Hæreticus est, qui circa ea, quæ sunt fidei, errat per intellectum, & pertinaciter hæret errori per voluntatem. Refert Siluester in summa. verbo, hæresis. 1. Alfonso quoque lib. 1. de iusta heretico. punit. cap. 7. sic familiariter definit, Hæreticus est, qui postquam verum baptismū suscepit, & fuit in fide catholica sufficienter instructus; pertinaciter errat contra id, quod scit ab ecclesia catholica pro fide teneri, siue oppositum veritatis asserens, siue de ipsa veritate dubitans. Nouissimè Conradus Brunus lib. 1. de hæreticis. capi. 2. eum definit hereticum, qui semel fidem christianam professus, dogma falsum, contra fidem orthodoxam, vel à Christo, & apostolis nobis traditam, vel vbilibet in scripturis sanctis contentam, vel ecclesiæ catholicæ definitionibus nobis reuelatam, pertinaciter asserit: siue ad articulos symboli pertineat, siue ad sacramenta, siue ad auctoritatem, & iudicia ecclesiæ, siue ad alias res, quas nobis credendas sancta Romana, & apostolica præcepit ecclesia. Quas definitiones breuiter hic libuit colligere, quia alia aliam explicat, & vt tu lector eligas.
- 3 ¶ Ad hoc autem, vt quis iam verè ac proprie dicatur hereticus, nonnulla in simul requiruntur. Primū est, quod sit baptizatus: alioqui iudeus, saracenus, paganus, aut alio quouis nomine censebitur, non tamen hæreticus erit. nam hereticus ab ecclesia separatur: quam qui baptizatus non est, nunquam intrauit. eius siquidem ianua, baptismus est. Quæ receptissimis doctorum sententijs comprobantur. Vnde queritur, An qui falsò putat se baptizatum

tum, cum tamen verè baptizatus non sit, verus hæreticus cenſetur, ſi in hæreſim incidit? Et magis eſt, vt is verus hæreticus hæatur. Quam ſententiam Occam & Gabriel in definitionibus aſſerunt, vt paulò ante diximus, & placet Alſonſo lib. 1. de iuſta hæretico. punitio. cap. 8. Quorum ea potiffima ratio eſt, quia talis baptizatus eſt baptiſmo flaminis. Adde, quòd in pœnis ſpiritualibus plus operatur opinio delinquentis, quàm veritas facti, vt poſt plures docet Felinus in. c. ſi verò. 2. de ſenten. excommu. Igneus in. l. 1. § hoc autem. ad fillania. Còfert decifio textus in. c. vlti. de presbyter. non ordinandis.

4 ¶ Inde etiam quæritur, Vtrum catechuminus, qui firmo animo baptiſma ſuſcipere ſtatuit, & poſtea in hæreſim lapſus fuit, verus hæreticus dicendus ſit? Quòd magis placet Alſonſo, quia baptizatus eſt, inquit, ſpiritu ſancto. Sed quòd ad rem forèſem attinet, ego ſuſſito: nam & is ſcit ſe baptizatum non eſſe baptiſmo exteriori, & iudices iuxta veritatem facti exterioris, & intentionè atque opinionem delinquentis iudicare debent, non autem ſecundum præcedentem deliberationem. Illud verò minorem dubitationem habet, quòd ibidem Alſonſus tractat, de infante baptizato, qui ante uſum rationis captus ab infidelibus, apud quos educatus, eorum impietatem didicit, utrū ille ſit cenſendus apoſtata? Et rectè putat, hunc apoſtata non eſſe. Quia fides infuſa non ſufficit ad credendū, ſed opus eſt aliquo doctore. iuxta quòd Paulus epiſtolæ ad Romanos cap. 10. inquit, Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient, ſine prædicante? Indignum quippe eſt, vt is habeatur apoſtata, qui non fuit plenam fidè aſſequutus, & propterea inuincibili tenebatur ignorantia. Qua ratione recenter conuerſi, qui priuſquam eſſent in fide ſufficienter inſtructi, erraſſe deprehenduntur, non debent licò cenſeri hæretici, ſed plerunque ignorantia lapſoſpiè credendum eſt, ſemper autem leuiùs puniendi ſunt. Quòd mihi nò obſcurè probatur in. c. quidam. de apoſta. Et habent inquiſitores diploma apoſtolicū, quo recenter conuerſos, etiam relapſos, ſi modo veri pœnitentes exiſtant, recipere poſſunt.

5 ¶ Alterum neceſſarium, vt aliquis verus dicatur hæreticus eſt, er-

ror

ror in fide catholica. De quo multa alibi ſcripſimus. Ois quidem hæreticus errat, ſcièter approbàs falſa, p̄ veris, aut vera, p̄ falſis, certa p̄ incertis, aut incerta p̄ certis. Vnde relinquit, q̄ nullū opus exteriori, quantūuis horrendum, hæreſis ſit, abſque intellectus errore: tamenſi vehementem, & violentam præſumptionem hæreſis præferat, vt puta, ſi ſacratiffimam euchariffiam ſceleſtus homo conculcet, aut quippiam ſimile committat, quòd vix citra hæreſim perpetrari queat. Hanc ſententiam probat Occam lib. 1. dialogo. cap. 6. Antoninus. 2. parte ſummæ. titu. 12. capi. 5. §. 1. Silueſter, verbo, hæreſis. 1. quæſtio. 2. Lupus allegatione de hæreſi §. 2. Albertinus in rubrica de hæreti. lib. 6. quæſtio. 13. nume. 8. Alſonſus lib. 1. aduerſus hæreſes. cap. 1. & eſt omnium doctorū concors & vnanimis ſententia.

6 ¶ Tertium neceſſarium ad facièdum hæreticum eſt, ſcientia, vel notitia contrariæ veritatis. non enim ſufficit, quòd baptizatus erret in fide; niſi etiam ſciat, id quòd approbat, contrarium eſſe catholicæ veritati. eſt enim hæreſis electio. nemo autem ignorat quæ eligit, vt ait Ariſto. 1. rhetori. capi. 10. In hoc itaque conſiſtit potiffima ratio hæreſis, quòd ſciens, hæreticus ſeipſum ab eccleſia ſeparet. Vnde Paulus epiſtolæ ad Titum cap. 3. ſuo ipſius iudicio condemnatum dicit hæreticum, quia cum reliqui facinoroſi per ſententiam iudicum nonnunquam ab eccleſia propellàtur; ſoli hæretici in ſemetipſos ferunt ſentètiã, ſuo arbitrio de eccleſia recedentes: quæ reſeſio propriæ conſcientiæ damnatio eſſe videtur. Imò etiam ab eccleſia recedere, maxima condemnatio eſt. Sua ergo ipſius ſententia, ſuo iudicio, ac per ſeipſum damnatus eſt, qui ſuum ſenſum aduerſus communem eccleſiæ ſenſum ſtatuit, atque ita ſe vtrò & ſpòtè ab eccleſia ſeparat. Hæc & alia in eandem ſententiam dicunt Pighius lib. 1. hierarchiæ eccleſiaſticae cap. 4. Brunus lib. 1. de hæreti. capitulo primo.

7 ¶ Præterea requiritur pertinacia, quæ conſummatum facit hæreticum. Ea verò, vt fuſius proprio ſuo loco dicemus, non tantum in obſtinatione conſiſtit, ſed etiam in adhæſione illa erronea, cuius paulò ante meminimus. Vnde qui ſententiam, quamuis falſam atque peruerſam, nulla pertinaci animoſitate defendunt, quærunt

quærun autem cauta sollicitudine veritatem, corrigi parati, cum inuenerint, nequaquam sunt inter hæreticos reputandi. c. dixit apostolus. 24. quæstio. 3. Illa ergo propriè pertinacia est, qua hæreticus impudenter tenet contra catholicam veritatem, sciens aduersus fidem orthodoxam suas opiniones esse. Quod longè aliter habet in eo, qui errat per ignorantiam probabilem, paratus ad correctionem. talis enim cum Augustino libro. 1. de trinitate, verba illa rectè dicet, Errare potero, sed hæreticus non ero. Et hæc est verissima doctorum sententia, quam Thomas docet in priore Pauli epistola ad Corinthios capi. 11. lectione. 4. Sequitur Oldradus, Calderinus, Albericus, Cardinalis, & cæteri.

8 ¶ Requiritur tandem, quod hæreticus non deserat totam fidem, alioqui verius dicitur apostata, quàm hereticus. Et ita tradit Guido Carmelita in summa de hæresibus. Cardinalis Hispanus in summa, de potestate ecclesiæ. lib. 4. parte. 2. cap. 13. & Antoninus. parte. 2. titu. 12. cap. 5. Albertinus in rubrica de hæreti. lib. 6. q. 13. numc. 6. Alfonso lib. 1. aduersus hæreses cap. 9. Sed ipsemet Alfonso sibi ipsi & alijs contradicit. lib. 1. de iusta heretico. punitio. capitu. 9. cuius argumenta omnia eò tendunt, vt apostatam hæreticum esse probent: quod nullus doctorum negat. Est enim apostasia, circumstantia heresis, eã aggrauans, vt inquit Thomas 2. secundæ. quæst. 12. arti. 1. Magis itaque doctorum verbis, quàm sententiæ repugnat Alfonso. Quia non ideò illi distinxerunt hæresim ab apostasia, quòd putauerint esse vsque eadè disparatas, vt eidem conuenire non possent: sed eo, quod sit apostasia tam insignis diuersaque ab alijs heresibus, vt sub heresis appellatione vix vulgò intelligatur, cum sit nomine ac definitione distincta, & iure ciuili tam separata, vt hereticus ad fidem conuersus recipiatur. l. manichæos. C. de hereticis, Apostata verò non item. l. hi qui. C. de apostatis.

9 ¶ Cognoscuntur heretici à fructibus eorū, vt ait veritas per Mattheum cap. 7. nam qualis quisque est, talia dicit & operatur. ex dictis igitur, factisque impijs, facilè cognosci possunt. Iniurijs quãdoque decertant, & verbis pugnantes, prauitatem intellectus iniurijs detegunt. Quod eleganter ait Nanziazenus oratione. 27.

Sed

Sed quia non semper in publicum repenti prodire audet, & iniquitatem suam plerunque dissimulat; idcirco interdum coniecturis opus est: quas quidam putant esse certissimas, si res nouas moliantur, si libertatem habeant in docendo, si impatiētes sint, cum corriguntur. Sed & Hieronymus in Abdiam, in Esaiam, & alibi sæpe notauit, signum esse certissimum ad cognoscendos hæreticos, si viros ecclesiasticos, quo uis colore insectentur. Cognoscuntur etiam ex superbia, qua innituntur prudentiæ suæ. Item ex impudentia. nam vt idem in Ecclesiastem cap. 8. scripsit, Omnis hæreticus, & falsum dogma defendens, impudenti vultu est. Item agnosci poterunt ex calliditate. ait enim Augustinus lib. 16. de ciuitate dei cap. 2. hæreticorū genus esse callidum, non spiritu sapientiæ, sed spiritu versipellis astutiæ, quo solent hæreticorum feruere præcordia, & pacem perturbare sanctorum. Denique praua eorum opera facilè illos indicabunt. nam cum afferant se esse christianos, factis iniquis id manifestè negant. Vide Alfonso lib. 1. aduersus hæreses cap. vlti. Brunum lib. 1. de hæreticis cap. 10. Catharinum in speculo hæreticorum, consideratione sexta, & deinceps.

10 ¶ Multis quoque nominibus designantur hæretici, multisque feris & bestijs comparantur in sacris literis, vt & sacri doctores passim perpendunt. Sunt quidem lupi rapaces, sub vestimentis ouium insidiantes Christi ouili. Comparantur lamijs, qui humanam quidem faciem, sed beluina per impietatem corda gestant. Comparantur & pardis, vulpibus, simijs, canibus, & multis alijs id genus animantibus. Vocantur similiter organa diaboli, vasa iræ, deo odibiles, fures, latrones, sacrilegi, antichristi, pseudoprophetæ, pseudoapostoli, vasa mortis, ligna infructuosa, vaccæ pingues, corona superbiæ, filij perditionis, mōtes mali, operarij subdoli, vaniloqui, mentis seductores, & alia his similia: quæ si prolixius tractata desideras, legere potes Fabrum contra Lutherum tractatu. 5. textu. 16. & iterum textu. 25. & rursus tracta. 10. textu 8. in fine. Brunum lib. 1. de hæreticis capitulo tertio. Et iterum capitulo. 13. & deinceps.

11 ¶ Inter omnes autem hæreticos, qui magis nocent hi sunt, qui se viros

viros bonos simulāt, cum nil minus sint. Idcirco ab his falsis prophetis attentius praecauendum Christus ipse praemonuit, apud Matthaeum cap. 7. & similiter Paulus capi. 11. prioris epistolae ad Corinthios admonet hos pseudoapostolos, esse operarios subdolos, transfigurantes se in apostolos Christi. Et Leo ille magnus sermone. 5. de ieiunio decimi mensis, inquit, humiliter irrepunt, blandè capiunt, molliter ligant, latenter occidunt, & alia subiungit huc spectantia. Nulla capitalior pestis, inquit Cicerolib. 1. officio. quam illorum, qui cum maximè fallunt, id agunt, vt boni viri esse videantur. Decipimur specie recti, Horatius ait, quia mala sunt vicina bonis. Si quis malum in praetextu boni facit, duplicata poena dignus est, vti cèset Basiliius epistola. 76. Propterea quod, & non bonum operatur, & vitur ad perficiendum peccatum ipso bono, vt ita dicam, cooperatore, & auxiliario. hęc ille. Diuus quoque Bernardus in canticis inquit, Omnibus vna intètio hæreticis semper fuit, captare gloriam de singularitate scientiæ. Quod vt commodè faciant, non sufficit hæreticos esse, nisi & hypocritæ sint, vt sit supra modum peccās peccatum. Hi sunt qui veniunt in vestimentis ouium, ad nudandas oues, ad spoliandos arietes, intus autem sunt lupi rapaces. Hi sunt oues habitu, vulpes astu, actu, & crudelitate lupi. Mali sunt, & videri boni volunt, ne soli sint mali. Mali videri timēt, ne parum sint mali. Et enim minus semper malitia palàm nocuit, nec vnquā bonus, nisi si boni simulatione deceptus fuit. Neque enim est apud eos virtutes colere, sed vitia colorare, quasi quodam virtutum minio. hactenus ille. Planè simulata æquitas, duplex iniquitas est.

12 ¶ Iuxta supradicta omnia nudi apparent oculis nostris huius tēporis hæretici, quorum deus venter est: qui ob innatam sibi effrenatam quandam libertatem, nec pios homines, nec ecclesiam, nec deum ipsum iam ferre possunt. cum tamen, vt verè quodam loco dixit Augustinus, posse peccare, nec libertas sit, nec pars libertatis. Horum superba voluptas elegit sibi magistros prurientes auribus, & secundum desideria eorum docentes, errantes ipsi, & in errorem mittentes. Hęc sunt periculosa illa tempora, quæ prædixit Paulus cap. 3. posterioris epistolae ad Timotheum, vbi hos

hos hæreticos quasi digito ostendit dicens, Erūt homines seipfos amantes, cupidi, elati, supbi, blasphemi, parētibus nō obediētes, ingrati, scclēsti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, proterui, tumidi, cæci, & voluptatum amatores magis, quàm dei, habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes, homines corrupti mente, reprobī circa fidem. hęc Paulus. Quibus addere libet sequentia, quæ in prima constitutione regni Siciliae posita sunt, hoc verborum tenore, In ipsius indiuisibilis fidei vnitatem hæretici conantur inducere sectionē, & oues à Petri custodia, cui pascendē à pastore, bono sunt credite, segregare. Hi sunt lupi rapaces intrinsecus, eousque mansuetudinem ouium prætendentes, quousque possint ouile subintrare dominicum. Hi sunt angeli pessimi, hi sunt filij prauitatum à patre nequitiae, & fraudis autore, ad decipiendas simplices animas destinati. Hi sunt colubri, qui columbas decipiunt. Hi sunt serpentes, qui latenter videntur serpere, & sub mellis dulcedine virus euomunt, ac dum vitæ cibum ministrare se simulant, cauda feriunt, & mortis poculum, velut quoddam dirisimum aconitum immiscent. Quæ omnia, dispeream, nisi hæreticis Germaniæ adamusim quadrant.

13 ¶ Hi hæretici Germaniæ tales magistros errorum habuerunt, quales hodie pululant eorum discipuli: Quorum princeps fuit Lutherus, homo scelestus, & procax: qui ruptis vinculis christiana religionis, ab instituto diui Augustini resiliens, cui iam diu addictus fuerat, post Satanam retrò abiens, totam Germaniam repleuit hæresibus. Is à principio simulauit se pium, & continentem: sed non potuit impietas eius latere diutius. suis nanque prædicationibus & scriptis pessimum hæresiarcham, haud multò post se cunctis palàm ostendit & prodidit. Nam, vt Naziāzenus ait oratione. 14. nil simulatū durabile esse potest. Nec em̄ puduit hoīem impudētissimū, ppria manu scribere, se familiariter cū demone conuersatū, cū quo modiū salis comedit, vt scribit Echius homil. 24. de sacramē. q. postea vetulus & penè delirus, cū deo dicata moniali cōtraxit matrimoniū, vt idē Echius testatur homil.

eiufdem operis. 71. Horrédum quippè facinus, & in ecclesia dei antea nunquam auditum, vt monachus atque sacerdos, monialem consecratam nefandis nuptijs sibi publicè copularet: vt meritò Faber tractat. 4. impuriorem atque peiorem fuisse Lutherū, quàm olim fuerit ille Mahumetes, dixerit, atque pbauerit. Post hūc Thomas Monetarius, homo infanus, primus autor fuit phanatici erroris anabaptistarum. Quo etiam tempore Caroloftadius, O Ecolampadius, Zuinglius, & alij sacramentariorum hærefes ab inferis reuocarunt: à quibus alia quoque monstra quotidiè suboriuntur. Nec pudet homines, alioqui doctos, relictis orthodoxis patribus, relictà ecclesia catholica, atque adeò relictò Christo, eiusque religione, tales duces, taliaque monstra sequi. non enim reliqui meliores Luthero inueniuntur. Vide Catharinum in speculo hæreticorum, consideratione. 8.

14 ¶ Horū & aliorū oīm hæreticorū potissima deceptio, & error cōmunis est, superba fiducia sui, qua suæ prudētiae innitūtur. Quorum plerique stupidi sunt, & imperiti: qui tamē nisi quod ipsi faciunt, nil rectum putant. Alij autem, vt inquit Hieronymus in cap. 10. Osee, sunt homines acuti, & eorum terra fœcūda est, qui à deo acumen sensus & ingenij percipientes, vt bona naturæ in dei cultum verterent, fecerūt sibi ex his idola. Nō animaduertūt perditī homines, quàm sit fragilis itellectus humanus, & quàm facilis ad errorem. sicut se habet oculus noctuæ ad lumen solis, sic & itellectus noster ad notissima naturæ, vt verè inquit Aristoteles libro secundo Metaphysicæ. Quanto imbecillior erit ad supernaturalia, & archana dei? Non sumus sufficientes, testante id apostolo, posterioris epistolæ ad Corinthios capi. 3. aliquid cogitare à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex deo est. Captiuare debemus itellectum in obsequium Christi, & ecclesiæ catholicæ. Sapiētia huius mundi, stultitia est apud deum. Et corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam: & terrena inhabitatio, impedit sensum multacogitantē. Videant ergo heretici, q̄ lumē, quod habere putāt, p̄culdubiò tenebrę sunt. Audiāt apostolū ad Romanos dicētem, Non plus sapere, quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. Et paulò ante, Noli altū sapere, sed

sed time. Et rursus, non alta sapientes, sed humilibus consentiētes. Hæc & eiusmodi multa nos inducere debent, ne proprijs ingenijs confisi, ab ecclesia, neue à sanctissimis, atque doctissimis patribus recedamus: sed nos potius quàm illos errare credamus, & certò sciamus.

15 ¶ Sanè quia hæretici omnes prophanis nouitatibus gaudēt, & his ipsis placere studēt, idque certissimum signum est, quo facile cognoscuntur, opere prætium erit, quædam scitu digna breuiter hoc loco perstringere. Ac primū Paulus epistolæ ad Hebręos cap. vlt. Doctrinis, inquit, varijs, & peregrinis, hoc est nouis, & singularibus, nolite abduci. Et Ecclesiasticus cap. 8. ait, Ne despicias narrationem presbyterorum sapientium, & in prouerbijis eorum conuersare: ab ipsis enim disces sapientiam, & doctrinā itellectus. Nō te prætereat narratio seniorū, ipsi enim didicerūt à patribus suis: quoniā ab ipsis disces itellectum & doctrinam. & alibi, State super vias, & videte, ac interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea. Et Prouerbiorū cap. 22. Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerūt patres tui. Paulus quoque Timotheo, & vnicuique christiano cap. 6. prioris ad eum epistolæ scribit in hæc verba, O Timothee, depositū custodi, id est catholicæ fidei talentum conserua. Depositū, id est quod tibi creditum est, non à te inuentum. Quod accepisti, nō quod excogitasti: in quo nō autor esse debes, sed custos. Deuitās p̄phanas vocū nouitates, id est, prophana dogmata, et extraneas, nouasque sentētias. Quinimo diuus Augusti. lib. 10. de ciuitate dei. c. 23. neque nouis vocibus de religiōe loqui pmittit: ne verborum licētia, etiā de rebus, quę his significātur, impiā gignat opinionē. Et rursus idē lib. de ratiōe anime, opinionē quandā nouā, nō alia ratione refellit, q̄ quia ipsa sola nouitate displicebat. Vide sextā synodū generalē, actione. 12. vbi dixit sc̄ta synodus, Omnino necesse est, non solum secundū sensum sequi sanctorū patrum dogmata, sed & eisdē vocibus vti cum illis, nihilque penitus innouari. Et ibidem alia quædam in eandem sententiam tradūtur.

16 ¶ Quòd si in legibus ciuilibus, alijsq; humanis actionibus, inq; bus plerūq; nil refert, vtrū hoc, aut illo modo fiat, suspectę sunt, et

periculosa nouitates, sicuti mox dicturi sumus, quid futurum putamus in rebus fidei, ac religionis, in quibus salus christiana consistit: quas inflexibiles, & immutabiles esse non ambigimus. Certè diuinus Plato, cui Aristoteles in politicis, & ceteri sapientes subscribunt, nil perniciosius esse censet, quàm temerè ab antiquis legibus, moribus, & consuetudinibus recedere; peregrinas, nouasque res introducere, atque moliri. Is lib. 6. de legibus, Omnibus perspicuum est, inquit, neminem leges nouas facillè suscepturum. Legibus antiquis utendum est, in quibus nil vnquàm spontè mouebunt. Si qua verò necessitas aliquando vrgere videbitur, de hoc vna consulent magistratus omnes, et populus vniuersus, & omnia deorum petantur oracula. Si horum omnium vnus erit consensus, moueant: aliter verò, nunquàm: sed vnus, qui prohibeat, vincat. Et rursus lib. 7. sic scripsit, Mutationem, aio omnibus in rebus, præterquam malis, esse periculosissimam: in temporibus omnibus, inuenta, in dieta corporum, in moribus animorum, in omnibus simpliciter, præterquam in malis. Et iterum, Omnes, inquit, eas leges colunt, & innouare formidant, in quibus educati sunt. Quam sententiam de legibus non mutandis subinde repetit idem Plato lib. 1. de legibus, & libro ciuili, seu de regno. Et item in Minoe.

17 ¶ Usque adeò quippè nouæ res prudentibus fuere suspectæ, ut apud Locros cautum legamus, eum qui legis mutationem suadere vellet, laqueo collo circumducto id facere oportere: ut si visum esset mutationem fieri, liberaretur: sin minus, statim contracto laqueo stragularetur. Plutarchus quoque lib. politic. ad Traianum scribit, nouis legibus ingenia populi moderari velle, non modo non facillè, sed neque tutum quidem omnino esse. Cui concinit Pli. lib. 29. naturalis historiae. cap. 1. vbi ita inquit, Anceps & lubricum est rerum omnium nouarum principium. Sed & Liuius lib. 4. belli Macedonici sic scripsit, adeò nil motum ex antiquo probabilè est: veteribus, nisi quæ usus euidenter arguit, stari maluit. Adde etiam illud, quod in primis Aristoteli. 2. politi. deinde grauissimis atque sapientissimis viris placuisse constat, fatius esse interdum aliquid à maioribus non omnino optimè constitutum tolerare, quàm id multarum ætatum usu

receptum

receptum & comprobatum: dum quasi iniquum tollere volumus, vniuersæ ciuitatis otium atque pacem perturbare, aut etiã in aliquod seditiois discrimen eam adducere.

18 ¶ Veteres quidem leges vel paulò deteriores non facillè mutandæ sunt: quia plerumque ex nouis legibus maiora incommoda oriri solent: & ciuium animi assuescunt nouitatibus, quæ mouere solent, & concouassare rem publicam. Et mutationem legum protinus sequitur mutatio morum. Planè tot profanis nouitatibus post impium Lutherum scatebat Germania, ut scitè dixerit Georgius dux Saxoniae, quod hodie nesciebant Lutherani quid anno sequenti credituri essent. Quibus ea omnia quæ adrant, quæ de similibus seditiosis elegantissimè scripsit Nazianzenus oratione duodecima. Ita se isti nouos apostolos fingunt, ac si per mille quingentos, & eò amplius annos Christus oblitus fuisset ecclesie suæ, atque nunc tandem hos suscitauerit, qui nouis traditionibus, nouis legibus, nouis sacramentis & cæremonijs ecclesiam catholicam reformarent. Sed his, qui iam diu subuersi sunt, diuine ultioni relictis, ad incepta redeunt, cum Honorio pontifice dicimus, Plerumque discordiam pariunt nouitates. c. cum consuetudinis. de consue. & meritò suspecti sunt, qui nouam religionem, nouos mores, noua regimina, vel noua dogmata inducunt. Et iuxta sententiam Vlpiani. in l. 2. de costi. princ. in rebus nouis constituendis euidentis utilitas esse debet, ut recedatur ab eo, quod diu equum visum est. Vide Thomam prima secundæ. quæstio. 97. arti. 2. Pighium prope finem ecclesiasticæ hierarchiæ. Alfonso lib. 1. aduersus hæreses. cap. vlti. Brunum lib. 1. de hæreti. cap. 10. Baldum, Angelum, & reliquos in l. 2. de constitu. princip. Ancharanum consil. 67. Aretinum consil. 115. Socinum consil. 145. lib. 1. Decium consil. 286. Alciatum lib. 2. de præsumptio. cap. 30. Tiraquel. de re tractu municipali. titu. 1 §. 9. glo. 2. numero. 53.

19 ¶ Oportet autem hæreticos fieri, & hæreses esse, ut probati manifesti fiant. Quod Paulus ait prioris epistolæ ad Corinthios. c. 11. & ante illum obscurius dixerat psaltes his verbis, Congregatio taurorum inter vaccas populorum, ut excludantur hi, qui probati sunt argento. Per tauros, hæreticos intelligit: per vaccas, sedu-


p iij cõtibiles

ctibiles animas, quæ facile hos tauros sequuntur, ut excludantur, qui probati sunt argento, id est, ut emineant, qui probati sunt eloquijs domini. Eloquia quippè domini, eloquia casta, argentum igne probatum. hæc Augustinus in enarratione psalmi. 67. Cyprianus quoque lib. de simplicitate prælatorum inquit, Hinc hæreses & factæ sunt frequenter, & fiunt, dum peruersa mens nõ habet pacem, dum perfidia discordans non tenet vnitatem. fieri vero hæc dominus permittit & patitur, manente propriæ libertatis arbitrio: ut dum corda & mentes nostras veritatis discrimen examinat, probatorum fides integra manifesta luce clarescat. Et paulò post, Sic probantur fideles, sic perfidi deteguntur, sic & ante iudicij diem, hic quoque iam iustorũ, atque iniustorũ animæ diuiduntur, & à frumento paleæ separantur. Eadem quoque docet Tertullianus lib. de præscriptionibus aduersus hæreticos. in principio.

20 ¶ Hæc itaque est prima utilitas hæresum, præter intentionem tamen hæreticorum, quòd manifesti fiunt, qui sunt probati. Alia utilitas est, quòd inter inimicos erudimur, & fides, ac dilectio nostra potest esse probatior. Multa quippè ad fidem catholicã pertinentia dum hæreticorum callida inquietudine exagitamur, ut aduersus eos defendi possint, & considerantur diligentius, & intelliguntur clarius, & instantius prædicantur, & ab aduersario mota quæstio discendi existit occasio. Tertia utilitas est, quòd veritas ipsa ad hæreses collata magis elucescit. Quod Augustinus prolixius probat sermone. 97. de tempore. qui & lib. 7. confessionum capitu. 19. Improbatio, inquit, hæreticorum eminere facit, quid ecclesia censeat, quid habeat sana doctrina. Item Gregorius ad Anastasium Antiochenum scribens ait, Sancta ecclesia subtilius in sua semper eruditione instruitur, dum hæreticorum quæstionibus impugnatur. Denique propter hæreticos excusa orthodoxorum pigritia, multos libros eruditione plenissimos habemus. Vide Brunum lib. 2. de hereti. cap. vlti.

DE

DE IDOLOLATRIA. CAP. XXXII.



VVM humani generis sempiternus hostis, iustissimo dei iudicio præcipitatus esset cum angelis suis è caelo in tenebras inferiores, non destitit ab eo tempore, neque in vltimum seculi diem cessabit vnquam, pestiferis artibus, & dolis hominibus cunctis insidiari, eos perpetuò instigans in fraterna odia, homicidia, adulteria, aliaque multa abominanda flagitia. Sed prima ab initio cura illi fuit, ut homines ad idololatriã induceret: ut miseras animas multorum à vero veri dei cultu, quo solo mundantur & sanantur, auerteret. Sunt quippè demones, ut Augustinus inquit lib. 8. de ciuitate dei capi. 22. spiritus nocendi cupidissimi, à iustitia penitus alieni, superbia tumidi, inuidia liuidi, & fallacia callidi, & qui dei cultum ad seipso enixè transferre student. Suntque demones omnes vsque ad eò fallaces, simulatores, atque dissimulatores, totque machinis & laqueis humanum genus impetunt semper, & insequuntur; ut cautiore quosque passim decipiant, atque prosterant. Quibus nocendi artibus vniuersum propè orbem idololatria repleuerunt: in id sapientes alioqui multos inducentes, ut quamuis deum verum cognoscerent, non tamen sicut deum glorificarent: sed mutauerunt potiùs gloriam incorruptibilis dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentum, commutantes veritatẽ dei in mendaciũ, & colentes creaturam potius quàm creatorẽ.

1 ¶ Sed vbi soli iustitiæ Christus deus noster in terris visus est, vbi lux euangelicæ veritatis per totum orbem refulsit, obmutuerunt idola, demones fugati sunt, idololatria detectis Satanæ fallacijs, derisa est. Quapropter ut Augustinus ait libro. 18. de ciuitate dei capitulo. 51. videns diabolus templa demonum deseri, hæreticos mouit, qui sub vocabulo christiano, doctrinæ resisterent christianæ. Cũ igitur inueniantur pauci, qui postquã fidem catholicã p̄fessi sunt, in idololatriã incidant, breuiter caput hoc perstringemus. Cæterum illud prætermittere non possum,

p iij quod

quod sapientiæ cap. 13. ita scriptum contra idololatrias extat. Infelices sunt, & inter mortuos spes illorum est, qui appellaerunt deos opera manuum hominum, aurum & argentum, artis inuentionem, & similitudines animalium, aut lapidem inutilem, opus manus antiquæ. vbi & capitibus sequentibus multa in eandem sententiam ponuntur. Propheta quoque regius inquit, Quoniam omnes dii gentium dæmonia. & alibi dicitur, Si facit homo deos, ipsi autem non sunt dii. & Paulus prioris epistolæ ad Corinthios. cap. 8. ait, Scimus quia nil est idolum in mundo, & quod nullus est deus, nisi vnus. Et rursus cap. 10, Quæ immolant gentes, dæmonibus immolant, & non deo. nolo autem vos socios fieri dæmoniorum. Alia multa scripsit Augustinus lib. 8. de ciuitate dei cap. 24. & deinceps. Nazianzenus oratione in sancta epiphaniarum lumina. Thomas in summa contra gentiles, & alij alibi.

2 ¶ Est autem idololatria, cultus deo debitus, creaturæ exhibitus. vel est honor diuinus exhibitus creaturæ representatæ per aliquam sensibilem formam seu figuram, quæ dicitur idolum. et ita Thomas declarat. Addit glosa lib. 1. regum cap. 15. idolum hominis est, quicquid plus quam deum colit, aut diligit. Nec tantum committitur idololatria, quum simulacra coluntur, sed etiam cum creaturæ loco creatoris diuino cultu honoratur: & est hoc peccatum maximum, quia destruit credulitatem dei omnipotentis. Nam sicut in terrena republica grauissimum est, regium honorem alteri, quam verò regi impendere, quia ex hoc perturbatur ordo reipublicæ: sic grauissimum esse videtur, quod aliquis, honorem diuinum creaturæ impendat, quia quantum in se est, alium deum facit, & minuit principatū veri dei, & æquat creaturam creatori. Vide Alexandrum. 2. parte summæ. quæst. 178. Thomam. 2. secundæ. quæstio. 93. Antoninum. 2. parte. tit. 12. Per alidum in summa virtutum titu. de fide. cap. 7.

3 ¶ Triplex est adoratio: latriæ, duliæ, & hyperduliæ. Latria est, cultus deo debitus, vel summæ venerationis cultus soli deo exhibitus. vel, est voluntaria professio diuinæ maiestatis. Dulia est honor, vel cultus, qui exhibetur homini ratione alicuius bonitatis

tis, sanctitatis, vel virtutis, & hæc exhibetur sanctis. Hyperdulia est adoratio dignior dulia, quæ exhibetur creaturæ ratione excellentiæ singularis communicatæ à deo. Et hæc veneramur sacratissimam virginem, veri dei matrem. Cui non qualiscunque dulia debetur, sed illa, quæ per duliam quasi ad latriam accedit. Vide glosam, & interpretes. in. c. venerabiles. de cōsecratio. distinctio. 4. in clem. 1. de reliquijs. & venera. sanctorum. Thomam, Durandum, & alios in lib. 3. sententiarum. distinctio. 9. Albertinum in rubrica de hereti. lib. 6. quæst. 2. Henricum Harphium lib. 1. theologiæ mysticæ. cap. 118.

4 ¶ Soli deo debetur cultus latriæ, non solum interior, sed etiam exterior. inquit enim Augustinus lib. 10. de ciuitate dei cap. 19. Exteriora sacrificia signa sunt interiorum: sicut verba signa sunt rerum. Quocirca sicut orantes atque laudantes, ad deum dirigimus significantes voces: cui tamen res ipsas in corde, quas significamus, offerimus: ita sacrificantes non aliter visibile sacrificiū offerendum esse nouerimus, quam ei, cuius in cordibus nostris inuisibile sacrificiū nos ipsi esse debemus. Soli deo debetur spirituale sacrificium, sicuti creatori nostro, & vltimo fini: in quo beatitudo animæ nostræ consummata consistit. Eius contemplatione beati sunt angeli, & illa nos beatos futuros speramus. Illa namque visio dei tantæ pulchritudinis visio est, & tato amore dignissima, vt sine hac, quibuslibet alijs bonis præditum atque abundantem, non dubitet Plotinus, infelicissimum dicere. hæc Augustinus lib. 19. de ciuitate dei. cap. 16. Adde Thom. 2. secundæ. q. 85.

5 ¶ Tanto grauior & stupidior est idololatria, quanto vilioribus ac deterioribus creaturis diuinus honor exhibetur. nam peccatum aggrauatur ex vilitate rei, in quam transfertur honor diuinus. Quippè magis contra rationis atque naturæ ordinem est, & eo magis contumelia deo infertur, quanto vilior est creatura, quæ ei præponitur, aut æquatur. Sed idololatria illa omnibus alijs detestabilior est, quia cultus deo debitus, dæmonibus ipsis tribuitur. Quod tribus potissimum rationibus euincitur. Prima, quia sunt inferiores brutis deiectione propriæ malitiæ, atque miseria pœnæ & culpæ. Altera, quia sunt hostes dei. Tertia, quia

magis

- magis periculosa est hominibus talis idololatria.
- 6 ¶ Prima ratio euidens est, & probatione non indiget. Secunda verò vel ex eo liquet, quòd magis deo displicet, cum eius honor tribuitur deterrimis inimicis, cum quibus idololatra maximam amicitiam init, quo magis deo fit inimicus. Confert vulgare illud, Amicus inimici mei, inimicus meus est. l. liberi. C. de inofficio. testa. Alexander lib. 7. consil. 2. Felinus in. c. cum oporteat. de accusatio. Igneus in. l. penul. ad fillania. Tertia ratio probatur ex fallacijs & dolis, quibus dæmones cultores suos passim decipiunt. Sunt enim dæmones ad decipiendum vigilantissimi, vt inquit Augustinus lib. 3. de ciuitate dei. cap. 7. & cupiunt adorari, atque homines perdere, vt plures habeant socios. Quod idem ait lib. 2. eiusdem operis cap. 24. Planè ad perfidiam suam homines sibi dedito trahunt, cum religionis summa sit imitari quem colis, vt idem diuus inquit. lib. 8. cap. 17. nec est vllum malorū genus, quo dæmones non delectentur, & deorum induiti personam, in errorem atque stultitiam impulisse nos gaudent. Magna dei misericordia necessaria est: ne quisquam cum bonos angelos amicos se habere putat, habeat malos dæmones amicos fictos: eosque tanto nocentiores, quanto astutiores, ac fallaciores patiatur inimicos. nam & magna nostra miseria, ignorantia tanta premitur, vt facillè istorum simulatione fallatur. hæc Augustinus lib. 19. de ciuitate dei, cap. 9.
- 7 ¶ Qui thurificat idolis, quamuis compulsus, ipso facto censetur hæreticus. Hoc notat Præpositus ex illo textu. in. c. nunc autem. 21. distinctio. Quod exaudiri debet, si coactio fuerit conditionalis, vt illic aiunt glosa, Archidiaconus, & Cardinalis. illa enim coactio attenuat culpam, non autem in totum ab ea excusat. c. sacris. de his que. vi. Aliud est in coactione absoluta, de qua supra loquuti sumus. ea enim ab omni culpa immunis est. c. presbyteros. 50. distinctio. l. fœdissimam. C. ad leg. iul. de adulte. tradit nūcupatim Albertinus in rubri. de hæreti. lib. 6. quæst. 2. nume. 41.
- 8 ¶ Per orationes quoque cognoscitur idololatria. est enim oratio actus religionis, propriè pertinens ad reuerentiam & honorem deo exhibendum, per quam homo deo subijcitur, & profitetur se

- eo indigere, sicuti autore suorum bonorum. Hæc autem dupliciter fit. vel petimus aliquid ab ipso deo: quod solus nobis dare potest, puta gratiam & gloriam: ad quas consequendas, omnes orationes nostræ ordinari debent. vel aliquos oramus, vt pro nobis intercedant. Quod petere possumus à sanctis, angelis, & hominibus: vt eorum precibus & meritis orationes nostræ sortiantur effectum. hætenus Thomas. 2. secundæ. quæstio. 83. arti. 3. & seq. Vnde qui orationes, seu potius sanctas preces, offerret idolis, dæmonibus, aut pseudoprophetis; hoc ipso vehementer suspectus, ac penè conuictus erit.
- 9 ¶ Proinde consultissimè præcipitur capit. 4. primæ instructionis Hispalensis, vt inquirant iudices diligenter de orationibus hæreticorum: quia ex illis manifestè constabit de animo, atque intentione reorum: & cōfessiones eorum veras esse apparebit: neque facillè reuocare illas poterunt. nemo enim orationes memoriæ commendat, quas non putet sibi profuturas apud eos, quos honore diuino prosequitur: & vel deos, vel beatos, vel prophetas esse credit. non minus igitur ex oratione, quàm ex veneratione, vel adoratione, aut quibusuis alijs cæremonijs, idololatriam vel hæreticum cognoscere, atque conuincere possumus.
- 10 ¶ Pœna idololatriæ in veteri lege sic statuta erat. Qui immolat dijs, occidet. Exod. c. 22. Vnde fortassis mutuatus Plato lib. 10. de legibus. in hunc modum sanxit, Impurè sacrificans, impietatis reus declaretur, & mortis pœnam sustineat. Quod intelligi potest de idololatrijs, qui dijs alienis sacrificabāt: quibus eadē pœna cum publicatione bonorum infligitur iure ciuili. l. ex senatus consulto. de sicarijs. l. 1. & penul. C. de paganis. Sed si quēpiam christianum in idololatriam incidisse compererint inquisitores, eum aliorum hæreticorum regulis metientur. Demum si quis dæmonem adoraret, in effigiem Christi transfiguratum: idque faceret per ignorantiam inuincibilem, tantundem nureretur, ac si veram imaginem Christi redemptoris nostri adoraret. hoc probat glosa in epistola posteriore ad Corinthios cap. 11. Et theologi docent in. 3. lib. senten. dist. 9. Albertinus quoque in rubrica de hæreti. lib. 6. quæst. 2. nume. 65.

DE IMAGINVM VENERATIONE.
CAP. XXXIII.

ANTIQVVS error fuit multorum hæreticorum improbantium imagines, & earum venerationem. Sed multis, magnisque concilijs hæc hæresis damnata est: & illo præcipuè, quod sub Adriano primo celebratum est: in cuius actione secunda nominatim adducuntur sententiæ sacrorum doctorum, qui vsum imaginum ab ipsis apostolorum temporibus in ecclesia viguisse asserunt, & eas venerandas docent. Hi verò sunt, qui recensentur illic, Gregorius Nissenus, Basilius, Chrysoctomus, Cyrillus, Athanasius, Ambrosius, & Hieronymus. Quibus adde Eusebium lib. 7. ecclesiasticæ historiæ capi. 14. qui id ipsum testatur. Et Ioannes Damascenus asserit, nos habere vsum imaginum ex traditione apostolorum lib. 4. orthodoxæ fidei. capi. 17. Quod & ecclesiæ traditionibus, & consuetudinibus, vniuersalium conciliorum decretis, sacrorum doctorum sententijs, & cõmuni orthodoxorum omnium consensu comprobatum est.

1 ¶ Ex quo ecclesiæ Christi quietis & pacis aperte sunt fores, cõstat depicta fuisse oratoria, basilicas, tẽpla, & exornata scõtorum statuis & imaginibus, quas illis honoris causa ponimus, velut stimulos intuentiu ad virtutẽ, & vt in illis legat vulgus illiteratũ, & aliquãto q̃ in scripturis efficacius, fortia facta, gloriososq; triũphos, & agones ducũ nostrorũ. Proinde quẽ imaginibus sacris impendimus honorem, nõ ipsis impendimus picturis, aut statuis: sed illis, quos nobis referunt. Illum, inquit sanctus Gregorius, in toto corde diligis, cuius imaginẽ præ oculis habere desideras. neque enim ante imaginem, quasi ante diuinitatẽ prosterminur, sed illum adoramus, quem per imaginẽ aut natum, aut passum, aut in cælestis gloriæ throno residentem, recordamur. Ecce itaque causam & vtilitatem imaginum: ponuntur siquidem in honorem sanctorum, in eruditionem populi, ad contemplationẽ, deuotionem, & imitationem.

2 ¶ Vnde actione .5. septimæ synodi generalis ita scriptum extat,
Si

Si facimus hominum piorum similitudines, non tamen ea fiunt, vt adorentur vt dij: sed vt eas videntes ad imitationem facinorũ illorum irremur, & quo mens per ea quæ conspiciunt, sursum volent. Et paulò post Epiphanius pro synodo inquit, Omnibus manifestum est, cum audimus virilia & fortia sanctorum facta, cõstantiam, firmitudinemque animorum illorum, nos beatificare, & laudare. Quinetiam cum in diuinis scripturis sanctorum vitas legimus, cumque in picturis easdem cõttemplamur, in memoriam reuocamus, quanto opere in deum feruore fuerint accessi. nam quæ oratio per auditum exhibet, hæc scriptura tacẽs per imitationem ostendit. Postremò in definitione eiusdem synodi sic patres cõcludunt, Sanctorũ nostrorum, & diuinorũ patrum doctrinæ insistentes, & catholicæ ecclesiæ, in qua spiritus sanctus inhabitat, traditionem obseruantes, definimus, cum omni diligentia & cura venerandas, & sanctas imagines in templis dei collocandas, habendasque, tum in sacris vasis, & vestibulis: tum in parietibus, & tabulis, in ædibus priuatis, in vijs publicis: quo scilicet per hanc imaginum inspectionem, omnes qui contemplantur, ad prototyporum memoriam, & recordationem, & desiderium veniant: illisque salutationem, & honorariam adorationẽ exhibeant. Hæc & alia nota digna in eadem synodo posita sunt. In summa imagines instruunt simplices, admonent sapientes, afficiunt omnes. Vide cap. perlatum. & seq. de consecratio. dist. 3. & octauam synodum generalem. canone. 3.

3 ¶ Sunt ergo venerandæ atque adorandæ sacræ imagines, cessante periculo idololatriæ. Nec tam rudis est populus christianus, vt ignoret modum, quo sunt adorandæ. Quod si quispiã in hoc erraret, doceri facile posset. Si verò periculum idololatriæ immineret, vel abuteretur populus aliqua imagine, tunc autoritate superioris liceret illam frangere, aut abolere. Quæ ratione motus Ezechias confregit serpentem æneum, quem fecerat Moyses, vt videre est lib. 4. regum. cap. 18. Quod etiam Echius, & Alfonsus notarunt. Præterea turpes imagines, quæ magis ad irrisionem aut lasciuiam, quàm ad pietatem accendunt; auferendæ, atque tollendæ sunt. iuxta quod in sexta synodo generali, canone centesimo

tesimo scriptū legimus, hoc verborum tenore, Facile sensus corporei, quę sua sunt, in animam deriuant. Picturas igitur oculorū præstigiatrices, siue in tabulis, siue alias propositas, & mētis corruptrices, & ad turpes voluptates incitrices, sancimus, vt nulla tenus in posterum pingantur. Si quis autem hoc fecerit, excommunicetur. In septima quoque synodo generali, actione. 4. decernitur à sanctis episcopis, vt templa non nugacibus, & vanis picturis ornentur, sed historijs veteris & noui testamenti: vt hi, qui literas nesciunt, & sacram scripturam legere non queunt, cōtemplatione picturæ in memoriam reducant, quinam vero deo per fortia facta seruiuerunt, atque in certamen excitentur laudatorum facinorum, per quæ cum cælo terram commutauerunt.

- 4 ¶ Si quis dixerit, feceritue quippiam blasphemum, aut irreligiosum contra imagines, puniri potest per iudices ordinarios, tam ecclesiasticos quam seculares: quia crimen hoc mixti fori esse videtur, vt colligitur ex his, quæ docet Ioan. de Anania. in. c. 2. de maledicis. nume. 14. Felinus in. c. postulasti. de iudæis. & in. c. cū sit generale. nume. 18. de foro competen. Hippolytus in. l. ex senatusconsulto. de ficarijs. Sed quamuis qui talia committit non sit hæreticus, nisi pertinaciter erret contra doctrinam ecclesię, de imaginibus venerandis, vt rectè tradit Matthæus in constitutionibus Sicilię. titu. 1. quæstio. 4. inquisitores tamen solent cognoscere de his criminibus, propter suspicionem hæresis inde orientem. Quippè verisimilè non est, vt is, qui rectam fidem habeat, committere audeat eiusmodi crimina. Quæ præsumptio ex eo augetur, quòd peccata, quæ ex natura obiecti non attrahunt voluntatem, probabilè ac verisimilè est, quòd perpetrentur ex volūte mota ab intellectu. Quod elegāter notat Alfonsus lib. 1. de iusta hæretico. punitio. cap. 1. Quid igitur est, quod allicere queat voluntatem in iniuriam imaginum sacrarum, nisi peruersus error intellectus perperam sentientis de veneratione illarum? Iure itaque de his cognoscunt inquisitores: præcipuè posteaquam hæretici quidam Germaniæ sepultam, de tollendis imaginibus, hæresim, annis superioribus ab inferis reuocarunt.

- 5 ¶ Pœna verò huius criminis pro modo culpę arbitrio iudicis statuenda

tuenda est. Nectantum delicti qualitas, sed & iurisditio iudicis cōsiderari debet. nam cum secularis iudex cognoscit, mortis pœnam infligere potest. Quam proculdubiò merentur, qui sacras imagines frangunt, violant, aut conspurcant. Quod satis probatur argumento simili ex textu deducto. in. l. non cōtrahit. ad leg. iuli. maiesta. vbi hoc notant Angelus, & Tigrinus. Quibus accedit Alexander consil. 233. lib. 6. Ioan. de Anania. in. c. 2. de maledicis. Hippolytus post antiquiores in. l. ex senatusconsulto. de ficarijs. Et quādoque manus amputatur, vt Angelus ait. Quæ pœna statuitur iure regio contra plebeios. l. 5. titu. 28. parte. 7. Quibus adde Epiphaniū, qui in septima synodo generali, tomo quarto, ita scriptum reliquit, Quemadmodum despiciens imaginē imperatoris, non aliter castigatur, quàm si ipsum imperatorem contumelia affecisset, cum tamen ipsa imago præter lignum & colores nil sit: eodem modo qui typum, siue figurā alicuius ignominia afficit, in illum ipsum, quē typus representat, iniurius est. Quod quidem ipsa rerum natura representat: hoc etiam vniuersi mortales agnoscunt, patresque sanctos ita tradidisse norunt. Et ij qui aliter docent, ecclesię catholicę, imò naturę rerum contradicunt. hæc ille.

- 6 ¶ Quòd si iudices ecclesiastici ordinarij, criminis huius cognitionem præuenerint; hi reos punire debent grauius, dura, & vltimè sententia. c. 2. §. vlti. de officio. ordina. lib. 6. vbi cū certa pœna non sit statuta, relinquatur eam iudicis arbitrio infligendam. l. 1. de iure delibe. Hæc autem pro mensura delicti inferenda est, vel ictibus fustium, vel multa pecuniaria, vel publica aliqua pœnitentia, vel ieiunijs, & orationibus, prout melius visum fuerit iudicibus. Quibus ferè pœnis vtentur inquisitores: nisi quòd pro modo hæresis, aut suspicionis, secundum canones atque instructiones, hæresim pœnis suis punient. Et similiter suspicionē tormentis, abiuratione, purgatione, alijsue antidotis curabunt. Vide Ecchium lib. de imaginibus. Et rursus in Enchiridio. capi. 16. Campensem libro primo hierar. ecclesia. c. vlti. Alfonsum lib. 8. aduersus hæreses. verbo, imago. Būderium in compendio concertationis. titulo. 29.

DE INQUISITORIBVS.
CAP. XXXIII.

QVAM sanctum ac venerandū sit, & esse debeat inquisitorum officium, catholicæ fidei causa, quā ipsi vnicè defendunt, manifestè declarat. Quam sit vtile, ac necessarium, hæreticorum prophæ, assiduaque nouitates, quibus illi resistunt, euidenter ostendunt. eorum quippè officio sacrosancto, recta, integra, inuiolataque catholica fides apud Hispanos custodit. quod si pari diligentia, dignitate, ac potestate, in reliquis christianorū principum regnis, prouincijsque vguisset; alia profectò nūc foret orthodoxæ fidei, atque religionis facies apud Germanos, Anglos, Bohemos, & Italos, quā quæ hodie fœdissima cernitur: indiesque turpior, & fœdior ne sit, iure timetur. Nec vlli dubium est, quin si cum primum Lutherus, Zuinglius. O Ecolampadius, aliaque huiusmodi pestifera monstra, sua venenosa dogmata spargere ceperunt, ab inquisitoribus capti, correptique fuissent; non tam breui tempore tot infœlicium animarū myriades, horum hæresibus infectæ, perijissent.

- 1 ¶ Diuino itaque consilio rex verè catholicus Fernandus quintus, sacrosanctum inquisitionis officium in Hispaniam, pontificum autoritate introduxit: & ordinem, quo nūc maximè floret, instituit. Diuisæ sunt prouinciæ, additi ministri, salaria constituta, instructiões vtilissimæ factæ: denique omnia plenè pfecteque ordinata, quibus vniuersa Hispania fœlicissimè purgata, quiescit. Cuius exemplum sequutus Ioannes tertius Portugalliæ rex inclitus, id ipsum in regno suo annis superioribus christianissimè peregit. Primum ergo electus est generalis inquisitor: quem rex noster præsentat pontifici summo, à quo plenissimam commissionem ac delegationem in causis fidei consequitur. Is reliquos inquisitores, aliosque ministros eligit & creat. Proceres quoque sacri huius consilij nominat, regi que præsentat: & eos, quos rex approbat, ipse confirmat. Dispensare etiam potest cum conuersis pœnitentibus, vt breuiorem agant pœnitentiam publicā, sibi

sibi ab inquisitoribus iniunctam, quod tamen neque passim, neque cum omnibus fieri debet: imò verò non nisi ex magna causa faciendum est. Quippè dispensationes iniustæ, omnem rectæ politicæ statum, & ordinem dissipant, atque conturbant.

- 2 ¶ Inquisitores autem tales eligi debent, qui deum timeant, & in quibus sit veritas, & qui oderint auaritiā. Quæ omnia in iudicibus populi dei exigebantur Exodi. c. 18. Præterea docti sint, prudentes, & maturi: qui nec prætio, aut prece flectantur: nec amore, timore, aut fauore moueantur, & ad pronūciandū nullo odio, nulla offensione, nulla leuitate ducantur. Non sint hæretici, aut alioqui suspecti, ne in seipsis habeant quid condēnent. c. iudices. 3. q. 7. Ad hæc autoritatem dignitatis ingenio suo augere debet: & in adeundo se faciles præbere, neque in vltiorem familiaritatem reos, aut eorum consanguineos admittere. l. obseruandum. de officio. præsi. Ita magnum iudicabūt, sicut paruum, sine acceptione personarū. Similes legibus esse debent, quæ inexorabiles sunt: & cū omnibus vna, eademque voce loquuntur, vt inquit Cicero lib. 2. officio. Confert lex vlt. C. de tabula. lib. 10. vbi multa notanda collegit Lucas de Pēna. Et vt Plato lib. 4. de legibus ait, iudices legibus obsequi debent, non dominari. & rursus lib. 6. inquit, Oportet eos, qui rectè magistratum accepturi sunt, ab adolescentia probatos fuisse, tā ipsos, quā suos vsque ad ipsam electionē. Denique lib. 9. de republica docet, iudicare oportere peritia, prudentia, ratione, ac rerum experientia.

- 3 ¶ Sed inter alia oīa iudicibus necessaria, prudentia obtinet principatum, quæ quidem propria virtus est præsentis, vt Aristoteles lib. 3. politicorum. c. 3. rectè docet. Hac sola principes & iudices sapienter, & iustè regere, ac moderari populos sibi subditos possunt. Hac insup efficiēt, ne cōtemptui, odio, aut terrori habeantur: sed in oībus modum, sibi seruare queant, quem Cicero lib. 1. officio. his verbis expressit, In iuris æquabilitate exercēda, etiam est facilitas & altitudo animi, ne irascamur intēpestiuè accedētib, aut imprudenter rogantibus in morositatem inutilem, & odiosam incidamus. Et tamē ita probanda est māfuetudo atque clementia, vt adhibeatur rei publicæ pro causa seueritas, sine qua q administrari

administrari ciuitas non potest. Præterea dignitas, grauitas, auctoritas, & reuerentia in persona iudicis, & præfidentis requirenda est, vt rectè colligit Abulensis in librū numerorum. c. ii. q. 39. Quæ omnia pleno, quod aiunt, horreo deus ipse hac tempestate contulit illustrissimo Indiarum patriarchæ, regij supremi consilij dignissimo præfidi: qui præter egregia, raraque naturæ atq; fortunæ dona, & ingenij dotibus, & animi artibus, vt pariter charus, ac venerandus esset, effecit. Quod in magno illo Alexandro commendat Quintus Curtius lib. 3. historię Alexandrinæ.

- 4 ¶ Illud quoque nota dignum est, quod Marcus Cicero scripsit lib. 3. officio. iudicem propter amicos à via recta discedere nõ debere. ponit enim personam amici, cum iudicis induit. Tantum dabit amicitia, vt veram amici causam esse malit: vt perorandæ litis tempus, quoad per leges liceat, accommodet. Cum verò iurato dicenda sententia sit; meminerit se deum adhibere testem. hæc ille. Nec enim facere debet, id, quod Aristoteles lib. i. rhetoricorum scripsit in hæc verba, Iudices ijs gratificantur, quos amant, & aut omnino absoluunt, aut parui condemnant. Præterea iudex occultare debet prudenter motum animi sui. l. obseruandū. de officio. præsi. regia lex. 13. titu. 4. parte. 3. neque excandescere aduersus eos, quos malos putat: imò verò modestiam seruare tenetur cum reis, quamuis in eo statu sint, vt condemnare illos debeat. Nec tunc quidem asperè aut crudeliter contra eos loquetur, vt eleganter docet Chrysostomus super Genesim homilia. 17. col. 4. Confert prædicta lex. obseruandum. & regia lex. 16. titu. 9. parte. 7. Hæc autem obseruare magis debent inquisitores, quam alij iudices: quippè cum eorum sit proprium, spiritali salutis reorum consulere: nec mortem eorum velle, sed vt conuertantur, & viuant. Denique diligentes & cauti sint in inquirendis hæreticis & suspectis: constantes, & seueri in inquirendis pertinacibus, & impœnitentibus: misericordes & benigni in recipiendis rectè conuersis & pœnitentibus. Vnde regia. l. 3. titu. 4. parte. 3. & l. i. ti. 15. lib. 2. ordin. Lucæ. in. l. iudices. C. de digni. & in. l. 3. de cursu. pub. lib. 12. Pelagium lib. 2. de plâctu ecclesiæ. art. 41. Gabrielem in. 4. sententia. distin. 15. quæst. 6. Brunum lib. 4. de hæreti. cap. 1.

¶ Præterea

- 5 ¶ Præterea nullus inquisitoris munere fungi debet, nisi quadragessimū ætatis annum attigerit. clem. i. de hæreti. quia ea ætas solidæ doctrinæ, & experientiæ tribuitur: quapropter eandem iudicibus suis Plato statuebat lib. 6. de legibus. Sed per breue apostolicum hoc tempus coarctatum est, vt iam hodie sufficiat annū tricesimū attigisse: quod quidem tolerabile est propter vitæ breuitatem: & quia nisi intra eā ætatem, & scientia, & prudētia contingant, perquam rarò post illam acquiruntur. Quid, quòd senectus venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata. Cuius autem sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata: vt sapientiæ cap. 4. scriptum extat.
- 6 ¶ In vnaquaque prouincia debent constitui & residere duo inquisitores, aut saltē vnus cum assessore. Qui eligendi sunt viri eruditi, bonæ famæ, & cōscientiæ timorata. His assignandi sunt ministri necessarij: puta, promotor fiscalis, exequutor, notarij, custos carceris, alijque officiales, de quibus suo loco fusius dicemus. Sunt autem inquisitores iudices delegati, non ordinarij. c. ne aliqui. c. per hoc. de hæreti. lib. 6. vbi id notant Ioan. Andre. Dominicus, & Francus. & in. c. ad abolendam. eodem ti. lib. 5. tradunt Ancharanus, & Collectarius. Et hæc est recepta sententia teste Geminiano consi. 54. & Alciato in rub. de officio. ordin. nu. 19.
- 7 ¶ Sed quamuis delegati sint inquisitores, ordinarij tamē æquiparantur in cognoscendo, & in plerisque alijs. Vnde officium eorum non expirat per mortem papæ delegantis, etiam quoad negotia nondum cepta. Quod iure singulari in fidei fauorem statutum est. c. ne aliqui. de hæreti. lib. 6. idque procedit, etsi non à papa, sed ab alio delegetur, puta, ab inquisitore generali, prout hodie in Hispania obseruatur. Par siquidem ratio est in vtrisque: & sine delectu iura ipsa simpliciter de inquisitoribus loquuntur. Nec refert vtrum hoc, vel illo modo legitimè constituentur. quā sententiam contra Dominicum astruunt Zenzelinus, & Francus in prædicto capitulo. ne aliqui. Et Arelatanus tractatu de hæreticis. notab. 4. quibus ipse generalius accedo, vt nulla vnquam differentia inter vtrosque constitutur.
- 8 ¶ Præterea nõ debēt in eadem prouincia creari duo inquisitores, q ij qui

melomox
repetato
dij lemaxij
ut l. d. d.
vab. d.

qui sint consanguinei, vt cautum est quarta instructione Toletana cap. 12. nec inquisitores ipsi habere possunt aliquem ex ministris in famulū, aut familiarē. Quod prohibitum est per secundā instructionē Hispalēsem. c. 1. Præterea, si quid inuenerint, quod inquisitoribus alterius prouinciæ conducere possit, hoc mittere ad illos debent per propriū nunciū, cui soluedæ sunt expensæ itineris ab eis, ad quos missus est. et ita decreuerūt patres in tertia instructione Vallifolitana. c. 9. quæ & alia multa ex instructionibus passim à nobis in hoc opere allegata, pōtificiali simul & regali auctoritate, à viris doctis, prudētibus, et expertis vtiliter ordinata sunt.

9 ¶ Tenentur in super inquisitores dubia & ardua negotia cū proceribus supremi senatus sanctæ, ac generalis inquisitionis cōmunicare: & mittere ad illos acta, & processus, quibus talia continentur. Quod statutū extat in quarta instructione Toletana. c. 21. Cui simile ferè est, quod olim constituit Moyses Exodi. c. 18. vbi præcepit, vt quicquid grauius & maius cōtigisset, id iudices ad eū referrent. Præterea tenētur quotidie per sex horas in auditorio suo residere. eadem instructione Toletana cap. 28.

10 ¶ Item debent assidue relegere libros inquisitionū suarū: vt inde colligant nomina, & scelera eorū, qui denunciati fuerint, in quo vt possunt opera promotoris, & notariorū. Et hoc priuatim inquirendum est per visitatores, vt referant inquisitori generali, vtrū sic, vel secus fiat. quinta instructione Hispalēsi cap. 3. Sūma quoque ope niti debēt inquisitores, vt in omnibus, quoad fieri possit, concordia habeant. Nec is putet se præferendum, cui ordinarius commiserit vices suas: sed potius sibi inuicem dignitatibus, & antiquitate cedant. Quod si qua inter illos contentio, siue discordia oriat, ea secreta sit, & ad inquisitorē generalē referatur: vt cū pceribus causa cognita, rē cōponat, & inter illos iudicet. hæc prima instructione Hispalēsi. c. 26. Quibus cōsentanea quædā differit elegāter in politicis Plutarchus. Et generaliter hoc olim prudētē dixit Aristoteles: rei publicæ rectores, si cōcordes sint, facile rem publicā moderaturos: discordibus verò plebē ipsam dñari.

11 ¶ Quamuis autem Plato libro nono de legibus rectissimè censeat, grauiora quæque legibus definienda esse: neque arbitrio iudicis

dicis relinquēda, nisi leuiora: eo quod iudicis animus rebus presentibus naturaliter affici, atque moueri possit: neque prudentissimi alicuius hominis arbitrium cum legibus ipsis conferri aut comparari valeat. Quod etiam Aristoteles libro primo rhetoricorum capi. 1. docuit, in hæc verba, Maximè igitur conuenit, vt quæ rectè politæ sunt leges, cuncta ipse explicent, quæ explicari queant, & quàm minimā iudicibus relinquāt. Primum, quia vnum aut paucos prudentes, qui leges ferre possint aut iudicare, facilius est inuenire, quàm multos. Deinde quoniam longi temporis consideratione leges feruntur, iudicia breuissimè conficiuntur, difficile est, vt benè à iudicibus iustum & conducibile distribuatur. Illud autem omnium maximum est, quod legislatoris iudicium non de singulis, nec de presentibus, sed de vniuersalibus & de futuris est: senator verò & iudex de presentibus iam determinatisque iudicant. Vnde fit, vt cum & ament & oderint, sua quoque vtilitas connexa sit, non satis queant veritatem pspicere, sed propria vel voluptas, vel dolor iudicia sua obūbret. Quare minimam cæterarum rerum potestatem iudici tribuendam dicimus. factum verò esse, aut non factum: & fore, aut non fore: esse quoque, vel non esse, hæc omnia cum non possit actor legis providere, iudicibus relinquenda necessariò sunt. hæc ille. Nihilominus tamen multa & grauiora inquisitorum arbitrio reliquātur necesse est: & illa præcipuè, quæ definita non inueniuntur expressim. Et ita prioribus instructionibus cauetur cap. 28. et cap. vlti. Quod & iure cōmuni sæpe decisum est. l. 1. de iure deli. l. 1. de effracto. & expilato. & plus semel alibi.

12 ¶ Sed quāto grauiora inquisitorū arbitrio relinquuntur, tātò cautiùs & rectiùs arbitrari tenētur. Quid, q̄ nō liberū habēt iudices arbitriū ex cerebro suo depromptū, sed legibus alligatū. Arbitrari quidē interdū possunt, ita tñ, vt leges nō offendāt. l. 1. de vsuris. Bonus iudex, nil ex arbitrio suo facit: nō indulget ppriæ voluntati, obsequit̄ legibus, nō aduersatur. c. iudicet. 3. q. 7. Adde, q̄ magis incerta, magisq; periculosa iudicia sunt horū iudicū, q̄ aliorū. Nam vt inquit Augustinus lib. 9. de ciuitate dei, capitulo sexto. hi iudicant, qui conscientias eorū, de quibus iudicant, cerne-

- re nequeūt. hærefes autem in animis hæreticorum occultissime latent. idcirco cautius cum his agendum est. Et generaliter quæ arbitrio iudicum relinquī soleāt, collegerunt Decius in. c. de causis. de officio delega. Hippolytus in. l. de minore. de quæstio. Tiraquellus in. l. si vnquā. C. de reuo. donatio. glosa. omnia. nu. 30.
- 13 ¶ Multa sunt, quæ inquisitores ex officio sibi iniuncto iure facere possunt. Quædam tamen cum episcopo, aut eius vicario, quædam sine prædictis. Sine episcopo inquisitor potest inquirere, citare, capere, custodire, ac ponere reos in compedibus, & manicis ferreis. Sed paria potest episcopus facere sine inquisitore. cle. 1. §. 1. de hæreticis. Possunt cū episcopo punire impios, fautores, credentes, defensores. & receptatores, & priuare illos dignitatibus, & beneficijs ecclesiasticis, & officijs publicis, & honoribus, et similiter animaduertere in eorum filios, & nepotes. Possunt innocentes absoluerē, redeuntes recipere, impœnitentes curiæ seculari relinquere. c. vt commissi §. priuandi. de hæreti. lib. 6. c. ad abolendam. eodem titu. lib. 5.
- 14 ¶ Possunt præterea vti hominibus armatis ad suam tutelam, & hæreticorum capturam. cle. 2. §. vlti. de hæreti. Item possunt inuocare auxilium quorūcunque iudicum, etiam excommunicatorum, atque tyrannorum. c. præfidentes. de hæreti. lib. 6. Item conuocare testes, et ipsos, ac reos trahere vltra duas dietas. c. vt officium §. denique. Item committere citationes, ac denūciationes sententiarum. c. vt commissi. Item conuocare clerum, et populum, vt audiant sermonem de fide. Item possunt moderari, ac remittere pœnam perpetui carceris, & compellere, vt sibi exhibeātur processus facti aduersus hæreticos per quēcunque iudicem. dicto. cap. vt commissi §. conuocandi. & §. necnon.
- 15 ¶ Insuper possunt pcedere cōtra hæreticos in tota puincia sibi cōmissa, idq; simul, vel separatim. c. vt officiu. de hære. lib. 6. vbi Ancharanus notat. q; in quolibet loco suæ puinciæ possunt p tribunali sedere, & ius dicere. Itē possunt creare exequutorē, q; in alterius absentia, officiu eius gerat. tertia instructiōe Vallisolitana. c. vltimo. Item committere vices suas, & alijs ex causa subdelegare. clem. 1. §. porrò. & clem. 2. de hæreti. vbi hoc notant glosa & Bonifacius

- ni facius, numc. 30. & hæc est communis opinio teste Gonsalo in tractatu de hæreticis. quæstio. 7. Item procedere possunt ratione scandali, vbicunque illud fuerit ortum circa fidem. c. inter sollicitudines. ad finem. de purgatio. cano. quod asserunt Monachus, Andræas, Dominicus, & Francus in. c. vt officium. in prin. de hereti. lib. 6. Item possunt compellere fautorum hæredes, vt pœnitentiam in bonis temporalibus iniunctam, adimpleant: nisi forte fautores decesserint, priusquam pœnitentia fuerit iniuncta. c. accusatus §. seculares. de hæreti. lib. 6.
- 16 ¶ Denique procedere possunt contra quoscunque hæreticos & fautores: nullis priuilegijs, dignitatibus, aut exemptionibus, talibus suffragantibus. nulla enim prærogatiua prodest, vt eximantur à iurisdictione inquisitorum. c. excommunicamus. 1. §. credentes. in fine. c. sicut. c. ad abolendam §. vlti. de hæreti. & illic notat. Lopus, Ancharanus, Ioan. de Anania, & reliqui. Nec profunt literæ securitatis per imperatores, reges, & principes hæreticis concessæ, quod statutum fuit in sessione. 19. concilij Constantiensis. Nec sunt ab inquisitoribus exempti milites sancti Iacobi, vt declaratum est anno superiori. 1527. Quod pari ratione locū habet in alijs militibus, quantumuis priuilegiatis: & in omnibus monachis, prædicatoribus, minoritis, & alterius cuiuscunque instituti, aut religiōis, vt rectè Ancharanus ait in. c. vt officium. de hereti. libro sexto. numero. 4.
- 17 ¶ Sed quāuis prædicta omnia & alia multa facere possint inquisitores, quædam tamen sunt illis prohibita, ne illa facere queant. Ac primum illud, ne contra episcopos, vel superiores prælatos procedant, nisi hoc eis fuerit expressim commissum. c. inquisitores. de hereti. lib. 6. nec aduersus nuncios, vel officiales apostolicę sedis, papa inconsulto. extrauagante. Cum Mattheus. eodē titu. Nec possunt seorsim procedere ad capturam, neque ad purgationem indicendam, nec ad publicationem attestatiōnū, neque ad copiam actorum reo dādā. Secus est in alijs leuioribus, quæ ab vno inquisitore sine alio expediri possunt. quarta instructiōe Toletana. c. 1. Quod intellige, quādo ambo sunt præfentes: alioqui alter eorum hæc solus facere potest, & ita vtimur.
- q. iiii) ¶ Præterea

- 18 ¶ Præterea inquisitores sine episcopo, aut eius vicem gerente, aut sine delegato capituli, sede vacante, non possunt hæreticos duro & arcto carceri tradere, nec torquere, neque sententiam proferre. Quod si secus factum fuerit, irritum est ipso iure: nisi fortè intra octo dies postquam episcopus, aut capitulum, sede vacante, fuerint requisiti, legatum, aut vicem gerentem non miserint. nã & per literas possunt vices suas cõmittere, aut significare suũ cõsiliũ vel cõsensum. cle. 1. §. duro. de hære. Nec possunt indicere ieiunia ad eruendã veritatẽ his, quos habet carceribus inclusos: nisi cum episcopo, vel delegatis, vt prædictum est. Quia & hoc species magni tormeti est. Quod rectè docent illic post glosam Paulus, Cardinalis, Imolensis, & Bonifacius. Conferunt illa, quæ de fame collegit Tiraquellus lib. de retractibus §. 26. glosa. 1. nu. 21.
- 19 ¶ Sunt quoque poenæ constitutæ aduersus inquisitores, qui in officio suo minus benè se gerunt. Sanè si hæreticos diffamatos, vel suspectos de hæresi non coërcent, aut innocentes infamant, præter alias poenas, quibus pro mensura delicti puniendi sunt; in sententiam excommunicationis incidunt: & nisi per papam absolui nequeunt, præterquam in mortis articulo, & tunc non aliter atque satisfactione præmissa. clem. 1. §. verum. de hæreti. Præterea si pecuniam extorserint illicitis modis, ipso facto in eandem excommunicationem incurrunt: nec absolui possunt, donec integrè satisfaciant, nisi in ipso mortis articulo. Quod officiales denunciare tenentur. Et si hoc probatum fuerit, remouendi sunt inquisitores ab officio, & poena debita puniendi. clem. 2. de hæret.
- 20 ¶ Super omnia verò manus inquisitorum à muneribus mūdās esse oportet. quia sicut Exodi cap. 23. scriptum est, munera excæcant etiam prudentes, & subuertunt verba iustorum: ergo multò magis excæcabunt imprudentes, vt rectè infert illic Abulensis quæst. 7. & deinceps, vbi multa notanda collegit. Sic lib. 1. Regum cap. 8. de filijs Samuel narratur, quòd post auaritiam declinauerunt: acceperuntque munera, & peruerterunt iudicium. Et Michæ cap. 3. Principes eius in muneribus iudicabant. Et cap. 1. deplorabat Esaias, quòd omnes iudices diligebant munera, & sequebantur retributiones. vbi diuus Hieronymus quædam eleganter

- ter in hanc rem adnotauit. Et vt inquit Nanzianzenus oratione 23. aurum tyrannus est occultus, qui nunc vt plurimum res peruertit humanas, ac eis illudit. Et magnus Leo sermone. 9. de passionẽ domini, ait, Nullum est in illo corde iustitiæ vestigium, in quo sibi auaritia fecit habitaculum. Sed & Cicero lib. 2. officiorum. Caput, inquit, est in omni procuratione negotij, & muneris publici, vt auaritiæ pellatur etiam minima suspitio. nec enim vllum deterius vitium, quàm auaritia, præsertim in principibus, & rem publicam gubernantibus. habere enim quæstui rēpublicam, non modo turpe est, sed sceleratum etiam, et nefarium. hæc ille. Cui cõsonat quod Iustinianus in authẽ. vt iudices sine quoque suffra. fiant. scripsit in hæc verba, Est quoque hoc sacrorum eloquiorum mirabile & verum, quòd auaritia sit mater omnium malorum, maximè quando non priuatorum, sed iudicum inhæret animabus. Vide Platonem. 12. de legibus. Alexandrum. 3. parte. quæst. 40. membro. 6. Lucam in. l. in sacris. 3. de proxim. sacro scriptio. lib. 12. & Gabrielem in. 4. senten. distin. 15. q. 6.
- 21 ¶ Et quamuis iure communi liceat iudicibus, saltim esculentum & poculentum accipere, quod intra dies proximos prodigatur. l. solet. de offi. proconsu. l. plebiscito. de officio præsidis. imò etiã iure canonico permillum sit hoc delegatis. c. statutũ §. in super. de rescript. lib. 6. iure tamen regio prohibitum est omnibus iudicibus sub poena priuationis officiorum, ne xenia huiusmodi accipiant. aurum enim est, vt habet vulgare prouerbium, quod auro æquiualeat. Ad eũdem modum prohibentur inquisitores munera & xenia capere: quod si secus fecerint, sententiam excommunicationis incurrunt, officio priuatur, & duplum soluent. prima instructione Hispalensi. cap. 25. & iterum instructio. 2. c. 1. Quod etiam locum habet, si à suis officialibus quicquam acceperint: & in super mulctantur decem millibus nummis. Cui poenæ subiacet, qui ex officialibus hoc non reuelauerit. quarta instructione Toletana. cap. 15. Vide regiam. l. 7. cum seq. titu. 15. lib. 2. ordinationum. & in ordinationibus Vallis solitanis cap. 19.

DE IVDÆIS. CAP. XXXV.



IANTA est iudæorum cæcitas, tanta perfidia, ut cum omnia elemēta Christum verum deum, & mesiam cognouerint, ipsi tamen eum cognoscere noluerint. Quod eleganter probant Leo magnus, sermōe. 17. de passione domini, & Gregorius super euangelia, homilia decima. Sunt planè illis in hodiernum diem manus plenæ Christi sanguine: nempè consentientibus patrum suorum parricidio, & Christum dominū blasphemantibus. Quibus miscuit deus spiritum soporis in tātisceles retributionem: facta que est ipsis scriptura sancta in captiōnem, in scandalum, & in iudiciū propriū. Obtusi sunt sensus eorum: & velamen, quod ponebat Moyses super faciē suam, id ipsum positum est super cor eorum: & manet illis in lectiōe veteris testamenti non reuelatum, quoniam in Christo euacuatur. Vnde Gelasius in tomo de vinculo anathematis, de gēte, inquit, iudæorum prophetatum est, Claude oculos eorum, ut videntes non videant, ne vnquam conuertantur, & sanem illos.

- 1 ¶ In concilio quoque Toletano. 16. cap. 1. maiores nostri sic aiūt, Licet in condemnationem perfidiæ iudæorum numerosæ antiquorum patrum sententiæ, ac leges promulgatæ nitescunt, tamē quia ut prophetale vaticiniū narrat, peccatum iudæ scriptū est stilo ferreo, in vngue adamantino, super petram duriores effecti, in obstinationis suæ cæcitate perdurant. Longum esset scripturas, & argumenta euidentissima, quibus illi conuincuntur, proferre: qui labor à multis foelicissimè susceptus est. Sed vnum aut alterum locum veteris testamenti, quod illi vnice venerātur, pretermittere nō potui. Primus est in prophetia illa profundissima morientis Iacob Genesis. 49. his verbis, Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat, qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium. Quod nemo non intelligit prope aduentum Christi completum fuisse. Propheta quoque Daniel, cap. 9. velut indice ostendit, tempus vèteri mesia, designatis hebdomadibus, quas certissimum est ante mille quingentos annos

annos transiisse. Omitto sciens alia similia non minus euidentia, ne rem sapius actam agam, & ne videar solem facibus illuminare velle.

- 2 ¶ In vmbra veteris legis perfidia sua sedentes iudæi, tāquam vesperationes & noctuæ, euangelicæ lucis fugiunt splendorem, neque solem iustitiæ ferre vllō modo possunt. Dedit enim illis deus spiritū cōpunctiōis: oculos, ut non videāt: & aures, ut non audiant vsque in hodiernum diem. Obscurati sunt oculi eorum, & dorsum eorum semper incurua, ut Paulus epistolæ ad Romanos cap. 11. scriptū reliquit, Planè dormiūt illi somnio mortis pessimo, aduentum sui mesiaē quotidie sperantes. nec falsis prophetijs, quibus tertio quoque anno eludūtur, commoti, aliquando tandem resipiscunt. Spes quippè, ut Basilius epistola. 17. inquit, nil aliud esse videtur, quàm somnium hominis vigilantis, hac illi falsa vanaque perpetuò torquentur. nam spes, quæ differtur, affligit animam. Et ut eleganter Mantuanus ait, Sperare diu, labor est, & pondus iniquum. Quæ vel vna ratione faceret dicebat quidam, se nunquam iudæum futurum.
- 3 ¶ Tolerantur iudæi apud multas gentes, quamuis nullibi tolerādi videantur. Quod prouidentia diuina proculdubio fit, ut hostes & inimici nostri testes sint certę fidei, integritatisque scripturarum nostrarum. Qui per vniuersum orbem dispersi, veteris testamenti codices proferentes, testimonio nobis sunt, scripturas integras apud nos haberi. Quas illi magna diligētia seruant, ad suum iudiciū & condemnationem. Vbi que tractantur, ut merentur: scilicet abiectione, tributisque irrisi & oppressi, interdū etiam serui facti. Quod olim apud maiores nostros cū illis actū fuit, ut ex concilio Toletano. 17. c. 8. apparet, vbi hæc scripta sunt, Quoniam iudæorum perfidia non solum tunicā sacri baptismatis christiani, quam susceperat, maculauit: sed etiam contra regē regnumque conspirare ausi sunt, suis omnibus rebus nudati, tā eorum perfidorum personæ, quàm vxores eorum, ac filiorum, & reliquæ posteritatis, per cunctas Hispaniarum prouincias seruituti subiaceant perpetuæ, maneantque vsquequaque dispersæ. Illique qui eosdem iudæos in seruitutem acceperint, in nullo eos

eos permittant rituum suorum cæremonias celebrare, aut colere. hæctenus ibi.

- 4 ¶ Sed utrum iudæi expelli possint ab aliquo regno, quæstionis est. Id tamen multis magnisque rationibus iam dudum obtinuit, ut expelli queant, ne sua perfidia noceant catholicis. Eam siquidem retributionem iudæi solent impedere, quam mus in pera, serpens in gremio, & ignis in sinu, suis consueverunt hospitibus exhibere, ut verè Innocentius tertius archiepiscopo Senonensi scripsit. c. etsi iudæos. de iudæis. Quam sententiæ astruit Oldradus consil. 37. Et iterum consil. 264. Socinus consil. 86. lib. 4. Corsetus de potestate regia. quæstio. 84. Albertinus in rubrica de hæreti. lib. 6. quæstio. 7. Zasius de iudæis. quæstio. 1. Hermas lib. 2. de instauranda religione cap. 12. Qui prudenter docet sic fieri debere, ut accepto deliberandi spacio, vel discedant, vel eandem cum ciuibus religionem amplectentur.
- 5 ¶ Iure itaque optimo expulsi fuerunt iudæi tota Hispania per nostros reges verè catholicos, præmissa magna prudentum deliberatione. Quibus datum fuit tempus quadrimestre, intra quod possent conuerti ad fidem catholicam, vel bona sua mobilia & immobilia alienare. Quo elapso, iussi fuere abire cum vxoribus, filiis, seruis, familiaribus, & rebus suis, & ne vnquam in Hispaniam redirent. alioqui vbicumque reperti essent, pœna mortis, & publicationis bonorum statim eo ipso punirentur. Præterea si quis christianorum eos receptauerit, pœnam publicationis bonorum omnium incurrit. Quod statutum fuit saluberrima lege pragmatice, ordine quinta, data Granatæ, vltima die Martij, anno salutis. 1492. Altera quoque lege sequente hoc amplius ordinatum extat, ut nullus iudæus, vndeunque ille sit, ingrediatur Hispaniam, quouis quæsito colore. Quod si quispiam secus fecerit, mortis, & confiscationis bonorum pœna ipso facto puniatur. quam non effugiat, & si dicat se velle conuerti, nisi in primo regni limine hoc ipsum prius fuerit publicè protestatus. Data Granatæ, anno domini. 1499.
- 6 ¶ Huius rei meminit eleganter Ioannes Picus Mirandula lib. 5. aduersus astrologos capit. 12. in hæc verba, Non minoribus ferè post

post ea tempora calamitatibus gens Hebræorum obruta est, quam aut sub Tito, aut sub Adriano, pulsus nup̄ iudæis oibus ex tota Hispania, à christianissimo illo rege nunquam certè satis laudato, vbi & numero, diuitijs, & autoritate plurimum poterant. Quæ eiectione nil vnquam ferè vel tristiùs, vel acerbùs passos ipsi se non diffitètur. Ita multi naufragio, pestilentia quam plurimi, fame maxima pars eorum absumpti: ut nobis etiam christianis in tanta calamitate, in qua diuinæ iustitiæ gloria delectabat, homines tamen extrema ad eò patientes, commiserationem facerent, & dolorem. hæctenus ille.

- 7 ¶ Fuere autem tunc expulsi quadringētaviginti millia iudæorū, ut Reuclin testatur lib. de arte cabalistica. refert Albertinus in rubrica de hæreti. lib. 6. quæstio. 3. qui si diutius crescere, ac multiplicari permisi forent, non dubito, quin totam ferè Hispaniam sua perfidia infecissent, suisque vfuris expoliassent. Sed meliùs res habet. nullus enim vel iudæus, vel mahumetanus, vel alterius cuiusque sectæ, aut hæresis, permixtus est ab eo tempore in Hispania commorari. Quod ante multa secula maiores nostri sanctissimè decreuerant in sexto concilio Toletano canone. 3. cuius verba sunt, Sanctum concilium simul, & cum consensu christianissimi principis, suorumque optimatum, illustriumque virorum, hanc promulgamus deo placituram sententiam: ut quisquis succedentium temporum regni fortitus fuerit apicem, non ante conscendat regiam sedem, quam inter reliqua conditionum sacramenta pollicitus fuerit, nullum non catholicum permittere in suo regno degere. Si verò postquam ad regni gubernacula accesserit, ipse temerator huius extiterit promissi, sit anathema maranatha in conspectu sempiterni dei, & pabulum efficiatur ignis æterni: similiter & omnes, qui cum eo consenserint.
- 8 ¶ Cum igitur dei gratia Hispania tota liberata sit à iudæorū perfidia, non est. cur prolixius materiam hanc tractare debeamus. Quid, quòd vbi iudæi degunt, inquisitorum iurisdictioni non subiacent: quia cum baptizati non sint, hæretici esse nō possunt. Item, quia nil inquisitoribus cum his, qui foris sunt. c. multi. 2. quæstio. 1. cap. gaudemus. de diuortijs. Sūt tamen qui putant iudæos

dæos ab inquisitoribus puniri posse, si christianum ad iudaismū inducant, vel si receptent hæreticum, aut christianum puerum, vel mancipium circuncidant, aut fidem abnegare compellant. Hæc post Oldradum consil. 36. asserit Brunus lib. 4. de hæreti. c. 2. sed mea sententia non sat rectè, nisi fortè eo casu, cum hæreticum receptauerint: nam in alijs criminibus per seculares iudices illos puniendos puto. l. iudæos. & l. iudæi. 2. C. de iudæis.

9 ¶ Illud nullam dubitationem habet, quod prædicti, a lijsque oēs asserunt, posse procedere inquisitores contra Christianum, qui ad iudæorum religionem transit: & contra iudæum, qui factus christianus, reuertitur ad iudaismum, canis videlicet ad vomitum. c. contra christianos. de hæret. lib. 6. sed tunc non tam contra iudæos proceditur, quàm contra hæreticos, & apostatas. & admittuntur etiã iudæi ad eiusmodi facinus probandū. Quo probato, qui talia committunt, pœnis hæreticorum coërcendi sunt. vt eo. cap. decisum est. Legibus verò regijs igni traduntur. l. 7. ti. 24. parte. 7. & l. i. titu. 1. lib. 4. fori legum. quod tunc demū fieri debet, cum illi pertinaces, relapsi, aut impœnitentes, iudici seculari ab inquisitoribus relictī fuerint.

10 ¶ Non debent iudæi compelli ad fidem catholicam suscipiendā. cui enim vult deus, miseretur: & quæ vult, indurat: nec inuiti saluandi sunt, sed volentes, vt integra sit forma iustitiæ. Cæterum in fide suscepta, vt permaneant, cogendi sunt. Quod maiores nostri in. 4. concilio Toletano. canone. 55. tradiderūt. Et Gratianus descripsit in. c. de iudæis. 45. distin. Possunt tamen præmijs, & honoribus allici ad fidem catholicam suscipiendam, vt eleganter astruit Hermas lib. 2. de instauranda religione. capi. 12. Præterea non licet iudæis christianas vxores, aut cōcubinas habere: quod si filios ex tali coniunctione susceperint, assumi debent ad baptismum, vt patres decreuerunt in. 3. concilio Toletano capit. 14. & iterum concilio. 4. canone. 61. vbi multa alia de iudæis tradūtur. Et similiter in primo concilio Matisconensi, canone. 8. & sequē. De quibus quoque adhuc extant multæ regiæ leges. titu. 24. & seq. parte. 7. & titu. 2. lib. 4. fori legum. & titu. 3. lib. 8. ordinationum. Vide Tertullianum lib. aduersus iudæos.

¶ Quod

11 ¶ Quod si miscellanea quædā breuiter collecta desideras, vide sequentia. Iudæi sunt alijs infidelibus deteriores, vt Alexander ait consil. 130. lib. 7. ideoque puniri non debent, si transferint ad sectam Saracenorum. Quod Oldradus respondit consil. 51. An puniri queant pro crimine vsuræ, & per quem iudicem, & quid in alijs criminibus? Ancharanus consilio. 15. Iudæus non potest contrahere matrimonium cum filia fratris aut sororis. Ioan. ab Imol. consil. 1. Corneus consil. 127. lib. 1. & iterum consil. 65. lib. 2. & rursus consil. 180. eodem libro. Qua pœna sit puniendus iudæus, qui carnaliter cognoscit christianam. Oldradus consil. 333. & quod si christiana erat nupta? Alexander cōsi. 99. lib. 6. & iterū consil. 13. lib. 7. Corneus consilio: 114. lib. 1. Grillandus de pœnis omnifariam coitus. quæstio. 12. Hippolytus consil. 101. Boherius decisione. 316. Alciatus lib. 7. parergon iuris. cap. 23. & alia multa notanda collegit Tiraquellus, de iure primogeniorum. q. 66.

DE IVDICIBVS SECVLARIBVS.
CAP. XXXVI.



RIMEN hæresis mere ecclesiasticum est, nēpè cuius cognitio ad solum iudicem ecclesiasticum pertinet: quia impietas fidem & religionē violat, idcirco secularis iudex nullo modo cognoscere potest de crimine hæresis. c. vt inquisitionis §. prohibemus. de hæreti. lib. 6. docent interpretes. in. c. cū sit generale. de foro compet. Alciatus in. c. 1. de officio. ordi. nu. 73. elegantius & profundius Hermas lib. 7. de instauranda religione cap. 16. In quacunque itaque parte iudicij secularis incidit eiusmodi crimen, debet ad suos iudices causa remitti. vt rectè docuit Masuerus in practica forensi. titu. de remissionibus. ad finem. Quod limita, vt locum non habeat, quando damnatus ad mortem, data opera, diceret aliquid hæreticum, vt eo prætextu vi tam proroget: putans videlicet, quod ob eam rem ad inquisitores mittetur, & fortassis diutius viuet. nam si talis non erat alioqui suspectus de hæresi: neque verisimilè sit, quod tātum animæ salutem

salutem quærit, fraus & dolus ei patrocinari nõ debet, neque crimine nouo punitionem veteris admissi effugiet. Quod plus semel in hoc municipio damnati fures annis superioribus frustra tentarunt.

1 ¶ Hoc amplius hodie priuatim cautum legimus, ne quispiam secularium iudicum, neque ipsimet auditores, & regij senatores, directè, aut indirectè cognoscant de causis ciuilibus, aut criminalibus: quarum cognitio pertinere noscitur ad inquisitores, & iudices bonorum publicorum: nec sub prætextu quidè subleuandi vi oppressos. Nam hi, qui appellare voluerint, adire debent proceres cõsiliij sanctæ, ac generalis inquisitionis. Hoc habet iussio regia, missa conuentui iuridico Vallisolitano, Data Burgis, anno salutis. 1508. die Martij. 17. Expediri tamen solent ab auditoribus regia mandata, quæ prouisiones vulgò vocantur, ad scripturas inquisitorum exhibendas, sed sub eo moderamine, si earum exhibitio contra secretum sancti officij non est.

2 ¶ Sed quamuis iudex secularis cognoscere non possit de hæresi, debet tamen damnare atque punire illos, quos ecclesiasticus iudex declarat hæreticos relapsos, pertinaces, aut impœnitentes. Eius enim officium non in cognoscendo, sed in exequendo versatur. Quod facere tenetur, cum fuerit ab ecclesiastico iudice requisitus. c. vt inquisitionis. de hæreti. lib. 6. Sanè cum ecclesia nõ habet vltra quid faciat: cum hæreticos ad vnitatem fidei conuertere non potest: quia pœna condigna illos punire nequit, iudicibus secularibus animaduersione debita puniendos relinquit: vt quod non præualent sacerdotes efficere per doctrinæ sermonè, potestas secularis hoc imperet per disciplinæ terrorem. c. cū non ab homine. de iudicijs. c. principes. 23. quæstio. 5. Lupus in. c. per vestras §. 48. Guillel. Benedictus, quæstio. de homicidio. Brunus lib. 4. de hæreticis. capitulo. 14.

3 ¶ Huic proxima est illa quæstio, Nunquid secularis iudex in causa hæresis teneatur sententiam ecclesiastici iudicis exequi, absq; aliqua cognitione causæ: vel potius debeat, vel possit examinare acta processus, & ex integro causam agere? Quod magis placuit Bartolo. in. l. magistratibus. de iurisditio. omni. iudi. et in alijs locis.

locis. Quem sequuntur cõmuniter legistæ, vt Ioan. ab Imo. testatur in. c. i. de offic. ordina. & Felinus in. c. ad abolendã. de hæret. Sed verior est contraria sententia, quã plerique canonistarum approbant in prædicto. c. i. Quibus etiã bona pars interpretum iuris ciuilis accedit, puta Bald. Angel. Salice. Iason, Decius, & Alciatus in locis antedictis. Matth. in proœmio cõstitutionũ Sicilia. glosa. gladij. vbi asserit ita seruari per iudices magnæ curiæ vicariæ. Quod & in Hispania vsu receptum est, satisq; probatur in. c. vt inquisitionis §. prohibemus. de hæreti. lib. 6. Nec ratioe caret, cū iudex secularis merus sit exequutor, & nullã hæresis cognitionem habeat. Sed vt hoc iustius omnibus videatur, solet corã populo hæretici causa breuiter enarrari: & cū res postulat, iudici seculari relinqui, à quo statim sententia tanquam in hæreticũ cõuictum & manifestũ publicè profertur, & exequutioni protinus mandatur. Vide Brunum lib. 4. de hæreticis. cap. 15.

4 ¶ Ab hac sententia verissima nonnulli excipiunt quosdam casus, qui proculdubiò in Hispania vix aut nunquam recipiendi sunt. Primus est, quando iudici seculari liquidò constaret, illum esse innocentem, quem ecclesiasticus tanquam hæreticum reijcit: nam tūc aiunt, non esse damnandum. auxilium enim brachij secularis non est impartendum ad iniustitiam, sed ad ea, quæ deo placita sunt exequenda. c. i. de offic. ordina. neq; cõtra conscientiam tenetur exequi sententiã iniustam: nec occidere, quem scit innocentem. c. qui scãdalizauerit. de regu. iur. Hoc asserit Gonsal. in tracta. de hæreti. q. 19. referens Innocentiũ, & alios. in. c. pastoralis §. quia verò. de officio. delega. Hoc etiam nūcupatim tenet Alciatus in dicto. c. i. nu. 110. Et Brunus lib. 4. de hæreti. c. 15. qui addit, causam tunc esse remittendã ad eundẽ iudicẽ ecclesiasticũ, vt melius eã examinet. Sed quis non videt hanc exceptionẽ imaginariã esse, & scãdalo ac dissidio plenã? Vnde, rogo, scire potest iudex secularis, reũ illũ innocentẽ esse? nõquid ex actis? at ea examinare non potest, vt statim diximus. nõquid forte vt priuatus? at secundũ conscientiam iudicare non debet. l. illicitas §. veritas. de offi. præsi. relinquitur ergo, vt hæc opinatio falsa sit, & inanis.

5 ¶ Cui ferè similis est alia exceptio, quã Gõsalus, & Brunus, præcedenti

cedenti subnectunt: scilicet, quòd potest iudex laicus cognoscere, vtrum sententia inquisitorum sit nulla, quãdo hoc peteretur, & breui tempore constare posset. Quòd si ei de nullitate constaret, vel exactis causã, vel quia inquisitor nullam inquirendi facultatem haberet, vel propter alias causas; tũc aiunt, sententiam exequi non tenetur: quia nullitas impedit exequutionem. l. 4. §. condemnatum. de re iudica. c. si eo tempore. & illic interpretes. de rescript. lib. 6. Nec obstat, inquit Gósalus, quod habet in. c. vt inquisitionis §. phibemus. de hereti. lib. 6. Quia in casu pposito nõ gnosci iudex secularis de heresi, sed de nullitate sententiã. Hęc, inquã, exceptio examinanda non est in conspectu populi, neque secularis iudex faciem immittere debet in messem alienã: neque sententia inquisitorum cum consilio peritorum, & cum deliberatione magna prolata, de nullitate suspecta esse facillè potest.

6 ¶ Sed & Alciatus in. c. i. de officio. ordina. nume. 104. hanc ponit exceptionem: vt non teneatur iudex laicus damnare statim reũ ab inquisitoribus sibi relictum, quando verè non fuisset hæresis crimine maculatus, tametsi iudex ecclesiasticus id pronunciaisset. Et ita inquit, dictũ fuit, quòd iudex laicus nõ tenebatur exequi sententiam inquisitoris, qua pronunciauerat, mulierẽ quãdam hæreticam, quã reuera solummodo fecerat pocula amatoria: & insuper contra eam erant indicia quarundam maleficarum. Et Igneus in. l. 1. §. cum dominus. ad Sillania. nume. 41. narrat, bis id cõtigisse Mediolani, vbi duã mulieres ab episcopo Parmensi, & inquisitore de hæresi condemnatã, impunes euaserũt, cõpertumq; extitit, rectè eas de fide semp sensisse. Et addit q; Rothomagi muliercula quãdã, veluti hæresis rea flãmis destinata, absoluta fuit à secularibus iudicibus: & qui eã dãnauerant, fuere in expensis condẽnati. Sed hęc & eiusmodi alia, vel sunt fictitia, vel à prauis & imperitis iudicibus facta. At verò in Hispania locũ habere nõ possunt: quia inquisitores nõ nisi bonis moribus præditi, prudẽtes, & eruditi eligunt, & qui iustissimè atq; cõsultissimè iudicãt, & eorũ pcessus et acta nunq; à iudicibus laicis examinantur, nec examinari debẽt, aut possunt.

7 ¶ Cæterũ quia in illũ Igneũ incidimus, nõ ab re fuerit, eius temeritatem

ritatem, & intemperatum iudicium breuiter hoc loco notare: ne apud simplices & rudiores procacia eius impunè cedat. Is, inquã, Igneus, cum in eruditissimum Alciatum nulla iniuria laelsitus, licentiosius, & amariùs fuerit alibi loquutus, in summũ quoque pontificem suam hic procaciam extendit. numero. 39. inquiens, Bonifacius octauus gladium extensum habuisse visus est in. c. vt inquisitionis. interdicens iudicibus secularibus notionem & iudicium, volens eos promptè sententias ab episcopo & inquisito relatas exequi, sub interminatione censurę ecclesiasticę: quasi sententiã illius sanguinariã iudices laici lictores esse debeant. hætenus ille. Sanguinariam sententiam vocat eam, modestus homo, qua supremus pastor potestatibus atque iudicibus laicis præcipit, vt hereticos animaduersione debita puniant. Sed vltèrius progressã hominis huius impudentia dicam, an insania? omnes quotquot vnquam fuerunt imperatores Augusti, quo iure, qua iniuria procacissimè infamat, imò etiam fraterculus iste gigantum ore sacrilego Carolum nostrum omnium christianissimum, optimum, & foelicissimum, confictis mendacijs atque conuitijs, temerè, ac falsò insectatur, in quo helleboro magis quã confutatione dignus est. Cui verè dici posset illud, quod olim de Cornelio Tacito Tertullianus in apologetico scripsit. id tu ipse legere poteris.

DE LAMIIS SEV STRYGIBVS.
CAP. XXXVII.



DIVERSIS nominibus peruersã quãdam, & maleficã mulieres vocari solẽt. Quidam lamias, alij stryges, vulgus Hispanorum, bruxas, & xorguinas illas nominat. Lamię dicuntur per similitudinem cuiusdam bestiã, quę pedes habet equinos, & cætera membra humana, vt ait glosa Esaiã. capit. 24. Vel secundum Gregor. super Iob. lib. 24. speciem habet humanã, et corpus bestiale, et ita est crudelis, vt suos filios dilaniet. Hoc noie has pestiferas mulieres vocat sepe Apuleius lib. 1. de asino aureo. Et Philostratus in vita Apollonij pythagorici dicit, lamias

à quibusdam laruas appellari, & lemures, esseque ad amorem & venerem propensas. Duris autem lib. 2. lybicornum ait, mulierem pulchram fuisse lamiam, Beli & Lybies filiam, quam Iupiter adamarit, ex eaque filium suscepit: at Iunonem zelotypia infensam, eum infantem perdidisse, ipsamque in feram mutasse, quæ nunc sui desiderio alienos filios rapiat, perdatque. unde Horatius, Ne u pransæ lamia viuum puerum extrahat aluo. Vide Siluestrum in summa, verbo, hæresis. 3. Alphonsum libro primo. de iusta hereticorum punitione. capitulo. 16. Alciatum libro octauo. parergon iuris. capitulo. 22.

1 ¶ Stryx à stridore vocis dicta, auis est nocturna. Inde dicuntur stryges istæ mulieres, quia noctu præcipue versantur in maleficijs, Auis illa pueros aggreditur nutricibus egentes, & ex illorum corpusculis vitalem sanguinem absorbet. Cuius auis meminit Lucanus. lib. 6. cum ait, Quod trepidus bubo, quod stryx nocturna quærentur. Ab huius auis nocumento, stryges appellantur mulieres istæ: propterea quod puerorum sanguinem, sicut auis illa, sugunt. Vel stryges dictæ sunt mulieres maleficæ & volaticæ, ut inquit Festus, ab aue huius nominis inauspicata, quæ similis est buboni, & infantium corpora noctu inuadit, exugitque sanguinem, & suffocat. Vnde à stringendo nomen habet. Sed Ouidius lib. 6. Fastorum, à stridendo dici mauult. est illis strygibus nomen, & Plautus in pseud. non condimentis condiunt, sed strygibus. Hæc Siluester, Alphonsum, & Alciatus, locis superscriptis.

2 ¶ In hac secta pessima plerunque mulieres, raro autem inueniuntur viri. Cuius rei nonnullæ causæ assignantur. Prima, quia mulieres pronæ sunt ad credendum, idcirco dæmones huius sectæ duces & magistri, persuadent illis multo maiora, quam quæ postea præstare possunt. Secunda, quia ex naturali complexione sunt facilioris impressionis ad suscipiendas has falsas reuelationes. Tertia, quia ut ait Terentius, mulieres ferme ut pueri leuis sententiæ sunt, ideoque inanibus promissis mouentur. Quarta, quia non est ira super iram mulieris, ut ait Ecclesiasticus capitulo vigesimo quinto. Nemo enim magis gaudet vindicta, quam femina. Et propterea, ut vindictam sumant, facilius iunguntur

tur dæmonibus. Quinta, quia sunt faciles ad deceptionem: quam obrem frequentius illas per fallaciam, & mendacia dæmon aggreditur. Et tandem, quia sunt proniores ad libidinem, quam viri. Et præcipuus finis, ad quem huius artis professores tendunt, est carnis voluptas, cuius illæ insatiabiles sunt, ut est in prouerbis, capitulo. 30.

3 ¶ Compertum, quippe est, multis magnisque comprobatum exemplis, quod tota illa diabolica tragœdia, quam maleficæ istæ mulieres peragere solent, choreæ, saltationes, fictitia conuiuia, spurcissimæ cæremonia, aliaque id genus omnia, eò tendunt, ut post illusiones plurimas, hæc quoque maximam, fœdissimamque patiantur, ut nefarijs amplexibus, sceleratissimisque connubijs, dæmonibus, qui humana forma eas ludificant, libidinosius commiscantur. Nam etsi dæmones incubos & succubos inueniri, negare videatur Casianus collatione. 8. capi. 21. diuus tamen Augustinus contrariam sententiam, ceu indubitam relinquit. libro 15. de ciuitate dei cap. 23. & iterum lib. 3. de trinitate. Nam dæmones interdum assument corpora, & ea mouent, ut patet Matthei cap. 4. & fiunt incubi, & succubi: quod negari absque impudentia non potest, ut inquit Thomas. 1. primæ. quæstio. 51. arti. 2. & 3. Et hæc est recepta sententia theologorum, quæ asserit Scotus in lib. 2. sententia. dist. 8. & illic Bonauentura. arti. 3. quæstio. 1. & Durandus eadem distinctio. quæstio. 2. & alij multi. Quod & diuiniissimi Bernardi temporibus innotuit palam omnibus, dæmone quodam persequente mulierem, quam sanctissimi illius patris precibus deus ab eo liberauit. Quod prolixius narratur lib. 2. de vita Bernardi cap. 6. & annis superioribus horrendo, ac memorabili casu Cordubæ deprehensum scimus.

4 ¶ Quæstio vulgaris est, Nunquid fieri possit, ut lamia corporaliter à dæmonibus deferatur per aera, perque remotissima loca? Cui respondetur, non solum id non esse impossibile, imò etiã fieri facile posse, deo permittente. Quia omnia corpora inferiora subdantur imperio angelorum bonorum & malorum, quo ad motum localem. Quod si angeli mouent orbem cælestes immensæ magnitudinis, ut receptor theologorum & philosophorum tenet sententia, multo ergo

facilius demones mouere poterunt humana corpora de loco ad locum. Nam ut omnes Theologi post sacrum Dionysium afferunt in libro. 2. sententia. distinctio. 7. & alibi saepe naturalia in demonibus manserunt integra. Quod in super manifestè probatur Matthæi cap. 4. vbi narratur, quod assumpsit Iesum diabolus, & transtulit in sanctam ciuitatem, & statuit super pinnaculum templi. Et iterum transtulit in montem excelsum valde. Quod similiter de alio quocunque corpore fieri potest, deo, ut prædiximus, id permittente. Quia tantum demones possunt, quantum secreto omnipotentis arbitrio permittuntur. ut ait Augustinus lib. 2. de ciuitate dei. cap. 23. Planè nullam potestatem demon habet, nisi ab ipso deo concessam, ut Gregorius docet libro secundo super Iob. capitulo nono. & seq.

5 ¶ Sed quamuis hoc possibile sit, & aliquando contigerit: quia tamen iuxta vulgare prouerbiū, possibilitas est res ampla, & multa sunt possibilia, quæ vix credi possunt: idcirco non improbabiler dubitatur, nunquid reuera lamia istæ volent, & per diuersa loca ferantur, & corporaliter ludis intersint, & alia, quæ ab illis narrari solent, verè faciant, an potius hæc omnia sint illusiones demonum fallaces, quibus lamia decipiuntur? nam talia phantasmata solent à maligno spiritu metibus irrogari. Quæ recepta iuris peritorum opinio est, multis varijsque locis ab eis comprobata, & nouissimè asserta ab Alciato lib. 8. parergon iuris. cap. 22. à Ponzinibio, in tractatu de lamijs. Quorum omnium potissimum fundamentum positum est in capi. vlti. concilij Ancyran. Quod Gratianus descripsit in. c. episcopi. 26. quæst. 5. vbi expressim videtur decisum, quod hæc omnia sunt illusiones demonum: & cum solus spiritus hoc patiat, infidelis mens, hæc non in animo, sed in corpore opinatur euenire. Cui ferè simile est, quod Augustinus libro. 18. de ciuitate dei. cap. 18. scripsit in hæc verba, Verum corpus, nulla arte demonum conuerti potest, sed phantasticum: quod etiam cogitando, siue somniando per rerum innumerabilium genera variatur. & cum corpus non sit, corporum tamen formam capit, sopitis, aut oppressis corporeis sensibus, ita ut vera corpora alibi iaceant, sensibus obseratis.

¶ Tametsi

6 ¶ Tametsi prædicta sententia generaliter vera sit, & plerunque demonum illusionibus deceptæ lamia non ferantur corpore, sed spiritu; nihilominus tamen falsum est, quod antedicti putant, nunquam lamias verè, & corporaliter deferri per aëra, & per longinqua atque remotissima loca. id enim tam certissimis testimonijs, ac tam euidenti rerum experientia comprobatum, & cognitum est, ut sit planè stupidū tenacius hoc inficiari. Adde, quod cum hoc sit possibile: imò etiam, deo permittente, per facile: quid prohibet credere, quin id fieri possit, & saepe factum fuerit? Puto igitur hanc sententiam esse verissimam: quam & multi viri doctissimi comprobant, scilicet diuus Thomas. 2. secundæ. q. 95. art. 5. & eodem loco Caietanus. arti. 3. Bonauentura in lib. 3. sentent. dist. 19. Abulensis, Matthæi cap. 4. q. 47. Cardina. Hispanus in dicto. c. episcopi. Siluester in summa, verbo, hæresis. 3. §. 6. autores maleficarum parte. 2. q. 1. cap. 3. Picus in dialogo. stryx. Ioanes Dido in apologia contra Samuelem, Grillandus tractatu de sortilegijs. quæstione. 7. Franciscus Victoria in relectione de magia, quæstione septima. & Alfonso lib. 1. de iusta hæreticorum punitione. capi. 16.

7 ¶ Restat ut respondeamus ad fundamentum contrariæ opinionis: quod quidem assertores illius vnice decepit. Cuius vera & recepta intelligentia est, quod illic patres non loquuntur de his lamijs, sed de quibusdā hæreticis, qui credebant, quod Diana fuit indeam conuersa: & quod creatura potest mutari, aut transformari de vna substantia in aliam, vel de specie in speciem, ab alio, quam à vero deo. Item credebant, quod vehebantur in bestijs, ut Herodiadi seruirent. Quæ omnia falsa sunt, erronea, hæretica, præstigiola, denique à lamiarum secta longè diuersa. Nec obstant ea verba illic posita, Quis verò tam stultus & hebes sit, qui hæc omnia, quæ in solo spiritu fiunt, etiam in corpore accidere arbitretur? Sed neque illa paulò post, Omnibus itaque publice annunciandum est, quod qui talia credit, & his similia, fidem perdidit. Hæc, inquam, verba non negant, quin homines possint corporaliter deferri à demonibus per longa terrarum spatia: neque declarat illū esse hæreticum, qui hoc fieri posse credit.

r iij quod

quod quidam pueriliter arbitrantur. Sed ibidem reprehenditur, qui præstigiola illa, quæ solo spiritu fiebant, credebat, quod etiam in corpore accidebant: & insuper is declaratur hæreticus, qui prædictos errores credebat. Sed neque exempla ibi adducta quicquam concludunt, ea enim particularia sunt: at ex particularibus ad vniuersalia inefficax argumētū, & inanis collectio est.

8 ¶ Ex his autem, quæ per lamias perpetrari solent, manifestissimū est, quod inquisitores cognoscere possunt de causis earum: quia in exordio suorum scelerum plerunque fidem catholicam abnegare solent. Deinde ipsos dæmones adorant, & cum eis pactum conuentū faciunt, vnde relinquitur quod hæreticæ sunt, & apostatæ, vel saltem vehementer suspectæ. Præterea melius examinari possunt ab inquisitoribus, quàm ab alijs iudicibus. tum propter secretos carceres, vbi non possunt vti cautelis aduocatorum: tum etiam propter monitiōes, & exhortationes frequentes, quibus illic vrgentius commoueri solent. Et ita factum fuit in Germania per autores mallei malleficarum, & in vallibus subalpinis per alium inquisitorem. Et quotidie hoc ipsum obseruatur per omnes Hispaniarum prouincias. Vide Malleum prædictum, parte. 1. quæst. 14. Siluestrum in summa. verbo, hæresis. 3. in fine. Alciatum lib. 8. parergon iuris cap. 22.

9 ¶ Postremò de pœnis lamiarum videndum est, quæ quidem iuxta qualitatem criminum cōstitui debent. Vnde si lamia fuerint hæresis aut apostasiæ crimine maculatæ, pœnis aliorum hæreticorum coërcendæ sunt. Cautius tamen cum eis agi debet: quia plerunque non commiserunt ea, quæ se perpetrasse fatentur. Planè maius dubium est, quid facient inquisitores, quando eis constat legitimè, quod lamia præter hæresim, alia quoque atrociora crimina commiserunt? Quidam putant, tales maleficas iudicibus secularibus relinquendas: mihi verò aliqui casus distinguendi videntur. Nam si ab inquisitoribus propter hæresim captæ fuerint, nō sunt iudicibus laicis tradendæ propter alia crimina, neque ab eis puniendæ: quia hoc non spectat ad inquisitorum officium. Si verò à iudicibus secularibus captæ, ad inquisitores propter incidentem hæresim remissæ fuerint, tunc purgato hæresis crimine, ad

ad iudices laicos reduci debent, vt cœptum iudicium peragāt. Quod rectè sentire videtur Masuerus in practica forensi. titu. de remissionibus. prope finem. Sanè iudices seculares iuxta qualitatem criminum eas punire debent. Quod si lamia ab inquisitoribus comprehensæ, verè pœnitentes fuerint, non video quo iure propter alia crimina tradi ab eis queant curiæ seculari. nec si id fiat, satis intelligo, qua via flammis tradi debeant. Præterea si ab inquisitoribus propter hæresim reconciliatæ fuerint ecclesiæ, nihilominus à seculari iudice de infanticidijs, & maleficijs, alijsque sceleribus puniri possunt. Vide Alfonsum lib. 1. de iusta hæretic. punitio. cap. 16. in fine. & l. multi. C. de maleficijs. & mathema.

DE LIBRIS IMPROBATAE LECTIO- NIS. CAP. XXXVIII.

LIBROS impiorum, & eos omnes, qui legentium animis nocere possunt, nē dum christiana religio, sed gentilium quoque cēsura damnandos, corrumpendos, ignique tradendos, iure, meritoque iudicauit. Sic Plato, poëtarum libros, qui de dijs suis irreligiosius loqui videbātur, extirpandos, reijciendosque lib. 7. de legibus. censuit. Sic libros religionis. Numæ Pompilij prætor ad senatum Romanum detulit, vbi iussi sunt comburi, ne religioni officerent. Quod Augustinus narrat, lib. 7. de ciuitate dei. cap. 34. Sic & Valerius Maximus commendans magnam curam conseruandæ religionis, quam antiqui Romani semper habuerunt, lib. 1. cap. 1. recēset, quomodo Petilius prætor vrbanius libros quosdam græcos, quia aliqua ex parte ad soluendam religionem pertinere existimabantur, ex autoritate senatus per victimarios, facto igne, in conspectu populi cremauit. noluerunt enim prisca viri quicquā in hac ciuitate asseruari, quo animi hominum à deorum cultu auocarentur. hætenus ille. Vlpianus quoque in l. cæteræ. famil. herciscun. ait, libros improbatæ lectionis protinus corrumpendos esse.

1 ¶ His accedit, quod in historijs hebræorū legitur, quod Hebræi librum

librum Salomonis, quem Ecclesiasten dicimus, igni tradere voluerunt, quia sibi met contrarius videbatur: eo quod cap. 4. dixisset, Laudavi magis mortuos, quam viuentes. Et paulò post. c. 9. prædicasset, Melior est canis viuus leone mortuo. Sed & librū, puerbiorum eiusdem cremare volebant, quia videretur illic patri suo Dauidi contradixisse. is enim Psalmo. 3. de beato viro dixit: ab auditione mala non timebit. in prouerbijis verò scriptum esset, Beatus homo qui semper est pauidus. Et nisi exorsus esset Ecclesiasten, in vanitate vanitatum: & non clausisset librum, dicens, Deum time, & mandata eius obserua. denique si non sanū vtriusque sententiæ intellectum alij dedissent, proculdubio abiissent illius libri in spongiam, aut igne cremati fuissent. Quod quidem in alijs quoque gētibus omnibus, quæ modo zelum aliquē suæ religionis habuerint, non dubitò diligentissimè cautum, obseruatumque semper fuisse. Vide Fabrum contra Lutherum textu. 19. §. tertio.

- 2 ¶ Christiani quoque principes libros noxios per sæpe damnarūt, ignique tradiderūt. Constantinus imperator lata lege ita cauit, Si qua conscriptio ab Ario facta reperitur, igni tradatur: vt non solum praua eius doctrina deperat, sed neque vlla eius possint remanere cōmenta. Hoc etiam præcipio inquit, Si quis conscriptiones Arii celasse comperitur, & non repente proferens, igne consumpserit, mortis supplicio subiacebit. Quod refert historia tripartita lib. 2. cap. 15. Alij etiam Augusti in. l. quicumque. C. de hæreti. huiusmodi libros incendio concremari iubent, vt facinorosæ peruersitatis vestigia, flammis combusta pereant. Cui simile est, quod magnus ille Theodosius Hispanus in. l. damnato. C. eod. titu. statuit in hæc verba, Impios libros Nestorij scriptos habere, aut legere, aut describere audeat nemo. Quos diligenti requiri studio, & publicè comburi decernimus. Demum Iustinianus constitutione quadam, sic statuit, Hæreticorum libri comburantur à possidentibus: nisi qui illos habent, velint periculum pati. Et post pauca subiūgit, Amputatio manus his, qui illos scribunt, poena erit. hæc relata sunt in. 5. synodo Constantinopolitana.
- 3 ¶ Iam verò quamplurimis pontificum & conciliorum decretis,

&

& exemplis constat, libros hæreticorum comburendos esse. Gelasius Manichæorum libros combussit. idem fecit Symmachus. Hormisda quoque Manichæos, palàm combustis libris, oppressit. Item Cyprianus quum primum ad fidem catholicam cōuersus est, libros magicos publicè combussit. autor Nazianzenus oratione. 19. quod Theodas quoque fecit, sicuti Damascenus in historia retulit. Et in sexta synodo generali actione. 13. igne combusta fuere quædam hæreticorum scripta, tanquam profana, & animæ perniciosa. Et iterum canone. 63. historias ab hæreticis cōfictas igni tradi iubent patres: & eos, qui eas admittunt, anathematizant. Cui simile quippiam factū inuenies in octaua synodo generali. actione. 1. & rursus actione. 7. & octaua. Sic etiam combustus fuit liber errorum Petri Oxomenis ex commissione Sixti quarti. Leo quoque primus iussit, huiusmodi codices interdici, & ignibus concremari. Ad extremum in concilio Constantiensi, octaua sessione, præcipitur, vt libri Vuicleffi, publicè concremētur. Et sessione. 15. decreuerunt patres, libros Ioannis Hus comburendos publicè, & solenniter in præsentia cleri & populi, vbi subiungunt, Hæc sacrosancta synodus iubet, per locorum ordinarios, tractatus, & opuscula huiusmodi per censuram ecclesiasticam, & si opus sit, cum adiectione poenæ & fautoria hæresis, diligenter inquiri, & repertos igne publicè concremari. Vide Brunum lib. 6. de hæreticis. cap. 6.

- 4 ¶ Nec est silentio inuoluendum, quod in actis apostolorum cap. 19. Lucas his verbis narrat, Multi autem ex eis, qui fuerant curiosi sectari, contulerunt libros, & combusserunt eos coram omnibus: & computatis prætijs illorum, inuenerunt pecuniam quinquaginta millia. ita fortiter crescebat verbum dei, & confirmabatur. hæc ibi. Vnde non obscure deducitur, talium librorum combustionem esse testimonium augmenti, & confirmationis sinceræ fidei. Et ex diuerso, si non comburantur, validum testimonium esse, quod zelus religionis abest, fides & charitas frigent. Itaque libri hæreticorum diligenter inquirendi sunt: & vbi fuerint inuenti, lacerandi, & comburendi sunt. Planè apostoli quoque poenam statuerunt aduersus eos, qui hæreticorum libros diuulgassent

uulgassent. Sic enim aiunt canone. 59. Si quis falsò in scriptos impiorum libros tanquam sacros in ecclesia, ad populi & cleri corruptionem publicauerit, deponitor.

5 ¶ Sed iam videamus causas, quibus hæreticorum libri vsque adeò nocent. Prima est, quia si verba hæreticorum nocentissima sunt, & quæ (vt ait apostolus) vt cancer serpunt: multò magis nocebunt eorum libri. Ea enim quæ scribuntur, diligentius præmeditari solent, vnde fortiores neruos habent. Secunda, qui legunt, vehementius insistant, quàm qui audiunt, & ideò fortius venenù bibunt. Tertia, quia semel emissum volat irreuocabile verbum. at ea, quæ scribuntur, per multa secula seruantur, quapropter pluribus nocere solent. Quarta, quia quæ ab aliquo dicuntur, aut prædicantur, ciuitatem vnã replere vix possunt: libri verò de populo in populum, de regno in regnum transeunt. Et censendi sunt veluti perennes quidam fontes, perpetuum virus scaturientes. Has causas fusiùs tractat Alfonso lib. 2. de iusta hæreticorù punitio. cap. 15. Cui subnectam illud, quòd quemadmodum bonorum librorum vtilitas maior est, quàm vt facile comprehendiqueat, vt Chrysostomus super Matthæum homilia. 2. notat. & rursus idè in actis apostolorum homilia. 19. & Bernardus docet in scala claustralium. Sic ex diuerso malorum librorum lectio nocentissima est. idque tanto magis, quanto faciliùs est corrumpere, quàm facere: nocere, quàm prodesse: vulnerare, quàm sanare: denique impios facere, quàm ab impietate reuocare.

6 ¶ Neque suis libris tantum hæretici venena permiscant, sed alienis quoque orthodoxorum patrum. Imò etiam ipsiismet sacris literis suum virus immiscere solent, verbulo vno, alteròue, clanculum aut addito, aut dempto, aut mutato, prout cuique ad suam rem facere videtur. Sic Tertullianus contra Marcionem probat, olim euangelia ipsa, et apostolorum scripta ab hæreticis sepe fuisse deprauiata. Sic libri Clementis, atque Dionysij, Origenis, & aliorum ab impijs corrupti feruntur, vt est apud Ioannem Picum in apologia questio. 7. Sic etiam synodus Chalcedonensis, & acta quintæ synodi, & capitula quædam Ephesini concilij, ab hæreticis falsata fuisse Brunus refert lib. 6. de hæret. cap. 7. Et ne longius factorum

rum exempla petantur, corrumpunt hodie hæretici Germaniæ omnes ferè sacros libros, quos magno studio curant, vt sic deprauati, ad Indos vsque perueniant. Vsque adeò verum est, quod Hieronymus in Esaiam. c. 19. de hæreticis scriptum reliquit, in eo se lucrum putant consequi, si alios decipiant: & ipsi perdit, cæteros perdant. Quod etiam eleganter tractat Hermas lib. 2. de instauranda religione cap. 5.

7 ¶ Hi quoque libri similiter comburendi sunt: quippè qui non minus nocere possunt ab hæreticis deprauati, quàm ab ipsis compositi. imò etiam fortassis plus pijs hominibus nocenti afferre poterunt, quàm hæreticorum libri, quos catholici omnes legere dedignantur. cum tamen libros deprauatos interdum bona fide legant. Cum igitur prædicti omnes libri multarum hæresum causa non postrema sint, necesse est, vt qui hæreses extirpare conatur, hanc in primis radicem euellat. Quod faciliè fiet, si tales libri diligentissimè inuestigentur, & inuenti, protinus concrementur. Et insuper caueatur, ne huiusmodi libri vendantur, aut imprimantur: quod salubriter in concilio Lateranensi, sub Iulio secundo, & Leone decimo celebrato, sessione decima, decretum fuit hoc verborum tenore, Sacro approbante concilio statuimus & ordinamus, quòd de cætero nullus librum aliquem imprimere, seu imprimi facere præsumat, nisi prius in vrbe per vicarium nostrum, & sacri palatij magistrum; in alijs verò diocesibus per episcopum, vel alium ab eo deputandum, & inquisitorem hæreticæ prauitatis illius diocesis diligenter examinetur. Et per horum subscriptionem, manu propria gratis & sine dilatione imponendam, approbetur. Qui autem secus præsumpserit: vltra librorum amissionem, & illorum publicam combustionem, excommunicationis sententia innodatus existat.

8 ¶ Sed neque hi libri tantum, qui ad religionem pertinent, examinari deberent: verum etiam alij omnes, qui plurimum bonis moribus nocere solent. & Typographorum licentia quàm seuerissimè cohibenda esset. Hinc enim vbique terrarum tot plaustra anilium deliramentorum, stultarum historiarum, publico malo effectorum rumorum, spurcissimorum amorum, obscœnarum cationum

tionum, superstitiosarum preclarū, famosorū in omnes oim hominum ordines libellorum proficiscuntur. Quæ nunc in omnium sinu gestantur, senum, virorum, iuuenum, adolescentulorum, atque adeò puellorum, ac puellarum, perinde ac si data opera ab ipsis penè huberibus, teneros omniū animos festinaremus, omnibus omnium vanitatum, vitiorumque generibus cōtaminare. Cuius contagij non aliud remedium inueniri potest, nisi qua dignum est diligētia curetur, ne vsquam locorum, quouis idiomate, siue serij, siue ludicri libri, aut libelli imprimantur, vendantur, importentur, legantur, habeantur, nisi quos publica autoritate delecti censores approbarint. ita plane, vt officinæ excudendorum librorum publicæ vbique autoritati pareant, non secus, atque officinæ cudendæ monetæ. Et hoc tanto maiore sollicitudine, quanto par est existimandum, plus interesse rei publicæ religionem incorruptam esse, quàm monetam. Hæc & alia huiusmodi scripsit doctissimus Hermas lib. 3. de instauranda religione. cap. 5. Cui consentanea tradit Brunus lib. 6. de hæres. c. 7.

9 ¶ Prædicta ferè omnia saluberrimè statuta fuere per nostros reges verè catholicos, qui lege pragmatica prohibuerūt, ne quispiā audeat librum quempiam imprimere, aut vendere, nisi præcedēte speciali facultate præsidum, episcoporum, aut eorum, quibus munus examinandi libros iniunctum fuerit: alioqui libri excusi, aut importati, aut venditi, examine ac facultate prædictis non præcedentibus, ipso facto publicentur, & coram populo ardeāt. Et qui contrauenerint, prætio librorum careant, & tantundem ex proprijs facultatibus soluant. Cuius poenæ tertia pars accusatori, seu denūciatori: tertia iudici exequenti: tertia regio fisco cedat, reus in super officio priuetur. Data Toleti octaua die Iulij, anno salutis. 1502. Hoc amplius additum est in quarta sessione concilij Tridentini, ne cui liceat imprimere quosuis libros de rebus sacris sine nomine auctoris, & approbatione ordinariorum. ipsa verò librorum probatio in scriptis detur: atque adeò in fronte libri impressi authenticè appareat. Hæc ibi. Solet autem ferri sententia contra ipsos libros simpliciter, & absque iudiciorum strepitu: quia ipsi velut sua voce se produnt, & quia ipso facto à lege damnati

damnati sunt.

- 10 ¶ Quamuis in hæreticorum libris aliqua benè tractata, eleganter illustrata, & optimè explicata inueniantur; nihilominus tamen prohibendi, & comburendi sunt, ne videantur approbari, & ne falsa pro veris recipiantur: & quia non superbis hæreticis deus occulta reuelat, sed paruulis & humilibus catholicis: & vt occasio auferatur credendi hæreticis in alijs erroribus: quæ causa fuit, vt Christus deus noster dæmonia veritatem dicentia loqui prohibuerit, Lucæ cap. 4. & hoc Beda notauit, inquit, Quare autem dæmonia dominus se loqui prohibet, psalmista manifestat, qui ait, Peccatori autem dixit deus, Quare tu enarras iustitias meas per ostium? ne quis dum prædicantem audit, sequatur errorē. Quæ Dauidis verba, nominatim de hæreticis illic interpretatur Cassiodorus. Sed & Ecclesiasticus. cap. 34. Sine mēdacio, inquit, consummabitur verbum legis, & sapientia in ore fidelis complanabitur. Nam vt Leo primus de libris hæreticorū inquit: quamuis sint in illis quædam, quæ videantur speciem habere pietatis; nunquam tamen vacua sunt venenis. Et Irenæus lib. 3. aduersus hæreses cap. 4. ait, Nō oportet quærere apud alios veritatē, quam facile est ab ecclesia sumere. Timendum quippè est, ne dulcedine veritatis lectores allecti, venenū falsitatis incauti deglutiant. Hæc demum sententia est Tertulliani, Gregorij, et cæterorum tradita. in. c. canones. 16. distinctio. in. c. fraternitatis. de hæreti. quam eleganter comprobat Alfonsus lib. 1. aduersus hæreses. cap. 11. & iterum lib. 2. de iust. hæret. punitio. cap. 16. Brunus quoque lib. 6. de hæreti. cap. 6. & Ambrosius Catharinus, in speculo hæreticorum, consideratione vltima.
- 11 ¶ Libros hæreticorū nondū prohibitos, legere nō licet his, qui sunt idiotæ, scioli, & instabiles: quia se exponerent periculo incidēdi in hæreses. quod qui faciunt, mortaliter peccant, iuxta sententiā Ecclesiastici cap. 3. Qui amat periculum, peribit in illo. Et rursus cap. 13. Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea: & qui communi cauerit superbo, induet superbiam. Viri autem docti & constantes in fide possunt ea intentione libros hæreticorum legere, vt illorum oppugnent hæreses, & argumenta fallacia refellant: de-
- mum

num ut si qua fortè vera & fidei accommoda dixerunt; ab eis tãquam ab iniustis possessoribus auferatur, & in usum nostrum vè dicentur. Quod Augustinus de libris ethnicorum scripsit lib. 2. de doctrina christiana. cap. 40. Hoc tamen fieri debet, suppressis nominibus hæreticorum, ne quid eis autoritatis tribui videatur. Flagitiosus quidam quum optimam dixisset sententiam, Lacones ipsam approbarunt: sed illi ablata, alij, qui benè vixerat, adscripserunt. Quod iure laudat Plutarchus in apophthegmatibus. Cæterum ubi libri prohibiti sunt, nulli hominum quòuis colore licebit eos legere, nisi prius licentiam superioris ad hoc impetrauerit, alioqui peccaret, contemnens præceptum iustissimū sui prælati. iuxta illud Lucæ cap. 10. Qui vos spernit, me spernit. Ad extremum qui libri legi debeant, & qui non, collegit Gratianus distinctio. 37. Alfonso lib. 1. aduersus hæreses. cap. 12. & iterum lib. 2. de iusta hæreticorum punitione. cap. 17. Brunus lib. 1. de hæreticis. cap. 5. & rursus lib. 6. cap. 6. ad finem.

12 ¶ Hoc ipso quòd libri hæretici reperti sunt apud aliquem, potest ille tanquam hæreticus puniri. hoc enim sufficere videtur ad plenam probationem, propter enormitatem hæresis. Ita opinantur Archidiaconus. Ioan. Andre. & Dominicus in. c. filij. de hæreti. lib. 6. idem Archidia. in. c. vlti. 24. quæstio. 2. Ioannes de Anania in. c. si episcopus. de hæreti. Hippolytus in. l. qui falsam. de falsis. & iterum in practica. §. diligenter. & rursus consilio. 52. Romanus singula. 323. Gratus cõs. 151. lib. 2. Ludo. Care. post alios quosdam tracta. de hæreti. num. 125. Quorum omnium opinio generaliter accepta, falsa est, & ridicula. Quis enim ignorat hanc non esse plenam probationem hæresis? imò etiam interdum nec præsumptionem aut suspicionem facere? Sed eo tantum casu fortassis vera est opinio illa, cum libri hæresum compositi sunt ab eo, apud quem inueniuntur: quia satis conuincitur hæreticus, qui libris elaboratis, hæreses tuetur, alijs que scriptis suis persuadere illas conatur. Et is meritò censebitur pertinax, qui ex professo laborat pro hæresi, eamque libris defendit. Cui consentaneum est, quòd libri rationum etiam priuati, plenè tamen probant contra suos autores. Hæc est communis assertio doctorum in. l. admonendi

nendi. de iureiuran. vt illic testatur Curtius iunior nu. 38. Sed tunc etiam audiendæ sunt illius defensionis, & iure cum eo agendū. 13 ¶ Cæterum extra hanc speciem varij sunt iuris interpretes. Ioan. andre. & Dominicus. in cap. 2. de hæreti. lib. 6. Et Matthæus in constitutu. Siciliae, tit. 1. quæst. 10. generaliter aiunt, suspectos esse, qui tales libros habent. Felinus in cap. si quis episcopus. de hæreticis. putat, quòd hoc tantum modo faciat indicium. Ego verò distinguem sic. Aut libri hæreticorum inueniuntur apud eos, qui illos examinare debent, vel apud alios, qui licentiam habet, vt illos legere possint: & tunc omnis sinistra suspitio cessat, nil enim mali faciunt. Aut reperti sunt apud virum doctum & sincerum, ac minimè suspectum: & quiduis potius, quam hæresim præsumendam puto. cap. estote. de regul. iur. Sed posset interrogari, vnde, aut quo fine libros illos prohibitos habeat. Aut inueniuntur apud homines alioqui suspectos, quorum suspitionem tales libri proculdubiò augebunt. Sed leuior aut vehementior fiet suspitio ex hominum & librorum qualitate, & ex alijs circumstantijs arbitrio iudicum æstimandis. Vide Leonem episto. 91. cap. 15. Gonsalum de hæreticis. quæst. 13.

DE MAHVMETANIS. CAP. XXXIX.



MAHVMETANORVM appellatione hoc loco intelligo Saracenos, Agarenos, Mauros, Turcas, & eos omnes, qui Mahumetem illum impostorem, & pseudoprophetam sequuntur, venerantur, & colunt. Quorum omnium secta falsissima & spurcissima est, & quæ facile à quouis homine, infimæ etiam eruditionis, conuinci, & impugnari potest. Ea enim superstitione tota ferè lumini naturali, ac supernaturali repugnat, & ab omni philosophia, rectaque ratione profus abhorret. Sanè Mahumetes ipse composuit Alcoranum, hoc est collectionem præceptorum: librum vsque ad eò confusum, inuolutum, atque perplexum, vt vix ab homine quoquã doctissimo explicari, aut ordinari queat. Quod euidenter ostendit imprudentiam & ignorantiam autoris. Continet præterea tot fabulosa portenta contra legem dei, &

- & bonos mores, vt irrisione magis, quàm cōfutatiōe dignus sit.
- 1 ¶ Fuit illorum dux Mahumetes, homo bestialis, peruersus, adulter, sacrilegus, atque tyrannus: & qui non doctrina, eruditione, aut vitæ sanctimonia sectam suam persuasit, sed vi, & armis, fraudibus, atque muneribus eam primum introduxit: quam deinde voluptas, malorum omnium esca, in immensum propemodum propagauit. Nil habet hæc secta præclarum, aut sublime: nil attingit de puritate cordis: nil de contemplatione veritatis: nil de vera beatitudine. tota est in terrenis delitijs, in obscænis corporis voluptatibus, nullis vnquam veris miraculis claruit Mahumetes, à nullo propheta, viro sancto, aut erudito laudatus est, à seipso sæpissimè disidet. Nec veritus est perditus homo scribere, nescire se, an ipsemet, & qui eum sequuntur, sint in via salutis. additque se credere, q̄ nullus legem suam intelliget. nec mirum id videri debet, cum autor seipsum non intellexerit: quippè impius confundet, & confundetur. Hoc tamen prætereundum non est, quod vi veritatis compulsus Mahumetes, ingenuè fatetur, Christum redemptorem nostrum fuisse prophetam verissimum, & ex Maria virgine natum, & missum à Deo, vt mundum conuerteret. Approbat etiam vtrunque testamentum, quamuis falsò adijciat, à christianis esse deprauatum. Hæc & eiusmodi quædam aduersus hanc sectam collegit Hieronymus sauonarola. lib. 4. de veritate fidei. cap. 7. Addit alia multa Dionysius carthusianus, pleno in eam rem tractatu edito.
- 2 ¶ De his mahumetanis non est cur multa dicamus: quia nisi baptizati fuerint, ad censuram inquisitorum non pertinet. Et quia non secus atque iudæi tota Hispania expulsi fuerunt per eosdem reges catholicos, qui lege pragmatica. 13. prohibuerunt, ne vnquam Hispaniam ingrediantur, alioqui pœnam mortis, & publicationis bonorum ipso facto incurrant: & bona omnia receptantiū eos similiter confiscentur. Data Hispali, duodecima die Februarij anno salutis. 1502. Est itaque felicissima Hispania iam dudum à iudæorū, & aliorum infidelium cōtagione purgata, & ab hereticorū veneno plusquàm viperino, diligentissimè indies per purgata, & præseruata. Quãobrem suspicari licet, prouidentia diuina

- diuina ob id præcipuè factum esse, vt in dorum gens tam latè patens, Hispanis potius quàm alijs hominibus reuelaretur: nēpè, vt fidem catholicam puram, & sinceram ab eis, quemadmodum quotidie cum magno religionis augmento faciunt, edoceretur.
- 3 ¶ Demum christianus transiens ad sectam saracenorum, puniendus est, vt hæreticus, & apostata. c. contra christianos. de hæreti. lib. 6. lege autem regia, pœna mortis in hunc statuta est. l. 4. ti. 25. parte. 7. Cæterum an liceat eos expellere, & filios eorū baptizare; parentibus inuitis, ex his, quæ de iudæis supra diximus, facillè intelligetur. par enim causa eorū omnium est. Sed vtrum liceat bellum eis inferre, quando christianos non infestant, diserit Geminianus consil. 96. & Corsetus de potestate regia. q. 85. An aliquo casu papa procedere valeat contra Mahumetanos, qui sub ditione sua non sunt, tractat Lucas in. l. 1. C. de conducto. & procura. lib. 11. Vtrum christiani ad suam defensionē vti possint auxilio infidelium. tradit Oldradus consil. 71. Ancharanus in. c. præfidentes. de hæreti. lib. 6. Lupus Senior tracta. de confœderatiōe principū. Corsetus de potestate regia. q. 86. Alia præterea multa colligit Albertinus in rub. de hæreti. lib. 6. q. 2. & deinceps.

DE MATRIMONIO. CAP. XL.



QVAMVIS ad iudicem secularem spectet puni-
nitio eius, qui simul duas habet vxores. l. eū qui
duas. C. de adulter. quod & multis legibus re-
gijs cauetur, & præterea episcopi, & ordinario-
rum sit cognitio de matrimoniorum eiusmodi
vinculis & obligationibus. c. 2. de secūdis nuptijs. inquisitores tñ
cognoscere per sæpe solent de tali crimine, propter suspitionē he-
resis inde emergentē. Vide etiam malè sentire de sacramēto matri-
monij, qui cū duabus matrimoniū simul cōtrahit. id circò inter-
rogari potest ab inquisitoribus: & si ita res tulerit, puniri. Quòd
autē hoc iuste fiat, asserit Lap. in. c. accusatus. sanè. de hære. lib. 6.
Domi. & Fran. in princ. eiusd. c. Squillacēsis, de fid. catho. cap. 15.

Summa rosella, verbo, hæreticus. nu. 6. Gonsalus de hæretic. q. 9. Felinus in. c. ad abolendam. eodem tit. Lupus in. c. per vestras §. 18. nu. 25. Cobarruias in. 4. decretalium parte. 2. cap. 7 §. 3. Alfonsus lib. 1. de iusta hæretico. puni. cap. 1. Brunus lib. 1. de hæret. c. 2.

1 ¶ Sed videtur quòd inquisitores eòsque possint cognoscere, quò intelligant, an reus hæreticus sit, vel non: quod vbi peregerint, functi sint officio suo. argumento eorum, quæ nuper de lamis diximus. Vt tamen obtinuit, vt interdum ad punitionem etiam procedant. Quod plerunque fieri solet, quando propter frequentiam opus est grassantibus exemplo: & cum reus alioqui suspectus erat, putà ex genere saracenorum, qui putant lege Mahometis licere plures vxores simul habere. Demùm cum quis palàm cum duabus contraxit matrimonium: quo casu, ipso facto, malè videtur sentire de sacramento matrimonij, publicè illud spernès, eoque abutens. Quòd si colore aliquo talis excusari queat: nec sit alioqui suspectus, consultius fiet, iudicio meo, si ordinarijs iudicibus punitionis criminis relinquatur. putà, si dicatur prius matrimonium fuisse nullum: vel quòd propter longissimam absentiam, & rumores mortis alterius coniugis, alter ad secundas nuptias transferit. nam & vxorem absentis, quæ priusquàm de morte certa esset, alteri nupsit, quodammodo venia dignam iudicauerunt patres, in sexta synodo generali. canone. 93. Qui plerunque inquirunt, mors præsumitur. Cõferunt quæ Gratianus collegit. 34. quæst. 1. Talem verò pœnam humilioribus inquisitores infligere solent, vt reus ad publicum spectaculum simul cùm hæreticis trahatur, vbi propter leuè suspicionem abiurat: deinde suffibus cædit.

2 ¶ De monacho, qui post seculi fugam, & solennè religionis professionem cõtrahit matrimonium, distinguunt iuris interpretes. Aut publicè hoc scelus perpetravit: quo casu magis suspectus est, vt pote malè sentiès devotis monasticis. id quod ipso facto testari videt, quasi licere sibi illud asseruerit, quàm palàm, & sceleratè cõmisit. Aliud esse aiunt, quãdo secretè cõtraxit: quia tunc magis præsumitur dolo fecisse, quàm errore pertinaci. Itaque priori casu procedent inquisitores, posteriori non item. Sic distinxerunt Butricar. & Bal. in. l. nemo. C. de sum. trin. Abb. in. c. de hoie. de celebratio. missa.

Et

Et iterum consil. 68. lib. 1. idem rursus & Felinus in. c. cum quidam. de iureiuran. & iterum Felinus post Ioan. de Anania. in. c. ad abolendam. de hæreticis. Matthæus in constitu. Siciliae. titu. 1. quæst. 7. Albertinus in rub. de hæret. lib. 6. q. 13. nu. 37. Squillacensis, Gonsalus, Lupus, Alfonsus, & Brunus in locis proximè adductis. Care. de hæreti. nume. 38.

3 ¶ Sed vereor, ne hæc opinio falsa sit, & ratione careat: mihi certe parum fundata videtur. Quamuis enim ille impudètius agat, qui palàm has nefarias nuptias celebrat, non tamè suspicionem magna carebit, qui occultè easdem contraxerit: imò etiam interdum fit, vt maiore suspicionem prematur, qui claculum ista committit. Quod & regulare est in plerisque actis occultè factis. l. vlti. de ritu. nuptia. cum similibus in glosa commemoratis. c. cum ex iniuncto. de hæreti. & illic notat Felinus. Et conferunt alia multa in hanc rem diligenter collecta per Tiraquellum in præfatione de retractu cõventionali. à nu. 13. deinceps. Sanè qui occultè hoc scelus perpetrat, malè sibi conscius est, lucè odit, verecundia magis detinetur, aut formidine pœnæ, quàm dei timore, aut sinceritate animi. Quid multis opus est? crimè vtroque casu idè prorsus est: nil omninò differens, nisi in qualitate ambigua. Cur igitur tã diuersa ratio cognitiõis, vbi eadem, aut maior causa viget?

4 ¶ Mea igitur sentètia cognoscent inquisitores de crimine monachi matrimonium occultè cõtrahentis, his maximè tẽporibus, quibus cynicus & impurus Lutherus docuit, licere monachis cõtrahere matrimonium. Quod & ipse apostata ex sodalitate diui Augustini publicè perpetravit, sanctimoniali, quam miseram secum traxit in perditionem, incesta copulatus libidine. Què nõ puduit publicè asserere, æquè nõ esse arbitrij sui, vt se seruet ab abusu & cõmixtiõne fœminæ, quàm non est sui arbitrij, mas sit an fœmina. Cuius fœdissimus error à multis viris doctissimis nūcupatim cõfutatus est. Vide Cathari. lib. 5. annotationum in Cayetanum. tit. de sacramento matrimonij. Planè in cõcilio Turonico, vbi licebat clericis vxores habere, & episcopis habere episcopas. de monachis tamen canone. 11. sic definitum extat, si qui in monasterio cõuersi sunt, nulla tenus exinde habeant licentiã euagadi: nec (quod absit) vllus eorū

f iij coniugem

coniugem ducere, aut extraneorum mulierum familiaritatem habere. nam si vxorem duxerit, excōmunicetur, & de vxoris male sociatæ consortio, etiam iudicis auxilio separetur. Et post pauca subiungitur, Qui infœlix monachus tali coniunctione fœdatus, ab ecclesia segregetur, donec reuertatur ad septa monasterij & indictam ab abbate, quandiu præceptum eis fuerit, agat pœnitentiam. hæc ibi. Sed hanc pœnitentiam seueriorem inquisitores indicere solent, cum detrusione perpetua in monasterium. Adde. cap. impudicas. c. si quis sacro. c. monacho. c. & quia. 27. quæst. 1. & regiam. l. 2. titu. 8. lib. 4. fori legum.

5 ¶ Distinctionem prædictam, de publico & occulto matrimonio, sequuntur aliqui circa clericum secularem, qui in sacris ordinibus constitutus, matrimonium cōtrahit. Sed eisdem rationibus ab ea discedo, quicquid asserat Lupus in. c. p vestras § 18. & Ioan. Bernardus in practica criminali. cap. 74. Has verò incestas & nepharias nuptias similiter approbat impurus Lutherus, cōtra innumera ferè concilia, & sanctorum patrum decreta: denique aduersus traditionem, & consuetudinem totius occidentalis, hoc est catholicæ ecclesiæ. De quo multa collegit Gratianus. 27. dist. cum seq. & iterum dist. 32. Cyprianus lib. de singularitate clericorum. Faber contra Lutherum tracta. 4. Ecchius in enchiridio. tit. 19. Alfonso aduersus hæreses. verbo, sacerdotium. hæresi. 4. Pighius controuer. 15. Tiraquel. in. l. connubiali. 15. nu. 82.

6 ¶ Pœna presbyterorum, diaconorum, & subdiaconorum cōtrahētium matrimoniū, hæc iure canonico definita est, vt officio, & ecclesiastico beneficio careat, & cogatur vxores dimittere, & insuper agant pœnitentiā de cōmisso. c. 1. de cleri. coniuga. c. decernimus. 28. dist. vbi hoc generaliter de prædictis oibus statuit. Et priuatim de presbytero alibi decernitur, vt si vxorem duxerit, ab ordine deponatur, & sacro ministerio priuet. c. presbyter. & c. presbyterū. 28. dist. & sextæ synodi generalis. can. 6. diaconus sit alienus à ministerio, & vacet à clero, ab omni sacro ordine remoueat, officio & beneficio ecclesiæ careat. c. diaconus. 27. dist. c. eos. 32. dist. Quæ pari ratiōe de subdiaconis intelligēda sunt. Sane durius decretū extat in octauo cōcilio Toletano. can. 7. in hæc verba,

verba, Quicumque etiam si inuiti ad ecclesiasticarum officia dignitatum assumuntur, deserere, quam semel receperunt gratiam, donumque nequaquam audeant. Si vero ad coniugia moresque seculi redire attentauerint, omni ecclesiastica dignitate priuentur, & apostatę habeantur, & in monasterio, donec vixerint, sub pœnitentia retrudantur. Solent hodie ad tempus in monasteria detrudi, vt illic ieiunijs, & orationibus vacent: & præterea supra scriptas iuris pœnas patiuntur. Adde regiam. l. 41. & seq. titul. 6. parte. 1. extrauag. Ioan. 22. Antiquę cōcertationi. de voto. clem. vna. de consangu. & affinit. Abbat. in. c. 2. qui clerici. vel vouen.

7 ¶ Mulier nubens scienter hæretico, puniri potest vt faultrix. Hoc asserunt Archidiaconus. Ioannes Andre. & Francus in. c. decreuit. de hereti. lib. 6. Etenim prohibitæ sunt eiusmodi nuptiæ, propter periculum contagionis, ex tam arcta coniunctione verisimiliter euenturum. Nec vlla potest esse societas fidelis cum infideli, vt est nuncupatum decretum. c. 16. concilij Elibertini. Quod similiter prohibetur. cap. 10. concilij Laodiceni, & ibidem rursus cap. 31. Et in tertio concilio Carthaginensi. cap. 12. Tale autē matrimonium plerique valere putant, vt probat Præpositus in c. vlti. de conditio. apposi. Et Cobarruias in. 4. libro decretaliū. parte. 2. cap. 6 §. vlti. Sed in cōtrarium vrget canon. 72. sextæ synodi generalis, cuius verba sunt, non licere virum orthodoxum cum muliere hæretica, nec orthodoxam cum viro hæretico copulari. Sed si quid eiusmodi ab vllō ex omnibus factum apparuerit, irritas nuptias existimari, & nefarium coniugium dissolui. hæc ibi. Cōfert ratio illa prohibitionis matrimonij christianæ virginis cum gentili, ne scilicet, ætas in flore tumens, in adulterio resoluatur animæ. cap. 15. concilij Elibertini, & aliæ multæ causę, quas eleganter colligit Tertullianus lib. 2. ad vxorē. Maius quippè nocumentum ab hæretico, quàm à gentili imminet. Adde Ludo. care. tractatu. de hæreti. nu. 157.

DE MINISTRIS ET OFFICIALIBVS.
CAP. XLI.

DE inquisitoribus, & aduocatis, locis suis diximus: consequens etiam est, vt de alijs officialibus & ministris nonnulla subiiciamus. In vna quaque prouincia Hispaniæ, duo inquisitores constituti sunt, iudex bonorum publicatorum vnus: promotor fiscalis, vnus: receptor, vnus: exequutor, vnus: tres notarij: duo à secretis: tertius verò sequestrationum: custos carceris, vnus: nuncijs, vnus: custos ianuarum, vnus: & medicus, vnus. Hi definiti ac designati sunt in quarta instructione Toletana. c. 2. Sed & præter hos necessarij sunt assessores periti, familiares, & alij quidam: de quibus seorsim tractare oportet, si prius dixerimus experientia compertum, vtilius esse, quòd inquisitores eligantur iuris periti, quàm theologi: quicquid alicubi deliret Occa.

1. **I**udex bonorum publicatorum, eligi debet vir probus, & iuris peritus, & qui nõ sit genere suspectus, sed assessoris officio fungatur. Huius muneris est, iudicare inter fiscũ & priuatos de his causis, quæ circa bona confiscata versantur. Quarum plerasque, cũ de bonis hæreticorum tractaremus, attigimus. Ab huius sententijs ad proceres generalis inquisitionis appellatur, non autem ad alios iudices. quod alibi diximus. Is plerunque inquisitoribus assistit, & consultoris vicẽ fungitur, interdum etiam reis patrocinium suum impartitur: quæ omnia iuxta iuris, & instructionum regulas facere atque obseruare tenetur. Hunc sicuti & alios omnes officiales, inquisitor generalis eligit.

2. **P**romotor quoque fiscalis similiter eligendus est, vir sincerus, & eruditus, & qui officium sibi iniunctum rectè peragere sciat, velit, & possit. Huius munus præcipuum est, accusare apostatas, hæreticos, & quoscunque alios in fide suspectos. Is adesse debet semper inquisitoribus, vt & reorum notitiam habere queat, & in eis inquirendis, accusandis, & persequendis, industriam suã diligenter accommodet. Is etiam fiscali causas de bonis publicatis defendet, atque aduocati fiscali vicem sustinebit. Et quamuis

uis alioqui secretis inquisitorum actis adesse soleat, presens tamẽ esse non debet ratificationi testium à se productorum, vt prudẽter cautum est cap. 29. quartæ instructionis Toletanæ.

3. **R**eceptores sunt, qui bona confiscata recipiunt. Hi eligi debent viri facultatibus idonei, & qui rationes accepti & expensi computare, ac reddere sciant. Hi tenentur dare fideiussores pro reliquis soluendis, vsque ad tercetum millia. quarta instructione toletana. c. 25. Nil debent recipere, aut vendere ex bonis publicatis, nisi corã duobus notarijs. Quod si aliqua ex his occultauerint, officio priuati, damna refarciunt, ac duplum pendunt. 2. instructione hispalensi. cap. 10. & seq. Præterea iurare debent, q̃ ex bonis publicatis prius salaria soluent officialibus sanctæ inquisitionis, quàm quibusuis alijs. 3. instructione vallisolitana. cap. 13. alia quædam de rationibus ab his reddendis, inuenies in instructionibus impressis. fol. 16. quæ hic cõmemorare nil attinet.

4. **E**xequutorem appello, quem quidam licctorem, apparitorem, alij viatorem, vulgò alguazil, vocant. Is est qui mandata iudicum exequitur. Sed præcipuè officium eius versatur in capiendis, & custodiendis reis: quos etiam absentes querere, & captiuare tenentur, salario sibi designato cõtentus. Quòd si opus fuerit, vt alios comites secum deferat, hi non debent proficisci sumptibus exequutoris, sed prætaxandum est illis salarium ab inquisitoribus, & à receptore præstandum ex bonis fiscali. Cæterum quoties exequutorem abesse contigerit, custodem carceris suis sumptibus talem relinquere debet, vt sit fidelis, & inquisitoribus probatus. hætenus in quarta instructione toletana. cap. 26. Postremò cum hic merus exequutor sit, mādati formã ad vnguẽ seruare debet, & inquisitorum præcepta prõptè ac diligenter exequi.

5. **N**otarij, quos & secretarios vocant, sunt qui acta inquisitionis conscribunt, aliaque faciunt, quæ ad officium tabellionis pertinent. Hi laici eligi debent. Verum pro necessitate & tempore in causis hæresis possunt hoc officio fungi clerici, & monachi, etiã in sacris ordinibus constituti. Quamuis regulariter tabellionatus officium hi exercere non debeant. c. vt officium & ad conscribendas. de hæreti. lib. 6. c. sicut. ne clerici vel monachi. Hi tenentur

tur scribere in libro ad hoc priuatim facto, mandata omnia inquisitorum data executoribus, & receptoribus, contra personas, & bona hæreticorum: vt siquid quæstionis de his emerferit, illuc recursus habeatur. 2. instructione hispalen. cap. 13. Hi notarij, suis stipendijs contenti, nil pro scripturis accipere debent, præter notarium bonorum publicatorum: cui licet iura legitima petere, quia non habet certum salariū. 4. instructione toletana. c. 18.

6 ¶ Præterea notarius à secretis tenetur dare promotori, & litigantibus testimonium summarium de tempore condemnationis, & commissi criminis hæresis: nec enim exhibenda est copia totius processus, ne lites ex litibus orientur, & ne secreta reuelentur. Quod si hac via reuelarentur nomina testium, saluti eorum parum consultum esset, & protinus exceptiones multæ calūnia plenæ aduersus eos proponerentur. De quo extat epistola generalis inquisitoris, data Granatæ. die. 4. Septembris. anno domini 1499. Adde quod notarius & officiales sequestrationū quotidie sex horis designatis officio incumbere tenentur. 4. instructione toletana. cap. 28. Quod si quispiam notariorum perperam in officio se gesserit, puniendus est tanquam periurus & falsarius, & officio in perpetuum priuandus, & præterea pro modo culpæ coerendus est pœna pecuniaria & exilio, generalis inquisitoris arbitrio. eadem instructione. cap. 13.

7 ¶ Eodem capite statuitur, vt scripturæ secretorum sub tribus clauibus conclusæ custodiantur. Quarum singulas promotor fiscalis, & notarij duo, qui sunt à secretis, habeant. nec legantur aut extrahantur, nisi coram illis omnibus. hæc ibi. Præterea instructione alia cauetur, vt scripturæ actorum, & omnes aliæ, quæ ad officium sanctæ inquisitionis spectant, custodiatur fideliter à notarijs, & in archiuis deponantur in auditorio inquisitorū, vt præsto sint quoties illis opus fuerit, & ne per manus notariorum, & aliorum circumplata officij arcana manifesta fiant. Quod si notarius eas in alium locum transtulerit, vel quippiam aduersus prædicta commiserit, officio priuandus est. 3. instructio. Vallisolitana. capitulo septimo.

8 ¶ De custode carceris supra de custodia reorum satis diximus.
De nuncio

De nuncio, de ianuarum custode, item de medico, non est cur multa dicamus, quia nil nota dignum habet eorum officium, quorum & ministeria omnibus cognita sunt, & nil ferè aliud habent amplius, quam verba sonant. Nuncius conuocat peritos, personas religiosas, & testes, aliaque ministeria eiusmodi mandato inquisitorum exequitur. Ianuarum custos, auditorium inquisitorum custodit, ipsiusque ianuis adstat. Medicus reos egros & infirmos visitat, eisque medicamenta præscribit: & præterea ipsis inquisitoribus, & officialibus domesticis mederi solet. Hi omnes viri probi, minimeque suspecti eligendi sunt.

9 ¶ Assessores peritos, quos & consultores vulgus appellat, vocare solent inquisitores, vt in fidei negotio consilium eis præbeant. Cū enim de re grauissima deliberandum sit eis, necesse habent viros probos theologos, & iuris peritos conuocare. Theologos, vt propositiones examinet. iuris peritos, vt de puniendis reis, aut absoluedis, deque alijs causarum meritis consilium præbeant opportunum. Hos ad se vocandi, quoties expedire visum fuerit, potestatem habent inquisitores. c. vt commissi & aduocandi. de hæreti. lib. 6. sine his nil definire solent inquisitores Hispaniæ: quo fit, vt sanctissimum, sincerissimum, & iustissimum esse soleat iudicium eorum. nam & Sapiens prouerbiorum cap. 11. ait, Salus, vbi multa consilia. Et iterum. cap. 13. Qui agunt omnia cum consilio, reguntur sapientia. Et rursus cap. 24. Erit salus, vbi multa consilia. Et capit. 15. Dissipantur cogitationes, vbi non est consilium: vbi verò sunt plures consiliarij, confirmantur.

10 ¶ Hi assessores, ab inquisitoribus vocati, consilium suum gratis præbere debent. Et quamuis possint salariū spontè oblatum recipere, illud tamen petere nequeunt. Hoc aiunt Archidiaconus, Ioan. Andre. Dominicus, & Francus. in dicto & aduocandi. Ancharanus in. c. vt commissi. in princi. Brunus lib. 4. de hæret. cap. 3. qui ea tantum ratione mouentur, quia negotium fidei quilibet tenetur defendere. Quod si in vniuersum verum est, inde etiã sequeretur, quod neque oblatum salariū vltro recipere possent. nam iuxta vulgarem regulam: turpiter aliquid recipitur pro eo, quod gratis fieri debet. l. vlt. de cōditio. ob turpē. ca. c. dilectus. 2. de

de simonia. Ancharanus consil. 175. Adrianus quolibet. 10. Felinus in. c. de hoc. de simonia. Capicius Neapolitana decisio. 74. Igneus in. l. lege cornelia. ad fillania. Sed hoc non obstante, vera est sententia prædicta. Nec mouet regula illa, quæ intelligenda est, quando capitur ab inuito, vel quado petitur, aut in pactio nem deducitur: secusest quando spontè offertur ob laborem, aut propter gratificationem, aut aliam iustam causam. c. ad apostolicam. de simo. Sanè multa honestè accipiuntur, quæ inhonestè peterentur. l. 1. §. proinde. de varijs. & extraordina. cognit.

11 ¶ His peritis indicendum est secretum, ad quod seruadum obligati sunt sub excōmunicationis pœna, quam ipso iure incurrūt, si arcana manifestauerint. Querendi autem sunt ad hoc negotium viri prouidi, honesti, & periti, quibus acta omnia processus cōmunicanda, & explicanda sunt, ac de ipsorum consilio ad sententiam procedi debet. cap. vlt. §. 1. & seq. de hæreti. lib. 6. Hoc munere per quinquenniū functus sum apud inquisitores Vallisolitanos, & Cordubenses: interdū etiā apud proceres ipsos. Quam id rectè, ipsi viderint, qui me hominem tenuis eruditionis, necdum prouectæ ætatis, ad tam graue onus elegerūt. Ego certè nil aliud verè dicere possum, nisi quòd industriam meam, quantula cunque illa est, libentissimè obtuli, & indies libentiùs offerre soleo, quia sincerissimè atq; sanctissimè illic oīa fieri certissimè scio.

12 ¶ Sed vtrum inquisitores consilium peritorum sequi teneantur? Quod magis placet Albertino in. c. 1. de hæreti. lib. 6. quæstio. 10. Quia is, qui per legem obligatur facere quippiam cum consilio alterius, tenetur simpliciter iuxta consilium illud agere. l. puberibus. de suspect. tuto. vbi notat Bartolus, & Philip. Decius, post alios. in. c. si pro debilitate. de officio. delega. Quod si verum esset, nil ad rem facerent sententiæ inquisitorum. quod per absurdum esset concedere. idcirco aiunt, saltim de honestate id fieri debere, ne videatur frustratorium consilium peritorum, argumento. l. vlti. §. vbi. C. de bonis que liber. nisi forte consilium esset iniustum, vt rectè docent Abbas & cæteri in dicto cap. si pro debilitate. Albertinus eadem quæstio. 10. Casseneus in consuetu. Burgū. rubrica. 4. §. 7. Tiraquellus post leges cōnubiales glosa. 4. & seq. hoc

hoc autem ita obseruatur, vt liberum sit vnicuique suffragium, tam assessoribus, quàm inquisitoribus: sed horum sententia præualet, si modo cum ordinario concordet sint: quamuis in diuersum abeat peritorum omnium concors consilium. Et ita epistola quadam procerum huius senatus iure decretum extat. nam & inquisitorum est iurisdictio, et ipsi auditis peritorum sententijs, & actorum meritis penitus inspectis, & radicitus circumstantijs cognitis, melius & certius definire solent.

13 ¶ Familiares quoque necessarij sunt, vt inquisitores comitentur, & eos, si opus fuerit, ab hæreticorum insultibus tueantur, & vt exequutorem sequantur, cum reos capere voluerit: demum vt alia omnia faciant ab inquisitoribus sibi iniuncta. His concedūt inquisitores, vt armis vtantur: sed eis abuti non debent. Nec eligendi sunt ad hoc munus, nisi hi tantum, qui necessarij fuerint. clem. 2. §. vlti. de hæreti. Multis quoque priuilegijs fruūtur familiares in Aragonia, quæ etiam ad alios familiares Hispaniæ prorogata fuerant, anno domini. 1518. Et rursus alibi. Præterea inquisitores iudicare solebant de causis criminalibus omnium familiarium. Quod eis concessum fuerat. 4. instructio. Toletana. c. 5, vbi & vsus armorum coarctatus fuit, scilicet ne armis vtantur familiares in illis locis, in quibus eorum vsus prohibitus est, nisi dū sequuntur inquisitores, aut exequutorem. Sed propter familiarium excessus, & effrenatam eorum multitudinem, cōstitutum est, vt quicumque iudices de criminibus eorum cognoscere valeant, exceptis quibusdam officialibus, qui iudicio inquisitorū relictī sunt. putà receptore, exequutore, notarijs, & cæteris, qui eis quotidie assistunt. de quo extat iussio regia data in hoc municipio Vallisolit. anno salutis. 1545. Sed mea sententia expediret, vt & certus numerus familiarium definiretur: hisque priuilegia aliqua concederentur, aut salarium designaretur. nam tanto magis hi fauore digni sunt quàm familiares cardinalium, quāto eorum officium & ministerium ecclesiæ catholicæ magis vtile est. at familiaribus cardinalium quamplura concessa sunt, quæ collegit Ludouicus Gomes in regula cancellariæ, De impetrantibus beneficia vacantia per obitum familiaris cardinalium.

¶ Præterea

- 14 ¶ Præterea cum inquisitorum, & ministrorum officia perpetua sint, necesse est, vt aliquando rationem suorum munerū reddāt. Quod cum sit valde necessarium in his, qui ad certum tempus iudices & officiales creati solent: multò magis necessarium videtur in his, qui sine temporis præfinitione creātur: vt & qui malè se gesserint, puniantur: qui autem bene, laudem & præmium cōsequantur: demum vt omnes cautiores fiant. Vnde originē quidem habuit ratio illa Syndicatus, cuius lib. 6. de legibus Plato meminisse videtur, hoc verborum tenore, Nemo autem iudex, magistratū sue sit, qui gesti officij sui rationem nō referat: præter eos, qui regum instar finem rebus imponunt. hæc ille. Huius quoq; Syndicatus, quem vulgus residentiā vocat, mentio est in. l. i. C. vt omnes iudices, tam ciui. quàm milita. De quo prolixiores tractatus ediderunt Angelus de Perusio, Paris de Puteo, Cataldinus, & Amedeus.
- 15 ¶ Sed hoc magis fieri solet cum his iudicibus, qui ad certum tēpus creati sunt. Perpetuis enim vir aliquis mittendus est, qui eos visitet, quem ob id visitatorem vocant. Hunc autem eligendum esse virum penè diuinum. lib. 12. de legibus Plato cēsuit. Quem inuenire difficilè esse fatetur. Huius quoque magistratus meminisse videtur Aristote. quem necessarium esse dicit. 6. politi. cap. 8. Sic igitur definitum est in re proposita, vt eligatur vir aliquis moribus & peritia cōspicuis, & ætatis proeclatæ. hunc Plato dicebat, in omni virtutum genere debere cunctis excellere: quiq; non pauciores, quàm quinquaginta natus sit annos. Is itaque visitare debet omnes inquisitorum puincias: & quicquid relatu dignum cognouerit, ad inquisitorem generalem referre. nec excedere debet fines mandati, nec esse officialium hospes, neque ab eis quippiam accipere: nec per interpositas quidem personas. Quòd si vnus non sufficiat, alter etiam eligendus est. 4. instructio. Toletana. cap. 3. Solus, vt audio, magnus meus auunculus Archidiaconus Cordubensis, vir profectò reipublicæ non pœnitendus, hoc munere sine collega hæctenus functus est. Cæterum priuatim dari solent hi visitatores, quoties in aliqua prouincia id expedire creditur.

¶ Omnes

- 16 ¶ Omnes autem officiales sanctæ inquisitionis tenentur iurare coram episcopo & inquisitore, quod officium sibi iniunctum fideliter exercebūt. clem. 1. § porro. de hereti. Quod regulare est in oībus alijs iudicibus, & officialibus: qui cum primū recipiuntur, id ipsum solenniter iurare solent. l. rem non nouam. C. de iudi. liubemus. 2. C. de erogatio. militar. anno. lib. 12. vbi Ioannes de platea meminit aliorum, qui similiter iurare debent. inter alia vero illud non postremum est, q̄ iuramentum præstant de secreto seruando sub pœna excommunicationis latæ sententiæ. 4. instru. toletana. c. 4. Quod violare grauius est ex genere suo, quàm furtum facere, vt luculenter probat Dominicus soto. lib. de ratione tegendi secretum. quæst. 1. Et vt ait Sapiens prouerbiorum. c. 11. Qui ambulat fraudulenter, reuelat arcana. Ac ne illud prætereūdum, q̄ vetus disciplina regum persarum, silentium vitæ periculo sanxerat. lingua grauius castigatur, quàm vllum probrum, nec magnam rem sustineri posse credunt ab eo, cui tacere graue sit: quod homini facillimū voluerit esse natura. refert Curtius lib. 4. historiæ Alexandri. vnde & apud Esaiam legitur, Cultus iustitiæ silentium. cap. 32.
- 17 ¶ Hoc amplius asserit Dominicus soto, prope finem libri supracitati, quòd magistratus, & officiales, & qui consilijs reipublicæ interfunt, vsque ad eò tenentur fidem secreti seruare, vt ante pati debeant fortunarum & vitæ dispendium, quàm vt id spontè, aut coacti reuelent. nam secreta reipublicæ sunt propter salutem totius populi. Ab eis igitur vsque ad animam & sanguinem seruanda sunt, quibus tota reipublica arcana sua committit, & stipendia pro huiusmodi officio pendit, quiq; peculiari sacramento fidem suam in hoc astrinxerunt. quod tanto enixius faciendum est, quanto res, de qua agitur, grauior & periculosior est. vt puta, si compellatur aliquis reuelare secretū earum rerum, quæ in sancto consilio, & foro inquisitorum aduersus hæreticos tractantur. Pudeat p̄inde homines rimarum plenos, qui secreta cōfistoriorum, & capitulorum, passim & omnibus, omnia reuelare nō verent. Quod tāta facilitate à multis fieri solet, vt nil minus, quàm iniquè agere se credant. nimirum: quia, vt Augustinus inquit in enchiridio.

enchiridic. cap. 80. Magna & horrenda peccata, cum in consuetudinem venerint, aut parua, aut nulla esse creduntur.

- 18 ¶ Salaria inquisitoribus & officialibus designata, hec sunt. Cuiuslibet inquisitori sexaginta millia annua, hodie centum millia numerorum: quorum quilibet aestimatur duobus numulis, quos albos vocant. Iudici bonorum publicorum, triginta millia. Promotori fiscali totidem. Quod si is fuerit fiscali aduocatus, quadraginta millia. Notario, triginta. Exequutori, cui etiam incumbit custodia carceris, sexaginta millia. Receptoris totidem. Nuncio, viginti millia. Custodi ianuarum, decem millia. Medico, quinque millia. Quæ salaria possunt augeri arbitrio generalis inquisitoris. 4. instructio. toletana. cap. 2. Hæc soluenda sunt his omnibus, priusquam alicui quidquam præstetur. Quod si receptores contrarium fecerint, priuari possunt officijs suis ab inquisitoribus. 3. instructio. Vallisolitana. cap. 13.
- 19 ¶ Hæc salaria soluuntur ex bonis publicatis, & pars tertia præstari debet in principio cuiusque quadrimestris. Et ab eo die debere incipiunt, quo proficiscuntur hi ex domibus suis ad negotia huius sancti officij peragenda. 2. instructio. hispalensi. cap. 2. Profectò dolendum est, sacrosanctum hoc officium tam debili fundamento sustineri: cum sint in Hispania tot præbendæ, atque dignitates pingues, tot canonicatus, tot portiones, beneficia, præstimoniam, vnde possent annui reditus inquisitoribus & ministris assignari. Quo efficeretur, vt & salaria certiora essent, magisque duratura, item ecclesiastici prouentus his assignati, vtilius expendere, quam vulgò fieri solet. Demum cessaret perfida illorum suspitio, qui vt hanc sanctissimam inquisitionem traducat, infamare non cessant inquisitores: quasi reos iniuste damnent, vt inde salaria consequantur. Argumento glosæ in l. de iure. ad municipa. notant Baldus & Felinus in c. literas. de præsumptio. Quod & Aristoteles ferè sensit lib. 6. politi. cap. 5. Sed hi, qui sibi malè cõscij sunt, hoc prætexunt nomine culpam. Scio equidem sincerissimum esse hoc officium, & plerunque mitiores esse inquisitores, ne è re sua facere videantur.
- 20 ¶ Omnes autè officiales eligendi sunt idonei, & cum salarij certi

- ti designatione, præter quod nil recipere debent, nec esculenta quidem, aut poculenta. Qui secus fecerint, officio priuentur, duplum pendant, excommunicationem incurrant, & puniantur decem millibus. Qui hæc nõ reuelauerit, eisdem pœnis subiaceat. 1. instructio. hispalensi. cap. 25. & instructio. 2. cap. 1. & 4. toletana. cap. 15. & 18. Nullus præterea fiat officialis, qui sit consanguineus, aut familiaris inquisitorum eiusdem prouinciæ. 4. instructio. toletana. cap. 12. Præterea locum secretum nullus ingredi potest, præter inquisitores, fiscalem, & notarios, eadem instructio. cap. 13.
- 21 ¶ Si quid leuius commiserint officiales, ab inquisitoribus castigentur: si grauius deliquerint, ad inquisitorem generalem referatur, vt eos durius puniat, & officijs priuet. 1. instructio. Hispalen. cap. 27. Quod & regulare est, vt qui grauius in officio delinquant, priuetur, aut suspendatur illo. l. 1. de legatio. l. si aliquid. C. de suscepto. & archar. lib. 10. regia. l. 12. titu. 29. parte. 7. Officiales oēs tenentur seruire personaliter, nõ per alios: quia propter industriam suam eliguntur. Qui secus fecerit, officio priuetur. 3. instructio. Vallisolitana. cap. vlti. l. vlti. de excusat. tuto. l. nullus qui nexu. C. de decurio. lib. 10. l. 1. §. ne autem. de cadu. tollē. c. vlti. §. 1. de officio delega. Nullus officialium negotiationibus se immisceat, nec per interpositas personas. Qui contrarium fecerit, officio priuetur, & viginti millia pēdat. qui hoc nõ reuelauerit, excommunicetur. hæc in fine instructionum scriptarum, & in impressis folio. 21. Cõfert. l. militem. C. de procurato. l. milites. locati. glosa vltima in l. 1. C. negotiato. ne milit. lib. 12.
- 22 ¶ Nullus duobus fungatur officijs, nec duobus fruatur salarijs. 4. instructio. Toleta. cap. 18. Quod si in omnibus officijs publicis, & beneficijs ecclesiasticis obseruaretur, longè profectò melius rebus publicis consultum esset. non occuparet vnus, quæ multis sufficerent: nec multi deficerent, vbi vnus non sufficit. Nam vt diuinus Plato libro. 8. de legibus inquit, Duas artes, aut studia duo diligenter exercere, humana natura nõ potest. Nemo etiam satis potest arti quidem vni vacare, & alterius artis opifici
- t præsidere.

præfidere. Quapropter ibidē statuebat, vt qui duabus artibus vacaret; vinctis, multa, expulsiōe, vnam tantum complecti cogere. Et Aristo. 2. polit. cap. 9. prauū videri ait, ab homine vno plures magistratus geri. Confert. l. quisquis. C. de postu. l. hac parte. de proxim. sacro scrinio. lib. 12. regia. l. 10. titu. 4. parte. 3. Et quæ colligit Lucas in. l. omnes iudices. de curio. lib. 10. Quod cū ego considerassem, cōsciusque essem, quā sit mihi curta supellex, cathedram vespertinam iuris ciuili huius academix, quam magnoliterario certamine, sed pari victoria consequutus fuerā, libenter obtuli, ac libētius reliqui: vt toto conatu regi meo, atq; reipublicæ in dirimendis ciuium contentionibus, & componēdis litibus liberius inseruirem. Quod ante me, eo saltem modo, in Hispania scio fecisse neminem.

DE OCCULTIS. CAP. XLII.



De occulto hæretico nōnulla dicturus, breuissimè præfari volui, multipliciter dici crimē aliquod occultum. Nam quoddam est crimen sua natura occultum, quod ex se nil habet, vnde possit naturaliter, ab aliquo homine cognosci. talia sunt illa crimina, quæ in solo corde perficiuntur, & ad nullū actum exteriorē, verbo, aut facto perueniunt. Aliud est crimen occultū p accidens: quod non solo corde retinetur, sed voce, aut opere exteriorius prodit. hoc enim quamuis occultissimè perpetratum sit, ex natura tamen sua hoc habet, vt possit audiri, aut videri ab aliquo, qui prope esset operanti. Quod occultū subdistinguitur in eo, quod opponitur pbabili, & quod manifesto, aut notorio opponit. Hæc plixiūs docēt interpretes i. c. vestra. de cohabita. cler. & mulie. aptius Alfonso lib. 2. de potestate legis pœnalis. c. vlti.

- 1 ¶ His præhabitis primo queritur, Vtrū hæreticus occultus, excommunicatus sit ipso iure, & in alias pœnas incidat similiter iure aduersus hæreticos statutas? Cui quæstioni simpliciter iuris periti respondent, quod & si hæresis occulta sit; nihilominus talis hæreticus prædictas pœnas incurrit. Hoc asserunt Ioannes, Gofredus, Raimundus, & post eos glosa ordinaria in clem. 1. § verum. de hæreti. vbi eandem opinionem sequuntur Paulus, Stephanus

nus, & Imolenfis. nu. 18. & Cardina. in § vlti. Idem aiunt Abbas, Ioan. de anania, & Felinus in. c. vlti. de hæreti. lib. 5. Quibus accedit Andre. Tiraquel. in l. si vnquam. C. de reuocan. donatio. parte, reuertatur. nu. 240. Qui fide hæresi natura sua occulta, hoc est purè mentali, intelligunt; proculdubiò grauiter hallucinantur: si autem de occulto intelligunt, prout opponitur pbabili, aut notorio; eorum sententia verissima est.

- 2 ¶ Nam quod hæreticus purè mentalis, qui nunquam processit in actum exteriorē, sed corde conceptam hæresim celat, non incidat in excommunicationem, neque ecclesiastico aut ciuili iudicio subiaceat; receptissima theologorum ferè omnium sententia comprobatur, quam Paludanus docet in. 4. lib. sententia. distin. 13. Archiepiscop. florenti. 3. parte summæ. titu. 24. cap. 4. Clauasius in verbo, hæreticus. nu. 2. Siluester, verbo, excommunicatio. 7. Caietanus verbo, hæresis. in fine. Driedo. lib. 3. de libertate christiana. pagina. 60. Alfonso lib. 2. de iusta hæretico. puni. tio. cap. 12. & iterum lib. 2. de potestate legis pœnalis. cap. vltim. Hermas lib. 2. de instauranda religione. cap. 6.
- 3 ¶ Prima & maxima probatio huius propositionis est, quia ecclesia non habet potestatem super actus interiores, vt illos solos occultissimos possit prohibere, præcipere, aut punire. Hanc sententiam Durandus astruit in lib. 4. sententia. distin. 11. quæst. 8. Paludanus eodem lib. distin. 13. Sedit idem Thomas. 1. secundæ. quæst. 91. arti. 4. sequuntur Caietanus & Fran. victoria sup Tho. 2. 2. q. 11. articu. 3. Quam esse cōmunem theologorum sententiam testatur Almain distin. 17. quæst. 1. Et probatur, quia leges humane gubernare nequeunt actus interiores, nec de illis iudicare, quia eos nō cognoscūt. l. cogitatiōis. de pœnis. Præterea ecclesia nunquā vsa est hac potestate: ergo illam non habet. nam frustra est potentia, quæ nunquam reducitur ad actum. Ad hæc ecclesia nullam potestatem exercere potest per actus interiores: non excommunicare, non absoluere, non denique sacramenta ministrare, ergo nec potestatem habet sup actus interiores. Deinde vulgare illud huic sententiæ fauet, quo dici solet, eccliam de occultis nō iudicare. c. tua nos. c. sicut. de simonia. c. humane aures. 22. q. 5. ad extremū

occulta huiusmodi soli deo referuata sunt, vt Paulus docet prioris epistolæ ad Corinthios. cap. 4. Nolite, inquit, ante tempus iudicare, quoad usque veniat dominus, qui manifestabit consilia cordium

4 ¶ Contrariam tamen opinionem tenet Adrianus quolibet. 8. multis argumentis ostendere volens, quòd ecclesia potestatem habeat super actus interiores, quem sequitur Pighius. lib. 6. hierar. ecclesiast. cap. 6. Sed illis argumentis plenè satisfaciunt Caietanus, Franciscus victoria. & Alfonso, Quamuis enim ecclesia interdum prohibeat, præcipiat, aut puniat actus interiores, illud propterea facit, quia sunt rationes exteriorum actuum, de quibus ecclesia iudicat. Nam actus interior dupliciter considerari potest. Primo per se tantum, puta, cum in solo corde nascitur & consummatur, & nil exterius prodit. Quo casu exaudienda est communis doctorum sententia. Alio modo consideratur tanquam causa commissio, aut omissionis actuum exteriorum, qui procedunt ab interioribus: & tunc subiacent iudicio ecclesiæ, ac legum etiã secularium. vtputa, quando propter actum exteriorem inquiritur de intentione, ac voluntate, de scientia, vel ignorantia, de quibus alijs id genus. Sed solus actus interior sine exteriori nunquam cadit sub lege humana.

5 ¶ Cæterum suprascripti omnes vno ore fatentur, quòd is, qui hæresim, quam corde conceperat, verbo, aut scripto peperit (quãuis clanculum, & occultissimè) is, inquam, eo ipso protinus in excommunicationem incidit, & alijs pœnis obnoxius est. Nam & si eadem ratio militare videatur in hæretico tam occulto, atque in alio purè mentali; differentia tamen inter vtrunque magna est. occultum enim per se habet ex propria ratione non subesse cognitioni sensitiuæ, a qua incipit humana cognitio, secundum quam ecclesia iudicat. occultum verò per accidens, subiacet sensibus, quamuis testibus probari nequeat. Vnde plerunque huiusmodi occulta iudicantur ab ecclesia, dum excommunicantur fures occulti, & alij, qui occultissimè aliqua crimina perpetrarunt. cap. porro. de senten. excõm. c. clericis. de immunita. ecclesi. lib. 6. & sepe alibi. Quod tamè de occulto purè mentali nusquam
factum

factum ab ecclesia legitur.

6 ¶ Hic autè obiter annotare libuit, quòd vir ille doctissimus Albertus Pighius lib. 6. hierar. ecclesiast. cap. 6. negare videtur, inueniri posse aliquem hæreticum purè mentalem. Quia statim hæresis consummata prodit exterius: nec potest celari, si electio errori coniuncta, efficax, perfecta que sit. Verum equidem non satis intelligo, quid prohibeat, quin hæresis consummata generari in mente, & illic supprimi, ac detineri queat. nam sicut fides est virtus, quæ perficitur interius: sic ex opposito hæresis consummatur solo dissensu interiori, cum consensu voluntatis. quod nuncupatim asserit Caietanus. 2. secundæ. quæst. 11. arti. 3. Et ante illum hoc tenuit Baldus in. l. si quis non dicam. C. de episcop. & cleri. col. 1. vbi tamen idem Baldus in alio errauit, & in errorem traxit Ioanem de anania in cap. si quis episcopus. de hæreti. ambo si quidem putauerunt, hæreticum purè mentalem in excommunicationem, & in reliquas hæreticorum pœnas incidere. Et Baldum etiam sequitur Carerius. tracta. de hæreti. nu. 87. quam opinionem recepta doctorum sententia refellit.

7 ¶ Annotatu digna quæstio est, Nunquid hæreticus purè mentalis, qui coram inquisitoribus hæresim illam occultam confitetur, vel eam reuelat amico, petens ab eo consilium, in excommunicationem incidat propter talem actum exteriorem? Cui respondet Franciscus victoria super Thomam. 2. secundæ. quæst. 11. arti. 3. quòd qui hoc faceret, non esset propterea excommunicatus, quia ille actus exterior est bonus: & quia tunc non profert ille hæresim, asserendo eam. Quod mihi satis placet: ac multò magis hoc verum & indubium esse crediderim, si talis hæreticus in foro pœnitentiæ mentalem hæresim confessus fuerit. Quia ille actus extra omne iudicium humanum est. cap. si sacerdos. de officio. ordina.

8 ¶ Hoc amplius ibidem ait præfatus doctor, quòd & si talis hæreticus per iocum dixerit, se aliquando hanc, aut illam hæresim credidisse; nihilominus propter hunc actum exteriorem non incidit in excommunicationem, quia tunc non asserit hæresim, sed tantum narrat, aut refert illam. In qua opinione sub-

sisto . Nam qui aiunt sufficere actum exteriorem ; non dicunt necessariam esse assertionem hæresis in tali actu . Præterea in re tam seria , iocus execrabilis est : vnde non videtur excusari , qui in actu eiusmodi hæresim protulerit . at è regione qui declarat , narrat , aut refert ; nil suum agere dicitur . l. hæreses . §. i. de testa . l. adeò . §. cum quis . de acquiren. rer. domi . Prior sententia , vt mitior , ita fortasse verior est . Quæ ratione , si quis legendo , argumentando , confutando , aut alio simili modo enunciando hæresim alienã , quã corde credidit , aliquando protulerit , nõ asserendo illam , sed potius alio quouis honesto modo bona fide proferendo : qui talia faceret , non incurreret excommunicationem , neque alijs pœnis obnoxius esset . in quo tamen amplius deliberandum censeo .

9 ¶ Ex ante dicta distinctione inter occultum per se , atque occultum per accidens , colligenda est vera intelligentia . cap. 5. primæ instructio . hispalen . vbi cum generaliter data sit forma publicæ abiurationis omnibus hæreticis cõuersis , ab ea regula in hunc modum exceptio ponitur : nisi crimen vsque adeò fuerit occultum , vt solus pœnitens illud sciat , nec ab alio sciri possit : tunc enim secreto reconciliatus , absoluetur , cum per alium reuelari nequiret : quia ita iure cautum est . hætenus sibi . Quod necessariò exaudiendum est de hæretico , qui solus hæresim protulit , vel scripsit , & in nullius notitiam ea peruenit . nam hæresis purè mentalis , quæ in actum exteriorem nunquam prodit , proprio sacerdoti reuelanda est , à quo beneficium absolutionis impartiri potest . nec enim eget absolutione inquisitorum , aut solenni abiuratione , vel reconciliatione . Et ita sentiunt dõctores prædicti . Atqui ex paulò superius allatis esset tutius inquisitoribus detegere , & ab eis absolutionem petere .

10 ¶ Hæreticus autem quantumuis occultus , qui alios inficit , atque peruertit , potest , ac debet statim iudicibus denũciari , absq; præuia monitione , quia subuersus est , qui est huiusmodi . Alios occultos peccatores monemus & corrigimus , vt emendètur , vt corũ famæ consulamus : at in hæretico pertinaci , qui reipublicæ pestis nocentissima est , qui spirituale venenum proximis pa-

rat

rat , omnis spes emendæ præcisa est , & publicum bonum præferri debet bono illius priuato . hæc est sententia Thomæ . 2. secundæ quæst. 33. articulo . 7. à theologis recepta in lib. 4. sententia . distin. 19. Quam & Hostiensis docet in summa . titul. de hæreti . col. 4. Innocentius in . cap. 1. de testib. cogen. Gonfalus tracta. de heret. quæst. 6. Pighius lib. 1. hierar. ecclesi. cap. 4. Alfonso lib. 2. de iusta hæretico . puniti . cap. 25. Leo in sermone . 4. de collectis inquit , Manichæos vbicunque latentes , vestris presbyteris publicate . magna est enim pietas proderè latebras impiorum , & ipsum in eis , cui seruiunt , diabolus debellare .

11 ¶ Eodem loco limitat beatus Thomas sententiam proximè dictam , vt non sit necessè protinus hæreticum ante monitionem denunciare : quando verisimiliter crederetur , quòd per secretam correctionem hæreticus emendabitur , & cessabunt nocumenta reipublicæ . Quam exceptionem sequuntur posteriores in lib. 4. sententia . distin. 19. Sed quia perquam rarò accidit , vt per admonitionem priuati hominis resipiscat hæreticus , & protinus ab errore desistat , ideo confidendum non est secretæ correctioni : nisi fortè corripuens vir esset magnæ autoritatis , & hæreticus ex diuerso esset homo timidus , & corrigibilis , ita vt compertum ferè sit , per talem admonitionem hæretico atque reipublicæ satis consultum fore : alioqui tutius est , vt confestim denunciatur : maximè si hæreticus sit dogmatizans : quales penè sunt hæretici omnes . Hæc est sententia Dominici foto lib. de ratione regendi secretum , membro . 2. quæstio . 4. sequitur Alfonso lib. secundo , de iusta hæreticorum punitioe . capit. 25. Quibus ipse accedo .

12 ¶ Sed vtrum hæreticus occultus teneatur se proderè , quando in inquisitione generali à iudice interrogatur , nulla præcedente infamia ? Pro parte affirmatiua vrgere videtur vera illa propositio , quòd in quocunque iudex iustè interrogat , subditus tenetur illi dicere veritatem . Ergo & in proposita specie debet reus seipsum proderè : quia iustè à iudice interrogatur . Et comprobatur exemplo testium , qui semper debent iudici dicere verum . Sed in contrarium facit , quòd iugum domini suaue est ,

t iiii &

& onus eius leue. res autem grauisima foret, obligare aliquē, vt se proderet sine iudicijs interrogatus. Et ideo hæc sententia benignior, & verior videtur, quam a fratre idem Dominicus loco supradicto. quæst. 7. Qui rectè respondens contrarijs argumentis ait, quod iudex iustè interrogat illum tãquam testem, sed non tãquam reum: quapropter ille potest iustè celare crimē, dicendo se nescire quis fecit, quia nō sic scit, vt dicere teneatur. Deinde causa dissimilis est inter testem & reum. testis enim ad obuiandum publico damno tenetur alios reuelare: sed reus, qui potest cessare à malo, non tenetur se prodere. iuxta quod Chrysostomus super epistolam ad hebræos ait, Non tibi dico vt te prodas, sed reuela ante deum viam tuam. Vnde colligitur, neminē teneri crimen suum reuelare, nisi in sacramento confessionis.

Quod etiam probatur in cap. quis aliquando. de pœnitentia. dist. 1. sensit Caietanus super Thomam. 2. secundæ. quæst. 70. arti. 1.

13 ¶ Subinde quæritur, si quis in foro pœnitentiæ confiteatur se hæreticum: & non vult agere de hoc pœnitentiam: nec alios, quos scit hæreticos esse, manifestare: quid tunc faciet sacerdos? Respondet Rai. quod potest reuelare talibus, qui prodesse valeant, & non obesse. argum. c. hoc videtur. 22. quæst. 5. Præterea videtur, quod non sit sacerdos astrictus propter vim pœnitentiæ, quia ille non agit pœnitentiam. vnde putabat iste, quod liceret sacerdoti, hæreticum confitentem reuelare. Cuius opinionem sequitur Albericus in rub. C. de hæreti. nu. 8. Et in eodem errore quidam fuisse dicunt Archidiaconum, qui tamē ab eo recedit in cap. sacerdos. de pœnitentia. dist. 6. vbi hæc verba posuit. Alij dicunt, quod sacerdos debet adire episcopum, & ei dicere, Vigila super gregem tuum, quia lupo est in grege. Et hoc tutius est secundum Hostiensem, qui ita notat in summa. titu. de pœnitentia. §. in quo tenentur. hætenus ille. Qui expressim in ea sententia permanet, vt nec eo quidem casu liceat nominatim hæreticum reuelare.

14 ¶ Et hoc generaliter verum est, quod nunquã licet propter prædictam, aut similem causam sigillum confessionis aperire. nec enim potest vnquam tam graue periculum ecclesiæ imminere, quo non sit grauius, violare sacramentum confessionis: quod,
sublato

sublato sigillo, corrueret. Et hoc post Adrianum & Caietanum & post alios multos in lib. 4. sentent. dist. 21. docet Martinus nauarrus in cap. sacerdos. de pœnitentia. dist. 6. nu. 119. & Ioānes medinalis. de pœnitentia. tit. de confessione celanda. Quod si fas esset eas hæreses reuelare, deterrerentur hæretici à confessione, & pœnitentiam non agerent: nec alios hæreticos occultos ipsi reuelarent: nec de salubri, & facili remedio illis prouideretur. cum è regione possint sacerdotes salutaribus monitis confidentibus mederi, & bono communi consulere: prædicando in genere contra hæreticos, & generaliter admonendo inquisitores, & alios iudices. Vnus duntaxat casus excipitur, quo licet hæresim in confessione dictam reuelare, scilicet, cum hæretici, simulata confessione, peruertere moliantur ipsos sacerdotes. In qua sola specie verus esse potest ille versiculus, Est crimē hæresis, quod nec confessio celat. Nam si de confessione intelligatur, quæ est vera accusatio, quamuis impœnitētis, falsissimus esset, atque adeo christianis auribus prorsus indignus, vt Dominicus Soto rectè scripsit lib. de ratione tegendi secretum. membro. 3. quæst. 4. Et sunt hæc ex mente doctorū in lib. 4. sententiarū dist. 21.

DE ORDINE PROCEDENDI. CAP. XLIII.



Vniuersum ordinem atque processum huius sanctissimæ inquisitionis breuiter pstringamus, necesse est à primo inquisitorum ingressu rem ipsam exordiri. Cum primum itaque inquisitores accedunt ad prouinciam vel ciuitatem, quas nunquã ingressi fuerant, imprimis debent literas nominationis, delegationis, aut commissionis suæ præsentare capitulo ecclesiæ matricis, & præfidi ac decurionibus ciuitatis, vt illic legant, & suscipiantur. Quod cautum extat in prima instructio. hispalensi. cap. 1. Et generale est in omnibus iudicijs, qui id ipsum facere solent, ac debent, iuxta consuetudinem prouinciæ. l. obseruare. de officio. pro consu. & lega. l. 1. C. de manda. princi. c. cum in iure. de officio delegati.

Deinde

- 1 ¶ Deinde cōuocare debēt inquisitores clerum & populum per præconem, vt certo die festo conueniant in ecclesia maiore, vbi coram omnibus sermo de fide habeatur: & facultas atque potestas inquisitorum, & quid agere intendant, publicè declaretur. Posthæc, absoluta concione, præcipiant inquisitores, vt omnes leuatis manibus coram cruce, ac libro euangeliorum iurent, se præstaturus fauorem, & auxilium sanctæ inquisitioni, eiusque ministris. item, quod non erunt illis impedimēto directè aut indirectè, vel quouis quæsito colore. Quod iusiurādum priuatim præstabunt iudices, & eorum officiales. De quo fieri debet publica scriptura per notarios inquisitorum. hæc tenus in prima instructione hispalen. cap. 1. Huius conuocationis mētio est in .c. vt cōmissi §. conuocandi. de hæreti. lib. 6. & iuramenti huius in .cap. excōmunicamus. primo §. moneantur. eo. titu. lib. 5. & in authē. si verò. C. de hæreti. Præterea legendæ sunt publicè monitoriæ literæ aduersus omnes rebelles. eadem instructio. cap. 2.
- 2 ¶ Posthæc inquisitores proponunt edictum, cum dilatione triginta, vel quadraginta, vel plurium dierum, prout eis melius visum fuerit: intra quod, quicumque fuerint hæresis, vel apostasiæ crimine maculati; fateri possint coram eis scelera sua integrè cū debita contritione: atque alios, quos scierint hæreticos, illic reuelare: parati errores suos abiurare. His autem, qui prædicta omnia spontè fecerint, iniungetur pœnitentia salutaris: reincorporabuntur ecclesiæ: nec mortem, aut vincula, nec bonorum publicationem patientur: nec ab eis quidpiam auferetur, sed tantummodo inquisitorum arbitrio, pro qualitate personarum & criminum, pœnam aliquam pecuniariam soluent, aut eleemosynas facient. Hæc omnia benignitate regia concedi solent. Cuius liberalitatis patentes literæ inferi debent edicto, prout latius continetur in prima instructio. hispalen. cap. 3. & cap. 7. Simile quipiam fieri solebat tempore Hostiensis, vt ipse testatur in summa. titu. de hæreti. col. 2. & hoc vocatur tempus gratiæ, cuius mentio est in .c. vergentis. de hæreti.
- 3 ¶ Præterea cum inquisitionis officium (quod nomen ipsum præfert) in inquirendo hæreticos præcipuè consistat: postquam inquisitores

- quisitores in sua prouincia conuenerint, & supra scripta omnia obseruauerint; tunc alter eorum visitabit prouinciam: & quacūque ierit; edicta generalia proponet: quibus præcipiet sub excōmunicationis pœna, vt quicumque scierit aliquid factum, vel dictum contra fidem catholicam; id protinus inquisitori reuelet. Quod si quispiam aliquid reuelauerit, scribendum est secretè per notarium, qui sequi debet inquisitorem. Alter verò inquisitor permaneat in loco, vbi eorum sedes fuerit: & ordinandis actibus processus præsit. Si autem illic nil sit, quod eum detineat, ne ocio sus sedeat; aliam quoque prouinciæ partem similiter visitabit. 5. instructio hispalen. cap. 2.
- 4 ¶ Hanc visitationem semper facere vicissim debent inquisitores per omnes populos prouinciæ suæ: & qui fuerint in hoc negligentes, officio priuandi sunt. c. excōmunicamus. 1. §. vlti. de hæreti. nec debent inquisitores, aut officiales in visitatione gratis hospites esse: maximè eorum, qui sunt de genere iudæorum, aut mahumetanorum. 4. instructio. toletana. cap. 19. Et pariratione cauere debent ab ædibus consanguineorum, affinium, & patronorum eorundem: quia non leuis amicitia contrahi solet ratione hospitij. Demum in visitatione possunt inquisitores compellere, vt iurent, ac testimonium dicant, quoscuque putauerint expedire. eodem cap. excōmunicamus §. adijcimus.
- 5 ¶ Per inquisitionem verò procedunt inquisitores, plerūque motu proprio ratione officij sui: & interdum ad alterius promotionem, vel denunciationem; idque vel generaliter, vel specialiter. Generaliter inquirunt in visitatione facta, vt prædiximus: & vbi cūque generalia edicta proponunt ad inquirendos occultos, & incertos hæreticos. Et hæc non exigit necessario præcedentem infamiam. Quod post plures ait Carerius tracta. de hæreti. nu. 110. Specialis inquisitio est, per quam specialiter de certis personis, & criminibus inquiritur. Et hæc fieri non debet, nisi præcedat infamia, quæ vicem accusatoris obtinet. cap. qualiter. de accusatio. Sed in hoc hæresis crimine inquiri potest propter solā suspitionem, & si diffamatio non præcedat, vt asserit Ponzinibus tractatu. de lamij. nu. 88. post scribētes in .c. cum oporteat. de accusatio.

cusatio. Vnde fit, vt procedi possit contra illum, qui ducit vitā singularem, dissidentem à communi conuersatione fidelium, etiam si nulla præcesserit infamia. Quod notant Cardinalis. Ioā. de anania, & Felinus in prædicto §. adijcimus. Sed hoc non nisi cum magna cautione, ac deliberatione fieri debet.

- 6 ¶ Præterea cum testes, vel denunciatores veniunt ad perhibendum testimonium; exhortandi sunt ab inquisitoribus, ne odio, inimicitia, vel quouis alio illicito modo falsum testimonium dicant. Item admonendi sunt, quā graue scelus committant falsi dicitur testes omnes: sed hi præcipue, qui de crimine impietatis innocentē infamāt. Quod si zelo fidei ac religionis se moueri affirmauerint, & vt satisfaciant inquisitorum edictis, & suam conscientiam exonerent; tunc scribenda sunt eorum testimonia coram honestis personis. Deinde conuenire simul debent inquisitores in locum; vbi se des est sancti officij; & collatis testium depositionibus, cōuocatisque, si opus fuerit, viris peritis; de captura reorum deliberabunt. vel si fuerit periculum fugæ in hac mora; velocius occurrere poterūt. hæc ferè statuta sunt. 4. instructio. toletana. cap. 20. & 5. hispalensi. c. 1. Reliqua ex huius fori consuetudine adiecimus.
- 7 ¶ Cæterū iā vbi testium depositiones examinatae sunt: quidam reorum verbaliter, alij realiter, pro criminum & personarū qualitate, citari debent. Verbalis citatio, quæ per literas fit, vel per nūcium, in causis leuioribus, vel nondum semiplenè probatis locū habet. Realis verò, quæ fit per capturam, in eos exercetur, qui de grauiore crimine magis cōuicti sunt. De qua plura diximus, cū de custodia reorū tractaremus. Citatio verbalis causam in genere continere debet, non autem in specie, vt rectè docet Brunus, qui eius formam prolixius refert, lib. 4. de hæreticis. cap. 6.
- 8 ¶ Quod si reus ex diuersis locis eodem tēpore vocatus fuerit ab episcopo, & ab inquisitore, vt coram vtroque de fide respōdeat, comparere potius debet coram inquisitore. hoc asserunt Archidiaconus, Ioan. andr. Dominicus. & Francus, in. c. per hoc. de hæreti. lib. 6. Ioan. de anania. & Felinus in. c. excommunicamus. 1. §. vlti. eodem titu. lib. 5. Ludo. care. tractatu. de hæreti. nu. 71. Fundamentum

- damentum eorum est: quia inquisitor præferri debet in causa fidei, cum sit in hanc rem specialiter à Papa delegatus. c. sanè. de officio. deleg. 1. c. studuisti. de offi. legati. iuncto. cap. vt commissi. de hæreticis. lib. 9. Vnde si episcopus pcederet iure delegato aduersus exēptos, vt in. c. ad abolendam §. vlti. de hæreti. tunc locus esset gratificationi. argumēto. l. si quis graui §. si cum omnes. ad fillania. cū similibus, quæ illic Igneus collegit. Sed in hispania semper inquisitores in hoc præferendi sunt, vt & alibi diximus.
- 9 ¶ Vocati itaque, aut capti rei, interrogari debent ab inquisitoribus de nomine, de genere, de quæ alijs eiusmodi. Deinde quærēt ab eis, nunquid sciant causam, qua vocati, aut capti sunt. Si statim confelsi fuerint veritatem, iam acta eorum causa est. admittētur enim ad pœnitentiam tunc, & in quocūque alio iudicij statu veripœnitentes apparuerint. quod fusius suo loco tractabimus. Sin autem responderint, se nescire, quam ob causam vocati, aut capti sint; tunc inquisitores adijcient, non esse consuetudinem sancti huius officij, sine iusta causa quempiam capere: proinde conscientiam propriam exonerantes, cogitent, atque considerent, an dixerint, fecerint ve aliquid cōtra fidem catholicam, & legem euāgelicā. Quod si adhuc negauerit, aut se nō recordari dixerint, iā admonitiōes, & exhortationes fieri debēt, sicuti mox dicemus.
- 10 ¶ Tunc igitur blandè admonendus est reus, & subinde adiurāndus, & exhortandus, vt verè, plenè, ac simpliciter, siquid impium commiserit, manifestet, ita vt nil veritatis prætermittat: neque aduersus alios, aut contra seipsum vllomodo falsum testimoniū dicat: quod si fecerit, misericordiam consequetur, quantam ius ipsum permittit: alioqui audietur promotor fiscalis, & fiet iustitia. Hæ autem admonitiones eodem tenore fieri debent intra decem primos dies post capturam. vt quarta instructio. toletana c. 6. cauetur. Quæ dilatio decem dierum cōcessa fuit Nestorio per Celestinum Papam, prout refert in proposito Alfonso lib. 2. de iusta hæreti. punitio. cap. 1. Fiunt verò exhortationes hæreticis, vt conuertantur, & viuant, iuxta doctrinam Pauli posterioris epistolæ ad Timotheum cap. 2. cum ait, Cum modestia corripientem eos, qui resistunt veritati: nequando det illis deus pœnitentiam

tiã, id est, si fortè aliquando illuminati à deo, pœniteant de errore, & resipiscant à diaboli laqueis, à quo captiui tenentur ad ipsius voluntatem.

11 ¶ Admoneri autem debent hæretici, vt, si fieri possit, ecclesiæ reconcilientur catholicæ, & reuocentur ad verã fidẽ. hæc enim est voluntas eius, qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Hoc denique velle se perhibet, qui non simpliciter, Capite vulpes: sed Capite, inquit, nobis vulpes paruulas. Sibi ergo & sponsæ suæ, hoc est, catholicæ ecclesiæ, iubet acquiri has vulpes, cum ait, capite eas nobis. Itaque qui hæreticũ admonet, illò intentionem suam dirigere debet, vt errantem conuertat: cogitans illud Iacobi apostoli cap. 5. Qui conuertifecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte, & operit multitudinem peccatorum. hæc diuus Bernardus super cantica, sermone. 64. Cuius quædam verba cõmutauimus, vt aptius nostro proposito deferuirent. Vide Alfonso lib. 1. de iusta hæretico. punitio. cap. 18.

12 ¶ Sed meritò quæritur, Quot monitiones fieri debeant hæretico? Alfonso contendit lib. 2. de iusta hæretico. punitio. cap. 1. duas tantum fieri debere. Quia non plures exigit Paulus in epistola ad Titum cap. 3. vbi & hoc sentit Theophilactus. Verum apostoli verba de correctione loquuntur, non autem de hac admonitione, vt post Augustinũ de anchona, docet Lupus in allegatione de hæresi §. 4. Vnde vsus iudicij huius habet, vt tres admonitiones intra decendium fiãt. Quod & regulare est in alijs multis criminibus, vt monitio trina exigatur, vt videre est in canone apostolorum. 32. in. c. deus omnipotens. 2. quæst. 1. in. c. omnes decimæ. 16. quæst. 7. in. c. de presbyterorum. 17. quæst. 4. in. c. cõtingit 2. de sentẽ. excommunicata. in. c. nouit. de iudic. in. c. de illicita. 24. quæst. 3. in. c. 1. de milite vasallo, qui contumax est. lib. feudorum. & alibi sæpe. Quinimò plures quàm tres monitiões fieri debẽt, si spes conuersionis subsit. Quod charitas suggerit, & exemplo non caret: prout videri potest in actione tertia synodi Chalcedonensis. Et iterum in actis septimæ synodi relatis à Gratiano 1. cap. conuenientibus. 1. quæst. 7.

Quòd

13 ¶ Quòd si admonitionibus & exhortationibus inquisitorum hæretici nil confessi fuerint, decimo die post capturam promotor fiscalis proponit accusationem, in quã reos de his criminibus accusat, quæ tẽtium depositionibus continentur. Supprimuntur tamen in accusatione nomina personarum, & locus, atque dies commissi criminis: reliqua verò nominatim exprimuntur. verbi gratia, promotor accusat Bucerum, dicẽs illum hæreticum esse, quia certo die presentis anni, coram certis personis, in quodã loco dixit, votum castitatis esse impossibile, ac proinde neminẽ obligare. cui cũ quidam ex his, qui hoc audierant, dixissent, hæc hæresim esse Lutheri, respondit Bucerus, non esse hæc hæresim, sed veram sententiam. vnde concludit promotor fiscalis, petens Bucerum hæreticum declarari, & grauioribus pœnis contra hæreticos statutis, puniri. Huius accusationis copia reo dari solet: cui protinus per articulos respondere debet, notario coram inquisitoribus responsum rei scribente.

14 ¶ Cui si adhuc persistit in negatione, datur aduocatus: qui nil ferẽ aliud facere solet, quàm contenta in accusatione negare, asserendo reum esse, ac semper fuisse catholicum christianum: id quæ ex pluribus eius pijs, rectisque operibus euidenter constare, vnde famam, & opinionem optimam apud omnes semper habuerit. Post hæc statim concluditur, & ad probandum dilatio à iudice cõceditur, intra quam reus suas exceptiones probat: & Promotor fiscalis, testes representat. Hi autem vocati, rursus adiurantur, & interrogantur diligenter. Ac primũ eis dici solet, nunquid sciãt, quorsum vocati sint. Qui si respõderint, quòd suspicantur, se vocatos esse propter testimonium, quod aliàs corã inquisitore perhibuerunt, tunc iterum interrogantur, an meminerint eius, quod antea dixerunt, & an id verum sit, & vtrum velint addere, detrhere, mutare, aut corrigere aliquid. & interim quicquid responderint, notarius ad verbum scribit. Nec solent his testibus priores depositiones ostendi, sed testimonia iterũ perhibent. Quod cautè obseruatur, vt inde appareat, vtrum vniformiter, an variè loquantur. nam vt in prouerbio est, Mendacem memorem esse oportet. Hæc autem ratificatio fieri debet coram duobus presbyteris.

teris. c. vt officium §. verum. de hæreti. lib. 6.

15 ¶ Cæterum si prædicti testes in aliquo variauerint; tunc leguntur eis priora testimonia, & subinde interrogantur, cur illa tam variè dixerint? & piè monentur, vt in vero testimonio persistant. aliâque omnia peraguntur, quæ prudentia, & experientia iudicum, pro personarum & rerum circumstantijs viderint expedire. Post hæc depositiones testiũ, suppressis nominibus tantum, reis ipsis exhibentur: quibus per articulos postea respondent, negando, aut confitendo. prius tamen per triduum secum ipsi deliberrant super dictis testimoniis: quo elapso, cum aduocato ea communicant: & ipse contra testes, & eorum testimonia, iustas exceptiones proponit. Et eiusmodi omnia, quæ in iudicio cum reis fiunt, scribenda sunt à notarijs, nullo addito, suppresso, aut mutato. nã ex his congruètius & certius iudices atque periti veritatem assequi poterunt.

16 ¶ Si verò reus his omnibus peractis, adhuc in sua negatione persistat; tunc iudices cū peritis deliberabunt, & iuxta merita causæ ad sententias, vel interloquutiones procedent. ita tamè, vt si reus plenè cõuictus fuerit, nõ ante iudici seculari tradatur; quàm per viros doctos, pios, & religiosos de salute animæ suæ plus semel commonetur. Interdum etiam reus absoluendus est, si per legitimas testimoniũ exceptiones, aut alio quouis modo, de innocentia illius constare potuerit. Aliquando ad quæstionem, vel abiurationem, vel purgationem, vel detrusionem in monasterium, vel relegationem, vel pœnam pecuniariam, vel orationes, eleemosynas, ieiunia, atque alia id genus pro personarum & criminũ qualitate reus damnandus est.

17 ¶ Illud verò, quod penè omiferam, diligenter iudices obseruabunt, vt reos nominatim interrogent, de socijs criminum, de parentibus, de cõsanguineis, de amicis, ac demum de his omnibus, à quibus hæreses didicerunt, & quos ipsi deprauarunt, aut hæreticos esse, vel fuisse sciunt. Si quid autem reuelauerint; id seorsim scribendum est in libris inquisitionum. Quod expressim cauetur in. 5. instructione hispalsensi. cap. vlti. Nec enim dubium est, quin liceat in crimine hæresis de socijs interrogare. Quia vergit impietas

impietas in maximam reipublicæ perniciem: & quia grauior est crimine læsæ maiestatis. Et ita Baldus asserit consil. 95. lib. 5. Driedo. lib. 1. de libertate christiana pagina. 228. Dominicus foto de ratione tegendi secretum membro. 2. quæst. 6. & est de mente doctorum in. l. repeti. de quæstio. & in. l. vlti. C. de accusatio. & alibi sepe. Id quoque notandum est, quòd reus & testis legitimè interrogati, tenentur semper dicere palàm iudici veritatem. Quia potissima pars iustitiæ est obedientia, qua subditi tenentur maioribus & magistratibus iusta præcipientibus obtemperare, vt Thomas docet. 2. secundæ. quæst. 69. arti. primo. & iterũ quæst. 67. arti. primo. & est recepta doctorum omnium sententia.

18 ¶ Cum autem in multis locis per iudices diuersos procedi possit aduersus hæreticos, vt alibi diximus, ille inquisitor, qui prior cognoscere cepit, alijs præferendus est. Ad quem inquisitores aliarum prouinciarum debent mittere testimoniũ depositiones: & quicquid aliud contra reos, ab illo inquisitore præuentos, habuerint. 3. instructio. vallisolitana cap. octauo. Sanè inter inquisitores locus est præuentioni, quia inquisitio succedit loco accusationis. l. diuus. cum similibus. de custo. reorum. Vnde quemadmodum præfertur in accusando is, qui præuenit. l. qui de crimine. C. de accusatio. sic etiam in inquirendo. Confert. l. 1. de officio consu. & l. si quis à multis. de noxalibus. vbi nuncupatim loquentes de inquisitoribus, hoc notant Dynus, & Florianus. Quod & Bonifacius asserit in clem. pastoralis §. nos tam ex superioritate. de re iudica. nume. 150.

19 ¶ Nec illud prætereundum est, quòd in crimine hæresis procedi debet simpliciter & de plano, & absque aduocatorum strepitu. c. vlti. de hæreti. lib. 6. quæ verba explicata sunt in clem. sæpe. de verbo. signifi. scilicet, ne sit libellus necessarius, nec litis contestatio, nec alia solennia iudiciorum, quæ magis ordinem, aut ritum processus, quàm substantiã causæ respiciunt. nec enim quicquam prætermittendum est, quo minus probationes necessarie vel defensiones legitimæ fiant. Quod prolixius tractat Bartolus in extrauagante. ad reprimendum. quomodo in læsæ maiestatis crimi. proceda. Oldradus consilio. 115. Socinus consilio. 54.

libro quarto. Corneus consil. 315. lib. 3. Felinus in. c. i. de libelli. oblatio. Brunus libro quarto, de hæreti. cap. quinto. Itaque procedendum est in his causis quanta fieri poterit breuitate: nec differri debent sub prætextu superuenientium probationum, quia fortè nunquam superuenient: cum interim certum sit, quòd rei capti, & eorum bona, maxima detrimenta patiuntur. Et ita multis instructionum capitibus continetur. 3. instructione Vallisolitana cap. 3. & iterum quarta Toletana. cap. sexto. & rursus quinta Hispalensi cap. sexto. Demum omnes inquisitores Hispaniæ eundem ordinem in procedendo seruare tenentur, vt prædicta instructione tertia cauetur cap. secundo.

DE PAPA. CAP. XLIIII.



M huius temporis perniciosissimi hæretici Papani summum pontificem in ordinem redigere, ac primatu expellere, impijs conuitijs, fallacibus argumentis, cauillationibus, mendacijs, verborum lenocinijs, & mille nocendi artibus, hucusque tentauerint, indiesque miris modis eadem conari non desinant: sentientes nimirum Petri gladium suis ceruicibus imminere, opere præcium me facturum putauit, si pauca quædam, quæ hanc hæresim euidentissimè destruunt, hoc loco summam perstringerem, in gratiam eorum iuris tyronum, qui nil præter Bartolum, aut Nicolaum abbatem legere solent: ne si quando in libros, aut colloquia hæreticorum inciderint; turbari eos, aut hæsitare contingat. Firmiter itaque asserimus, & simpliciter confitemur, summos pontifices canonicè electos, Petri successores legitimos esse, atque veros Christi in terris vicarios, eosque habere supremam in ecclesia potestatem. Quibus obtemperare in his, quæ ad fidem, & mores pertinent, & in spiritualibus obedire tenemur: si modo ad ouile Christi pertinere voluerimus.

¶ Ad hanc veritatem stabilitam oportet in primis Petri ipsius primatum

primatū ostendere. Quia ille fuit, vt verè dixit Eusebius, primus Christi vicarius, & christianorum pontifex. Ex multis autem locis sacræ scripturæ primatus Petri elicitur manifestissimè, sed ex illo potissimum cap. 16. Matthæi, vbi Iesus dixit Petro, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam: & portæ inferi non præualebunt aduersus eam: & tibi dabo claues regni cælorum. Et quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcunque solueris super terram, erit & solutum in cælis. Item ex illis verbis Ioannis. capit. vltimo. pasce agnos meos: & pasce oues meas. Et alibi ait, Ego orauit pro te, ne deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos. Præterea euangelistæ alijs apostolis eum præponere solent, ac multis prærogatiuis Petrum prælatum ostendunt. Sic à generalitate aliorum honoris gratia eximitur. Sic pro eo census soluitur. Sic ipse tanquam os & caput apostolorum sæpe domino nostro solus respondet. Sic Iesus ei nomen mutauit. Sic solus Petrus ad Christum super aquas venit, & misit se in mare: alij autem discipuli nauigio venerunt. Sic alijs mandatur, vt laxent retia sua: & soli Petro dicitur, Duc in altum.

¶ Præterea Petrus præ alijs apostolis fraternæ correctionis modum diligenter quæsiuit. Et alibi ad vniuersi orbis commodum ipse solus Iesum interrogauit, dicens, Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te, quid ergo erit nobis? Et instante passionis tempore soli Petro dixit redemptor noster, Non potuisti vna hora vigilare mecum? Volens ostendere, Petrum præ cæteris ex commissio sibi officio vigilare debuisse. Cumque multi discipulorum abiissent retro, dixit Iesus ad duodecim, Nūquid & vos vultis abire? Respondit ei Simon petrus, Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes. Et nos credimus, & cognouimus, quia tu es Christus filius Dei. Petrus insuper amputauit Malchi auriculam, & vt inquit Gregorius, ipse tollit gladio spirituali aurem interiorē male intelligentis. Ad extremum Iesus dixit Petro, sequere me. Quod non modo intellexit de genere martyrij, sed de ordine magisterij, vt ait Theophilus

lus. Et alius exponit, Sequere me, gerendo vices meas, & in officio pastorali, & in martyrio. hæc tenentur ex euangelij ipsis.

3 ¶ Post hæc in actis apostolorum plus eminentiæ datum est Petro, quam cæteris omnibus. Neque vllus fuit apostolus, qui præsentibus reliquis tanta fecerit, quanta Petrus. Ipse primatus officium exercuit in electione Mathiæ, & in concilio apostolorum. Ipse in die Pentecostes omnes apostolos defendit. Ipse loquutus est in concilio repletus spiritu sancto. Ananiam quoque & Saphiram solus Petrus sententia mortis damnauit. Simonem magum ipse confudit. Et quamplures iudæorum ad Christi fidem conuertit, multisque miraculis præ alijs claruit. Præterea Paulus eum superiorem cognouit, cum ascendit Hierosolymam, vt cum eo conferret euangelium. Ipse denique in fide ardentiore se omnibus præstitit. Quibus rectè perpenſis, omnes ecclesiæ doctores vno ore fatentur, Petrum apostolorum principem, & primum Christi vicarium in terris. A qua vniuersi orbis christiani recepta sententia, non nisi quidam hæretici, atque schismatici dissentiunt. Vide Gratianum à distinctio. decima septima vsque ad. 23. Ecchium libro primo, de primatu Petri. Fabrum, Rossensem, Albertos, piium, Pighium, & alios.

4 ¶ Quod autem omnes summi pontifices Petro successerint cū simili autoritate, & æquali potestate iurisdictionis super vniuersum orbem; probatur, & constat fundatissima ecclesiastica traditione, atque concordia orthodoxorum omnium sententia. Hoc quippe gloriosi martyres & pontifices multi testantur, hoc omnia iusta concilia fatentur, hoc omnes sanctissimi atque doctissimi viri concedunt: hoc denique totus orbis christianus semper agnouit. Sed vt aliquos nominatim referam huius veritatis assertores, qui scriptis suis hanc supremam potestatem agnoscunt, suscipiunt, & venerantur; hi nunc occurrunt: Clemens, Anacletus, Sixtus, Iulius, Anicius, Eleutherius, Zepherinus, Anterius, Fabianus, Marcellus, Melchiades, atque Cyprianus: martyres pōtificatesque sanctissimi, Polycarpus, Irenæus, Athanasius, Ambrosius

Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Optatus, cyrilus, Socrates, Amianus, Anselmus, Bernardus, Thomas, & alij multo plures. Hoc idem in omnibus sacris synodis generalibus, sacerdotalibus, & prouincialibus sæpiissime confessi sunt patres. Hoc & orientales omnes, quandiu schismatici non fuerunt, ingenuè fassi sunt. Hoc tandem Antipodas ipsos, & eos omnes, qui in remotissimis insulis, sub Hispanorum ditione degunt, hodie tenere, ac profiteri scimus. Vide supra commemoratos, & Cardinalem de Turre cremata, de potestate ecclesiæ. Pelagium in suo planctu. libro primo, arti. 60. Catharinum in speculo hæreticorum, consideratione tertia. Alfonso libro duodecimo, aduersus hæreses. Et Alciatū in epistola, Inter claras. C. de summatrinitate.

5 ¶ Et quamuis argumenta humana debiliora sint, quam vt in rebus fidei summa ope niti eis oporteat: quia tamen ingenia nostra solidis rationibus plurimum delectantur, quasdam efficaciores, quibus primatus pontificum attruitur, breuiter hic attingere libuit. Earum prima sumitur à similitudine militantis ecclesiæ, ad triumphantem. illa siquidem ad exemplar huius effigiata est. Vnde quemadmodum in ecclesia cælitum vnus deus hierarchiæ cælesti præest, vbi ipse ineffabiliter est omnia in omnibus, sic in ecclesia militante necessarius est summus pontifex, qui omnibus ecclesiasticis ordinibus præsit. Hac similitudine sacer Dionysius vtitur in ecclesiastica hierarchia. Hac etiā Bonifacius secundus in epistola ad Eulalium, vbi eleganter ostendit per diuinam sapientiam optimè constitutum, vt maiora minoribus subdatur, & omnes episcopi Papæ obediant. Eadem vtitur diuus Gregorius, & post eum Bernardus libro tertio de consideratione ad Eugenium. Hac denique vsi sunt patres in concilio romano sub Iulio secundo.

6 ¶ Deinde à synagoga ad ecclesiam, nempe ab vmbra ad suum corpus, à figura ad figuratum, ab imagine ad veritatem efficacis argumentationis locus est. Dicente Paulo prioris epistolæ ad Corinthios, cap. 10. omnia in figura contingebant illis. Et alibi ait, Lex vmbra habet futurorum bonorū, non ipsam imaginē

rerum. Sicut ergo in synagoga iudæorum præfuit vnus, qui princeps sacerdotum dicebatur, cui qui non obtemperabat, morte dignus erat, vt est in Deuteronomio. c. 17. Sic & in ecclesia Christi, quæ longè perfectior est, quàm fuerit Synagoga, vnus pontifex summus ponendus atque relinquendus erat. Hoc argumento vtitur Ecchius lib. 1. de primatu Petri cap. 27. Fufius & elegantius Campensis lib. 2. hierar. ecclesi. cap. 3.

7 ¶ Præterea regimen monarchicum omnium aliorum est optimum: iuxta quod. 2. Iliados Homerus ait, Non bonam multorum ditio, rex imperet vnus. Et verè Lucanus cecinit. Nulla fides regni socijs, omnisque potestas impatiens confortis erit. Quintus quoque Curtius ait, Imperium, quod sub vno stare potest, dum à pluribus sustinetur, ruit. Et generalius Origenes homilia nona in Ezechielem inquit, Principium malorum omnium est multitudo, & diuisio: principium verò bonorum vnio, & à turbis, à multitudine in vnitatem redactio. Sed & Cyprianus de idolorum vanitate ait, Quando vnquam regni societas, aut cum fide cepit, aut sine cruore desijt? romanos geminos vnus non capit regnum, quos vnus vteri cepit hospitium. Denique post Aristotelem libro tertio politicorum hæc est omnium rectè philosophantium sententia. Cum autem opera dei perfectissima sint, quis credet illum ecclesiæ suæ dilectissimæ regimen aliud reliquisse, quàm omnium optimum? Quod & ipse per Esaiam significasse videtur, inquit, Quid vltra debui facere vineæ meæ, & non feci? Confert illud Sapientis, qui de ecclesia inquit, terribilis est, vt castrorum acies ordinata. Item Ezechielis vaticinium cap. vigesimo septimo, Pastor vnus erit omnium. Et iterum cap. trigesimo quarto, Suscitabo super eos pastorem vnus. Et Iohelis cap. primo. Cōgregabuntur filij Iuda, & filij Israel pariter, & ponent sibi caput vnus. Vide Gregorium ad vniuersos episcopos Gallia, Leonem. 9. aduersus præsumptiones Michaelis, Bernardum libro tertio, de consideratione ad Eugenium, Tiracellum, de iure primogenitorum, quæstione quarta, numero vigesimo tertio.

8 ¶ His accedit & illud, quòd ecclesia catholica, quæ maxima vnitatem

vnitatem coniuicta est, sine vno supremo capite, cum quo visibiliter in terris cōuerfetur, villo pacto consistere nequit: nō magis, quàm reliqua omnia corpora naturalia & mystica. Omnis enim multitudo vt subsistere possit, ordinari debet per vnus aliquod principatum obtinens. Neque regnum sine rege, neque exercitus sine duce, neque ciuitas sine præfide diu permanere possunt. Quod non tantum recta ratio, & rerum experientia docuit, sed naturæ quoque ordo id ipsum euidenter ostendit. Nam vt Basilus de præceptis religiosorum inquit, Planetæ inferiores subsunt superioribus, & animalia brutaque ducem sequuntur. Auis item vna cunctas ducit. Apes in ministerio regi obediunt. In corporibus quoque animantium, caput cætera tuentur & venerantur membra. Et in partibus animæ rationi appetitus subiicitur: quòd si ab eo desciat, in præceptis non solum animam, sed & corpus trahit. hætenus ille. Cui consonat Hieronymus ad Rusticum monachum in cap. in apibus. 7. quæst. 1. Denique sine capite, nullus ordo: sine ordine, nulla multitudo subsistit, vt eleganter docet Nazianzenus oratione. 21. & Campensis lib. 2. hierar. ecclesi. cap. 2. & rursus in apologia cōtra Bucerum. Adde Senecam lib. 1. de clementia, pagina penultima.

9 ¶ Præterea inuitabilis necessitas rerum contingentium in ecclesia, primatum desiderat. Nam quoties de fide, aut religione, aut intelligentia sacræ scripturæ quæstiones emergunt; necessariò supremus aliquis iudex ad eundem est, cuius inuitabile sit iudicium: qui possit ecclesiasticas lites, inter ipsos etiam episcopos subortas cōponere, & contumaces punire: alioqui neque vnani fidem & religionem haberemus omnes, neque vnquam foret vllus contentionum & controuersiarum finis: sed schismata, & hæreses vniuersam ecclesiam conturbarent: essetque deformior & fœdior christianæ reipublicæ facies, quàm alterius cuiusuis aut sectæ, aut superstitionis. Vnde proculdubio illud eueniret ecclesiæ, quod capite vltimo Iudicum dicitur, In illis diebus non erat rex in Israel, sed vnusquisque quod sibi videbatur bonum, faciebat. Quod non obscure Cyprianus inquit libro quarto, epistola nona, inquit, Vnde schismata &

hæreses obortæ sunt & oriuntur, nisi dum episcopus (nempe summus pontifex) qui vnus est, & ecclesiæ præest, superba quorundam præsumptione contemnitur. Diuus quoque Hieronymus aduersus Luciferianos ait, Ecclesiæ salus in summi sacerdotis dignitate pendet: cui si non exors quædam, & ab omnibus eminens detur potestas; tot in ecclesijs efficiuntur schismata, quot sacerdotes. hæc ille. Quæ rerum euidentia hodie in Germania docet. Vide Catharinum in secunda clauæ scripturarum prope finem.

10 ¶ Deinde verba illa omnia, quibus Iesus deus noster promisit Petro clauæ regni cælorum, & illi dedit iurisdictionem supremam, & vniuersalè ligandi atque soluendi: præterea illa, quibus Petro commisit omnes oues suas, & cõstituit eum summum pastorem: & ea denique verba, quibus priuilegium illud prorsus diuinum impetrauit Petro, ne fides eius vnquam deficere posset: hæc, inquam, omnia credenda sunt Petro dicta, non quasi piscatori, aut homini post paucos annos morituro, sed potius tanquam apostolorum principi, & ecclesiæ catholicæ antistiti summo: ac p̄inde cum vita Petri extincta non fuerunt, sed ad omnes eiusdem dignitatis legitimos successores eodem iure diuino transferunt. ea enim quæ dignitati conceduntur, morte cuiusquam non pereunt, sed ad omnes successores illius dignitatis transeunt. c. quoniã abbas. de officio. delega. l. mortuo. l. p̄poncbar. de iudicijs. c. simili.

11 ¶ Quæ veritas cõprobatur ex eo, quod Christus ecclesiam suam instituit & ordinauit, vt esset in seculum seculi duratura, iuxta diuinum illud vaticinium Esaiæ cap. 9. Super solium Dauid, & super regnum eius sedebit, vt confirmet illud, & corroboret in iudicio & iustitia, à modo, & vsque in sempiternum. Sed ipse ædificauit ecclesiam super Petrum, vt sæpe diximus. Consequens ergo fuit, vt eo mortuo, alius post alium cum pari autoritate, ac potestate semper subrogaretur, sicuti & in veteri lege semper fuit aliquis summus sacerdos. Neque minus diligit nunc ecclesiam suam Christus, quam tempore Petri dilexerit. Quid, quod longissimè distat à diuina sapientia, talem primatum in ecclesia sua creare, qui in ipso statim exordio periret, & cum primo pontifice extingueretur. Ad extremum eadem ratio, qua Petrus factus fuit

fuit princeps ecclesiæ, militat in successoribus eius. Imò verò post Petrum longè magis necessarius fuisse videtur primatus ille: tum, quia in ipso initio christianæ religionis per alios apostolos atque discipulos potuisset ecclesiæ melius cõsuli, quam illis defunctis: tum etiam, quia postea maior, diffusiorque facta fuit ecclesia: & plures subortæ sunt hæreses, maiorque schismatum occasio successit.

12 ¶ His itaque pro rei dignitate breuissimis fundamentis præmissis, alijsque pluribus consultò prætermisissis, quibus autoritas suprema pontificum euidentissimè demonstratur; opere præteritum erit, consimili breuitate tractare, qua via, quæ ratione in ea dignitate antistites summi hucusque successerint: quãdoquidem id iure diuino expressè cautum non inuenitur. Igitur in summa hoc nobis certissimè constat, omnes ferè summos Pontifices, solenni electione sibi inuicem successisse: nonnullos etiam à suis prædecessoribus fuisse designatos. Quod aliquando in primitiua ecclesia factum fuit, ea fortasse ratione, quia tunc fideles non habebant liberam facultatem eligendi, propter gentilium, & tyrannorum persequutiones: vel quia sic eo tempore magis fieri oportebat propter alias iustas causas.

13 ¶ De Petro ipso imprimis scimus, Clemetem sibi successorem elegisse: tametsi quidam de hoc malè dubitare videantur. Aduersus quos extat epistola ipsius Clementis ad Iacobum fratrem domini, cuius verba sunt, Sicut mihi gubernandi tradita est à domino meo Iesu christo potestas ligandi, soluendique; ita & ego tibi committo, vt ordines dispositores diuersarum causarum. Hoc etiam testatur Alexander primus in epistola ad omnes orthodoxos. Et Ioannes tertius in epistola decretali ad vniuersos episcopos Germaniæ & Galliæ. Quod similiter Aegesippus testatur. Adrianus quoque primus cõcilio grecorum scripsit, Petrum diuino iussu autoritatem potestatis, & pastoralem curam successoribus suis reliquisse. nec fas est opinari, fecisse illum id, quod facere non debuit, nec potuit. vid. cap. si petrus. & seq. 8. quæst. 1.

14 ¶ Quod si Petrus nil de successore sibi prouidisset, aut hodie omnes cardinales bello, peste, aut alio casu simul perirent; ecclesia nihilominus haberet potestatem eligendi summum pontificem.

cem. Quia cum ea dignitas à Christo creata sit, vt perpetuò duret in ecclesia; consequens est etiam, vt ecclesia semper habeat electionem: alioqui fieri posset, vt perpetuò vacaret sedes apostolica: vnde consequeretur deteriorem esse conditionem ecclesiae, quam cuiusuis alterius reipublicae. Quod si talis casus eueniret, tunc ius eligendi Papam ad solos episcopos pertineret: quia illi sunt pastores, quibus post antistitem summum, tota rerum ecclesiasticarum administratio iure diuino concessa est, quippe cum successerint in locum apostolorum. c. in nouo. 21. distin. cap. vlti. 68. distin. Sed hodie cardinales eligunt Pontificem summum, quod ecclesia spiritu sancto inspirante multis constitutionibus decreuit. c. in nomine. 23. distin. c. licet. de electio. c. vbi periculum. eodem titu. lib. 6. & item in clem. ne romani. Vide Thomam vualden. in doctrinali, tomo. 1. lib. 2. cap. 39. Driedonem lib. 1. de libertate christiana cap. 2.

15 ¶ Hæc autem sententia memoratu digna est, fidem, ac definitionem sedis apostolicæ principium esse certissimum indubiæ veritatis eorum, quæ certa fide tenenda, credendaque nobis sunt. nõ enim dissensit vnquam à sententia catholicæ ecclesiae, imò etiam cum sacris literis, & apostolicis, ecclesiasticisque traditionibus semper ei conuenisse compertissimum est. Tria itaque principia potissima, vnde catholicam fidem cognoscimus atque colligimus: quibus omnem prauitatem hæreticam confundimus, atque damnamus, hæc sunt: scriptura canonica, traditio ecclesiastica, & apostolicæ sedis definitio. Verum quia hoc vltimum scholastici quidam theologi fallacibus argumentis impugnare conantur, non sine magno totius ecclesiae dispendio, quippe qui fidem catholicam magna sui parte defraudant, debilitant, & eneruant: vnde promptissimam occasionem cunctis hæreticis præbent confundendi, ac peruertendi omnia; idcirco veriorum & receptiorum sententiam sequuti, pauca quædam breuissimè subiiciemus, quibus veritas ipsa patere possit euidentissimè.

16 ¶ Imprimis itaque multorum pontificum sanctorum, & martyrum sententijs constat, cathedram apostolicam ab ipso deo Christo tali priuilegio in persona Petri fuisse donatam: vt sicuti nunquam

quam errauit hætenus, sic in finem vsque seculi, fidem eius nunquam defecturam, certissimè nobis persuaserint. Quod scriptis suis constanter asseruerunt antistites multi sanctitate, doctrina, & antiquitate venerandi: scilicet, Lucius, Sixtus, Felix, Marcus, Eusebius, Euaristus, Alexander, Iulius primus, Bonifacius secundus, Agatho, & Leones duo, primus, & nonus. Quorum verba præmittimus, vt breuitati consulamus, vno tantum, aut altero testimonio contenti. Planè Leo ille maximus inquit, Venerabilis & efficax oratio Christi obtinuit, quòd hætenus fides Petri non defecit, neque defectura credatur in throno illius in seculum seculi: sed confirmabit corda fratrum, sicut hucusque confirmare non cessauit. Leo quoque nonus contra Michaelem cap. 7. sic ait, Nonne à sede principis apostolorum, tam per eundem Petrum, quam per successores suos, reprobata, conuicta, atque expugnata sunt omnium hæreticorum cõmentia, & fratrum corda in fide Petri, quæ nec defecit, nec vnquam deficiet, sunt confirmata? hæc ille.

17 ¶ Cui sententiæ consonant in multis concilijs sanctorum patrum testimonia quæ plura. Hoc enim agnouit Alexandrina synodus, sub Athanasio. Et ecclesia Carthaginensis temporibus Bonifacii secundi. Concilium Alexandrinum in epistola synodali ad Felicem. Magna synodus Chalcedonensis. 6. synodus generalis, & octaua similiter. Hoc etiam testati sunt omnes episcopi Tarracoenenses ante mille annos. Et vniuersi episcopi Numidiæ ante mille ducentos. Quibus accedunt Ireneus, Cyprianus, Athanasius, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, & cæteri. Sed vnius diuini Bernardi verba præterire non potui, qui ad Innocentium scribens ait, Oportet ad vestrum referri apostolatam pericula quæque, & scandala emergentia in regno dei: ea præsertim, quæ in fide contingunt. Dignum nanque arbitror, ibi potissimum resarciri dàna fidei, vbi non possit fides sentire defectum: hæc quippe est huius sedis prærogatiua.

18 ¶ Hæc eadem sententia manifestè probari videtur ex illis Christi verbis, quæ scripsit Lucas cap. 22. Ecce satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum: ego autem rogavi pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos. Item

ex illis verbis Marthei cap. 16. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam: & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Quæ verba non tantum pro Petro dicta sunt, sed etiã pro summis pontificibus, legitimis Petri successoribus. Quorũ fides in officio illo pastorali non defecit, nec deficiet vnquam. Et portæ inferi, hoc est, hæresis, infidelitas, & erronea fides, non præualebunt aduersus hoc fundamentum ecclesiæ. Præterea si sacerdoti legali concessum erat in veteri synagoga priuilegium hoc, vt in rebus fidei, ac religionis iudicaret semper iudicij veritatem. quod cap. 17. Deuteronomij continetur: multò magis credendum est, concessum id fuisse pōtifici summo, qui præest apostolicæ cathedræ, quam elegit dominus.

- 19 ¶ Hanc veritatem catholicæ ecclesiæ consensu & autoritate fulcitã, rationes quoque multæ viuæ, atque spirantes comprobāt. Nam omnis de fide quæstio ad summum pontificem referenda, & iudicio eius decidenda est. cap. quoties. 24. quæst. 1. c. maiores. de baptis. c. cuncta. 9. quæst. 3. Quod si is diuino illo priuilegio munitus non esset, malè quidem consultum foret ecclesiæ in tantis procellis errorum, & hæresum. Si Papa vt vnus nostrum errare permitteretur in fide, quorsum quæstiones fidei iudicio eius erant committendæ? Quomodo potest ceteros fratres confirmare, qui æquè labi potest, vt illi labuntur? Multa præterea ex opinione contraria consequerentur absurda. Quippe nullus teneretur definitioni pontificis credere in rebus fidei: nec ecclesia facile suum finem attingere posset, nempè tenebris & hæresibus cōfusa, & inuoluta: plurima suborirētur schismata, nec haberemus omnes vnã fidem, deficeret caput à corpore, nec vllus esset hæresum finis. Sed melius res habet: noluit Christus fidem apostolicæ sedis deficere: quod ipsa rei euidentia, & subsequutis effectibus planè intelligimus. Quandoquidem consilium hoc diuinum nil hactenus dissoluere potuit: non schismata, non hæreses, non mors, aut vincula, non odium, non amor, non timor, nō corruptissimi mores: nil horum, inquam, efficere potuit, vt sedes apostolica quidquam definiret hæreticum. Nunquid non dicere possumus, verè digitus dei est hic? vide. c. à recta. & seq. 24. q. 1.

Campensem

Campensem lib. 4. hierar. ecclesiasticæ. & posteriores cōtrouersias Mirandensis.

- 20 ¶ Nec tantum in controuersijs fidei Papa supremus iudex est, verum etiam in rebus ecclesiasticis, & spiritualibus ipse summus princeps est: ad quem omnes Christi oues in his rebus confugere, atque appellare possunt. c. si quis vestrum. & seq. 2. quæst. 6. Eius curæ atque regimini Christus ipse subiecit fideles vniuersos, quando suas oues illi pascendas commisit. Hunc omnes reges & principes venerari, & adorare tenentur: iuxta vaticinium illud ab Esaiã prænunciatum. cap. 60. Reges eorum ministrabunt tibi. Et post pauca, Gens, & regnum, quod non seruierit tibi, peribit. Ab eo quoque cepit, & ab eo pendet iustum romanorum imperium. Quod Leo tertius transtulit à Græcis ad Germanos. c. venerabilem. de electio. Imperij electores constituit Gregorius quintus. A summo quoque pontifice cōfirmatur electus, inūgitur, consecratur, & coronatur, qui solenniter pontifici iurat. c. tibi domino. 63. distin. clem. 1. de iureiuran. Quidam etiam summi antistites damnarunt imperatores rebelles. Sic Innocentius quartus Federicum secundum condemnauit. Gregorius septimus Henricum quartum deposuit. Innocentius tertius Philipum reiecit, & confirmauit Ottonē. Quod similiter fecit Clemens sextus, eiciens Ludouicum Bauarum, & Carolum quartum in eius locum electum confirmans.

- 21 ¶ Quamuis autem ecclesiastica potestas distincta & separata sit à seculari: & papa iurisdictionem ciuilem non habeat super christianorum principum regna. c. cum ad verum. cap. duo sunt. 96. distin. c. si duobus & vlti. de appellatio. nihilominus tamen in ordine ad finem spiritualem, habet pontifex amplissimam potestatem super omnes principes orthodoxos. Vnde si quispiam rex, aut princeps christianus inutilis esset, aut iniquas leges conderet aduersus religionem, aut quippiam simile faceret in detrimentum rerū spiritaliū; posset pontifex, seruatis debitis circumstantijs, congruum remedium adhibere: priuando etiam talem principem administratione atque iurisdictione, si hoc res ipsa postularet. Quod Zacharias fecit cum rege Francorum Childerico, & Innocentius

Innocentius quartus cum rege quodam Portugalliae. c. alius. 15. quæst. 6. c. grandi. de supplenda. negligenti. prælato. Quæ nisi pontifex maximus posset, manca proculdubio esset eius potestas, nec satis perfecte Christus prouidisset rebus spiritualibus. Sed cum res publica spiritualis perfecta sit, & sibi sufficiens: si alio modo se ipsam indemnem seruare nequiret, prædicta omnia, & alia facere posset ad suum finem necessaria, exercendo etiam iurisdictionem in eos, qui alioqui in temporalibus sibi subiecti non essent: quandoquidem id naturali iure cuicumque principi cum aliena republica licet.

22 ¶ Comprobatur hæc alijs quoque rationibus urgentissimis. Nam finis temporalis potestatis dependet quodammodo à fine potestatis spiritualis. felicitas enim humana, quæ illius potestatis finis ultimus est, utpote imperfecta, in beatitudinem supernaturalem ordinatur, tanquam in sui perfectionem, & summum omnium bonum. Ergo si ab illo fine deuias, rebus spiritualibus obstat, rectè à supremo spiritualium principe moneri, dirigi, & coerceri iure diuino & naturali potest. Deinde cum Christus ipse omnes oues suas pontifici summo regendas commiserit, cum potestate ligandi, atque soluendi: consequens etiam est, ut omnia illi concessa credamus, quæ necessaria sunt ad id munus perfecte obeundum. l. 2. de iurisditio. omni. iudi. c. præterea. de officio. delega. poterit igitur omnes christianos ad unitatem & concordiam cogere, delinquentes punire, excessus corrigere, officio inutiles amouere, controversias definire, lites componere: denique alia omnia ecclesie necessaria ordinare, dirigere, atque statuere.

23 ¶ Neque id mirum videri debet in suprema omnium potestate: quandoquidem cuicumque profanæ potestati multa quoque alia his non dissimilia competunt. nulla quippe iurisditio est sine coercionem. l. vlti. de offi. eius. Vnde magistratibus quoque vniuersis secundum ius potestatis suæ concessum est, iurisdictionem suam defendere pœnali iudicio. l. 1. si quis ius dicen. non obtempera. & omnes reges ac principes inter sibi subditos iustas leges cedere possunt. l. 1. de constitu. principum. multo magis ea facere poterit supremus ecclesie princeps, qui non à populo potestatem accepit

accepit, sed ab ipso Deo Christo redemptore nostro. Iure itaque Papa nec dum leges iustas circa spiritualia condit, sed etiam leges seculares iniustas, spiritualibus contrarias moderatur, corrigit, & eneruat. Hinc prodierunt sacri pontificum canones: de vfuris, de secundis nuptijs, de malefidei possessoribus, de quæ alijs innumeris.

24 ¶ Sunt autem leges pontificum, post sacras literas, & ecclesiasticam traditionem, supremæ autoritatis in ecclesia, ut satis ex superioribus liquet. Vnde manifestè relinquitur, iniuria reprehensum esse Gratianum ab Alfonso castrensi, qui lib. 1. aduersus hæreses cap. 2. propterea illum arguit, quod in principio vice simæ distinctionis dixerit, epistolas decretales canonibus conciliorum pari iure exæquari. Nam cum sit suprema Papæ potestas, non est cur eius decisiones canonibus conciliorum postponantur. Quod & apertius ex his, quæ supra de concilijs diximus, constare poterit. De hac verò ecclesiastica potestate diffusè scripserunt multi: sed videre potes Cardinalem hispanum in summa, episcopum Abulensem super lib. numerorum cap. 15. quæst. 48. Scotum, Durandum, Marsilium. Ricardum, Gabrielem, & ingens agmè in lib. 4. senten. distin. 18. sed rectius ac melius hoc tractat Campensis libro. 5. hierar. ecclesiasticæ. & Hermaletmatius libro septimo de instauranda religione.

25 ¶ Et quia impius Lutherus post antiquiores hæreticos patrimonia pontificum & episcoporum diripienda esse docebat: id nimirum intendens, ut autoritas & potestas ecclesiastica in totum perirent. nam spiritualia sine temporalibus diu esse non possunt. c. si quis obiecerit. 1. quæst. 3. ideo pauca quedam non inutilia breuiter de hoc subiiciemus. Et primum, quod post Vallam Constantini donationem infringere conantur, ut vfurpata, & non potius iure possessa illa bona omnia suadeant. Quicquid ex historijs proferant, habemus certiora, validioraque aduersus eos testimonia. in. c. futuram. 12. quæst. 1. in. c. constantinus. 96. distin. in. c. fundamenta. de electio. lib. 6. in. l. diui. C. de natura. liber. Quæ verissima esse probatur, mille ducentorum circiter annorum totius ecclesie consensu, atque ipsa rei euidencia. Nec solus Constantinus

tinus patrimonium Petro donauit, sed & Arithpertus, & Luithprandus Longobardorum reges. Pipinus quoque, & Carolus magnus, Mechtildes, & alij multi magnis donationibus illud locupletarunt, vt eleganter Campensis dixerit lib. 5. hierar. eccle. cap. vlti. Vide Alciatum lib. 7. parergon iuris. cap. 19. Gratianum. 12. q. 1. Alfonso lib. 6. aduersus hæreses. titu. de ecclesia. hæresi. 4.

26 ¶ Habet itaque iam nunc romana ecclesia sub antistitum sacra ditione, magnum, iustumque principatum: nedum legitimis titulis quesitum, sed diuina etiam prouidentia ordinatum. Aeterna quippe dei sapiëntia, humani ingenij, morumque nostrorum cõscia, sanè intelligens, carnalibus hominibus (vt est pars maxima ecclesiæ) non satis reuerendam, & venerabilem fore sacrosanctã pontificum autoritatem, à qua regivoluit vniuersam ecclesiam: si abiecta lateret in paupertatis sordibus, externarum rerum affluentia eam extulit & sublimauit, vt omnibus etiam principibus esset venerabilis, nocentibus, & sceleratis metuenda. Quod hodie in reliquis episcopis, atque prælatis, & sacerdotibus necessariũ esse nõ ambigimus. Nõ enim magis eos, quàm reges, aut principes, aut seculi milites, paupertatis iugo onerauit Christus. Nec minus in rectoribus ecclesiæ, quàm in magistratibus secularibus necessarius est rerũ externarũ splendor, si modo & veneranda, & metuenda esse debet eorum autoritas. Quam doctrina tantum, aut moribus, aut vitæ exemplo, & si quispiam diui Petri sanctimoniam haberet, tantam deploratissimo hoc seculo assequi, aut tueri, quãta necessaria est, nullus quidem vnquam poterit. vide Aristotelem. 2. politi. cap. 9.

27 ¶ Nunquid nõ passim videmus titulares episcopos, quos annulorum vocat, & clericos mercenarios paupertate vilescere, ac veluti ludibrio haberi? diuites atque potentes è regione cernimus cunctis esse venerandos. Paupertas quidem, vt ille ait, ridiculos homines facit, & vbi que iacere. Nil ex seipsa paupertas habet magna commendatione dignum, nec vituperatione diuitiæ. Absit ab animis fidelium, inquit Ambrosius, tam irreligiosa persuasio: vt cuiquam sanctorũ, quibus Deus & diuitias est largitus & honores, verè humilitatis meritum credatur, vel opulencia offuisse,

vel

vel dignitas: cum eis ad huius virtutis profectum vtraque profuerint. Quamuis enim tota vita hominis tentatio sit super terram: & tam abundantia, quàm inopia, materia soleant esse peccati: cū vel diues extollitur ad superbiã, vel pauper profilit ad querelam: extiterunt tamen in omnitemore, & in nostra quoque ætate nõ defunt, sicut & boni pauperes, ita & boni diuites. hæc ille.

28 ¶ His adde, quod Ecclesiastes. c. 7. scriptum reliquit, Vtilior est sapientia cū diuitijs, & magis prodest videntibus solè. Sicut enim protegit sapientia, sic protegit pecunia, cui obediunt omnia. sicuti. c. 10. Ecclesiasticus ait. Et rursus. c. 13. Bona est substantia, cui non est peccatũ in cõscientia. Sanè vt verè Plato lib. 1. de legibus. inquit, Diuitiæ cæcæ nõ sunt, sed acutè cernunt, si prudentiam sequantur. Quod & lib. 1. de republica docet. Et Aristoteles lib. 1. ethicorum. c. 8. ait, Fieri non potest, aut non facile fit, vt is res agat præclaras, cui defunt facultates. Quia, vt alius inquit, Plurimum virtutibus obstat res angusta domi. Pindarus quoque asserit, diuitias, si cum sapientia coniunctæ sint, præstantissimas esse. Nec ab his dissentit Horatius, inquit, Vxorem cū dote, fidemque, & amicos, Et genus, & proauos regina pecunia donat. Sed & Ambrosius in Lucã lib. 8. rectè docet, non in facultatibus crimen hærrere, sed in his, qui eis vti nesciunt. sunt enim bonis atque sapientibus materia, adiumenta, & incentiua virtutum. Cui subscribit Gregorius lib. 10. in Iob. cap. 28. addens exempla Abraham, Moyse, Dauidis, & aliorũ: qui diuites, atque amicissimi deo fuerunt. Et Leo ille magnus in sermo. 5. de collectis inquit, Diuitiæ bonæ sunt, & humanę societati plurimũ profunt, cū à benèuolis habentur & largis, nec illas aut luxuriosus prodigit, aut auarus abstrudit. In summa diuitijs vt edũ est secundum frugalitatem, ad vsum possessoris, & ad proximorum commodum, per liberalitatẽ & misericordiam. denique redemptio animæ viri diuitiæ eius: quoniam qui pauperi donat, redimit animam suam.

29 ¶ Verũ vt eo redeã, vnde digressus erã, quãuis dubiæ quæstiones, quæ in fide aut religione oriuntur ad summũ põtificè referendæ sint. c. quoties. 24. q. 1. c. maiores. de baptismo. inferiores tñ plati eas interdũ decidere poterũt, qñ piculũ esset in mora, iuxta qd elegãter

x asserit

asserit Hermas lib. 2. de instaurada religiōe. c. 9. cuius verba sunt, Si vero quis aliquod dogma in vulgus sparserit, de quo dubitari possit, hæreticum ne esset, an religioni consentaneum; huius iudicatio est summo societatis religiosę tribunali reseruanda: vt sapientissimę potestati difficillima detur quæstio excutienda. Nec enim prius inferioris dignitatis personis libera de his sententia dabitur, quàm super iam diuulgato dogmate, ita suprema potestas pronunciarit, vt de re iudicata nulla amplius supersit ambiguitas. Si tamen illi, quibus harum rerum summa commissa est, seram sint allaturi opem: & periculum sit, ne ipsum negotium in peius serpat; erit interim inferiori potestati huius suspecti dogmatis discussio permittenda: vt tamen illi, cum res postularit, superioribus iudicibus eam committat. Hoc propterea cautum, ne dum superiorum censura spectatur, populo christiano pestilens doctrina pro sano dogmate diuulgetur. hætenus ille. Quod in prouincialibus concilijs sæpissimè factum fuisse animaduertimus.

30 ¶ Adde, quòd si ex qualitate, aut multitudine suspectorū timeretur graue scandalū, non debent inquisitores aduersus illos procedere, Papa incōsulto. c. inquisitores. de hæreticis lib. 6. vbi hoc notarunt Ioan. and. & Francus. Hispani verò inquisitores consulere debent proceres huius senatus in oībus grauioribus causis. 4 instructio. toletana. cap. 21. Vide Guil. occam. lib. 2. dialogorum. cap. 18. cum seq. Gonsalum tracta. de hæreti. quæst. 7. Alfonso. lib. 1. aduersus hæreses. cap. 8. & iterū lib. 1. de iusta. hæretico. punitio. cap. 5. & deinceps.

31 ¶ Illud autē prætereundū non est, quòd si papa cōcesserit aliqua rescripta in præiudiciū officij sanctę inquisitionis; ea sunt obtēperanda, sed nō exequēda. Ergo supplicādū est ab eiusmodi rescriptis, vt papa rectius instructus a regio legato ea reuocet, & emēdet. nec enim verisimilè est, quòd sumus pastor ecclīę quippiā cōcedere velit in detrimētū fidei, aut in fauorē hereticorū. 2. instru. hispalē. cap. 3. Quinimo vt Hostiensis & Ioan. andre. in cap. proposuit. de concessio. præben. & Florianus in. l. sed & loci §. 1. finiu regū. aiunt, Si Papa præcipiat aliquid, quod sapiat hæresim, vel turbet

statum

statum ecclesię; non est ei obediendum. refert Carerius in tracta. de hæreti. nu. 99. Et generaliter quæcunque contra ius, & æquū, per obreptionem, aut subreptionem, vel importunitatem, vel pecuniā, illicitè à summo pontifice impetrantur, & extorquentur; exequenda non sunt, sed ad eundem pontificem referenda, iuxta decisionem textus, & quæ illic plenius notantur in. cap. si quando. de rescript.

32 ¶ Inde etiam fit, vt si quid nobis adducatur contra ius patronatus laicorū, aut in detrimētum beneficiorū patrimonialium, vel simile quippiā, aduersus concessiones pontificū, & contra publicum bonū; id manu regia retineri & emendari solet. nā & regū officium est ab his iniurijs subditos suos liberare. c. filijs. 16. quæst. 7. cap. regum. 23. quæst. 5. Et iure naturalis defensionis licet secularibus potestatibus, cū moderamine inculpatę tutelæ, hoc est, salua semper in omnibus summi pontificis autoritate, ac veneratione, obuiare abusui notorio ecclesiasticę potestatis: ne pax publica perturbetur, & ne commune bonum detrimentum patiatur. Quod fusius diserunt Stephanus aufrerij de potestate secularium, regula. 2. Guillelmus in. c. rainutius. de testamē. parte, & uxorem. nu. 454. Martinus noster nauarrus in. c. cum contingat. de rescript. in primo remedio, fundamento decimo. breuius & elegantius Hermas lib. 7. de instauranda religione. cap. 25. ad finē. Id quoque notandum est, quòd principes seculares possunt resistere papæ dissipanti ecclesiam, etiam in administratione rerū spiritualium. vt puta, si nollet beneficia ecclesiastica nisi pro pecunia concedere: tunc enim iustè negari potest possessio emptoribus, & allegare aduersus illos, quòd per simoniam illa beneficia obtinuerunt. est quippe laude dignū resistere huiusmodi abusui congruis remedijs, non obediendo in malis, non adulando, non tacendo, arguendo etiam, exemplo Pauli. c. vlti. epistolæ ad Colossē. Hæc ex Caietano libro de potestate papæ capit. vigesimo septimo. quæ nō improbat Francis. victoria in priore relectione de potestate ecclesiastica prope finem.

33 ¶ Postremò, si Papa hereticus esset, accusari posset corā gñrali cōcilio. c. si papa. 40. dist. Et illic Prepositus, & ceteri notāt. Quod si

x ij moriatur

moriatur hæreticus, accusabitur coram successore. 24. quæst. 1. c. 1. Tradunt Archidia. Ioan. andr. Anchara. Domini. & Francus i. c. in fidei. de hæreti. lib. 6. Albericus in rub. C. de hæreti. Guil. oc cam. lib. 5. dialogorū. & seq. Gonsalus de hæreti. quæst. 7. Decius consil. 151. Carerius de hæreti. nu. 99. Sed lōge melius hoc tractat Caietanus lib. de potestate papæ. cap. 18. cum seq. & elegātius Albertus Pighius, Cāpēsis lib. 6. hierar. ecclesi. c. 14. & deinceps.

DE POENIS. CAP. XLV.



NVLLO vnquam seculo inuentus est, qui negaret, oportere crimina coerceri, ne nimium multiplicarentur: vt quos virtutis amor non alliceret ad benè faciendum, eos saltem pœnarum formido à delinquendo absterreret, atque omnium documentum sint: & qui alicui noluerunt prodesse, morte certè eorum respublica vtatur. Quod eleganter scripsit seneca lib. 1. de ira. Vnde Isidorus lib. 5. etymologiarum cap. 20. inquit, Ideo factas esse leges, vt earum metu humana coerceatur audacia, tutaque sit inter improbos innocentia: & in ipsis improbis, formidato supplicio, refrēnetur audacia, & nocendi facultas. Et alibi lex ait, vt vnus pœna metus possit esse multorum. Cui cōsonat Gellius. lib. 6. cap. 14. Nēdum igitur necessārium est, vt puniātur nocentes, sed etiam iustissimum, vt interdum vltimo supplicio afficiātur. Quod multis, magnisque testimonijs Gratianus probat in cap. reos. cum seq. 23. quæst. 5. Alexander Ales. 3. parte. quæst. 41. Thomas. 2. secundæ. quæst. 108. Lucas in. l. 1. C. de deserto. & occulta. lib. 12. Et actus punitiōis est nobilior omnibus alijs actis iustitiæ in cōmuni, excepto pœmio, vt Scotus docet in lib. 4. senten. distin. 14. quæst. 2. qui distin. 19. inquit, Iustitia punitiua est cōmutatiua pœnæ pro culpa, & nō respicit punctum indiuisibile, sed medium habet latitudinem intra metas rectæ rationis. Adde Origenē super Iesum naue homil. 7. & in Hieremiam homilia. 9. & Gabrielem distin. 18. quæst. 1.

Inter alia verò crimina, quæ magis punire oportet, potissimū hæresis est: quippè quòd plurimū rei publicæ noceat in re omnium præstantissima.

præstantissima. Sed hæretici dicunt, fidē esse rem liberam, & neminem ad eam cogendum: vnde inferunt, hæreticos non esse puniendos. In quo mihi perinde facere videntur, ac si fures, venefici, atque ficarij, seridò contenderent, furta, veneficia, & homicidia, impunita esse debere. nam hæresis crimen his omnibus grauius, & pestilentius est. Verè itaque asseritur, grauisimè puniendos hæreticos esse. Quod sacris literis, ecclesiæ traditionibus, cōciliorum, & sanctorum patrum decretis, rationibus vrgentissimis, & omnium ferè gentium exemplis euidentissimè comprobatur. Ac primū ex Deuteronomij, atque alijs veteris testamenti locis non paucis, apparet, hæreticos morte punitos fuisse, vt paulò post referemus. Ex nouo quoque testamento constat, eos impunitos esse non debere. Nam & ipsa veritas inquit Matthæi. c. 18. Væ homini illi, per quē scandalum venit. expedit enim ei, vt suspēdatur mola asinaria ad collum eius, & demergatur in profundum maris. At nullus est, per quem tam graue scandalum in ecclesia oriatur, sicut per hæreticum. Sic etiam Paulus actorum. c. 13. pseudoprophetam acriter increpauit, & cæcitate percussit: coquòd subuertebat vias domini rectas, & p̄consulē querebat auertere à fide. Et. c. 5. epist. ad Galathas, punitiōem hæreticorū optabat, inquit, Vtinam abscindantur, qui vos conturbant. Huc si militer spectant verba illa euangelica, quibus hæretici vocantur lupi rapaces, Matth. c. 7. Quis enim lupos ouibus inhiantes non occidet, si modo id facere poterit? Sunt & alia ex nouo testamento argumenta, quæ fufius tractauit Ecchius in apologia pro legato. & Alfonso lib. 2. de iusta hæreticorum punitiōe cap. 3.

Ecclésiæ quoque catholice consuetudine ac traditionibus, hæretici sepe multis pœnis afflicti, atq; puniti sunt. Quod ex multis etiam conciliorū actionibus, canonibus, atq; decretis euidentissimè constat. Sed & Anastasius papa manicheos, quos ad fidē trahere nō potuit, ne sanctū gregē sua cōtagione polluerent; p̄ publicos iudices p̄petuò exilio relegauit. Et alij summi p̄tiffices multi, legibus latis, hæreticos puniendos esse docuerūt, & p̄ceperunt. Hoc & sc̄tissimi p̄es, ecc̄l̄ieq; doctores vnanimi sentētia tradiderunt. Tertullianus aduersus gnosticos. Orige. super nume. hom̄. 9. Cy

prianus lib. de exhortatiōe martyrij. c. 5. i. c. si audietis. 23. q. 5. Nazianzenus oratione decima prope finē. Hieronymus in. c. refectōe. 24. quæst. 3. Augustinus in epistola. 48. Et iterum cōtra Gaudentium. lib. 3. cap. 26. Et rursus ad Bonifacium. cap. 19. & septembi. c. nimium. c. displicet. cum seq. 23. quæst. 4. Item Pelagius pater in. c. non vos. & seq. 23. quæst. 5. Leo quoque sanctus Leonem augustum episc. 72. inquit, Hæreticorum pertinax in diosa contentio ilicō conquesct, si imperiali potestate frenet. Quod iterum ferè repetit ad Turbium scribens, epistola. 51. rursus ad Iulianum epistola. 80. Item Bernardus in canticis lilia. 66. sic ait, Melius foret proculdubio, quèd coereret gladio illius, qui nō sine causa gladium portat, quàm vt mul in suos errores attrahere permittatur. Denique hoc Thomas cet. 2. secūda. quæst. 10. arti. 9. & rursus. quæst. 11. arti. 3. Vide Fmam lib. 7. de instauranda religio. cap. 22. & seq.

3 ¶ Præterea hoc ipsum argumentis vrgentissimis comprobatur. Nam cum hæretici grauius delinquant, quàm falsarij, adulteri & plusquam sicarij; consequens etiam est, vt durius quàm illi niri debeant. Adulteria (inquit Augustinus de correctione carnalitarum cap. 14.) legibus puniuntur, & sacrilegia permittuntur? An fidem non seruare animam deo leuius est, quàm fornam viro? Deinde si is, qui literas regis, aut principis corrumpit aut falsas facit, acerbissimè punitur: quanto iustius puniendus erit hæreticus, qui sacratissimas dei omnipotentis literas præintelligētia, doloque peruertit, ac falsas reddere conatur? Quod si is, qui paulò post moriturū hominem occidit veneno, dignè est morte acerbissima: qua pœna dignum fore putabimus impium & hæreticum hominem, qui veneno pestiferi dogmatis multarum animas in interitum & mortem sempiternam securas & incultas trahit? Quod quàm sit horrendum, & lamentandum; ex diuo Hieronymo in proœmio Hieremiæ facillè intelligeretur, qui animam hominis christiani multis gentibus nobiliores ac multis vrbibus præciosiorem esse fatetur, & proinde interitus eius magis deplorandum.

4 ¶ Deinde seditiosi hoīes, qui ciuium concordiam, & reipublice pace

pacem conturbant, iustissimis poenis à legūlatoribus coaceri solent. Hi enim humanæ felicitati maximè nocent, ac iuris vltimo fini plurimum aduersantur. Quod officiorum lib. 3. eleganter Cicero diserit, inquit, Hoc spectant leges, hoc volunt, incolūmem esse ciuium coniunctionem: quam qui dirimūt, eos morte, exilijs, vinculis, damno coercent. Confert. l. 1. ad leg. iul. maiesta. l. 3. ad leg. iul. de vi publi. cum sexcentis alijs. At nemo est, qui tantam seditionem, tamque perniciosam reipublicæ inferat, quantum perfidus & impius hæreticus. Nemo qui tot simul populorum, tot gentium, tot nationum, non modo corporibus, verum etiam animis pestem & interitum machinetur. Is est violator pessimus ecclesiasticæ pacis: quæ non nisi vnitæ prædicationis euāgelicæ custoditur, vt Leo ille sanctissimus ad Martianum augustum scripsit epistola. 57. Nec amicitia vera, nec pax esse potest inter pios & impios: nec inter ipsos quidem impios tantum.

5 ¶ His accedit & illud, quod eleganter ait Campensis, Quemadmodum extra cōtrouersia est, nulla re magis quàm efficaci religione, atque eius vnitæ, in vnius corporis societatem cōciliari, cōtinerique liberos homines: sic nil eos magis separare, & contra se diuidere, quàm in religione dissidium, pugnam, & discordiā. Et quemadmodum inquit Nazianzenus oratione decima: nil concordia tam fortiter conciliat, quàm consonantia de deo: & nil magis ad discordiā facit, quàm dissonantia de illo. Hoc verò dissidiū, vt Hermas lib. 2. de instauranda religioe. c. 1. inquit, maximū & perniciosissimū est: idque triplici ratione. Primū, quod re præstantissimam, religionē scilicet, perturbet. Deinde, quod societatem oībus cōmunem & arctissimā sua cōtagione laxet. Denique, quod amicitiam soluat, qua neque iucundior, neque sanctior esse potest. Nam cum inter omnes res humanas nil sit religione præstantius: nil in quo pari animorum alacritate proni sint homines: nil etiā cui firmiter adhæreant, necessariò consequitur, vt nulla neque arctior, neque tenacior, neque iucundior esse queat, aut debeat amicitia, quàm ea, quæ ex christianæ religionis consensu nascitur: & contra nullū odium vehemētius, pertinacius, & acerbius, quàm quod ex religionis dissidio oritur.

6 ¶ Post hæc iustissimè puniuntur hæretici, vt alijs exemplo sint, & vt ipsi met emendentur: denique ne plures sibi similes reddat. nam sermo eorum vt cancer serpit. Et sicuti Hieronymus ait, si bilis hæreticorum irremediabiliter mētes auditorum vulnerat. Nec tantum religio christiana hæreticos puniēdos docet, sed & hi, qui veræ religionis ignari erant, eos, quos à suis sectis dissentire cognouerant, & hæreticorum loco habebant, passi non sunt impunes abire. Nam Athenienses Diagoram philosophum pepulerunt, quia deos negauit, & omnem eorum opem. Iidem Socratem damnauerunt, quòd nouam religionem introducere videbatur, ac de atheniensium religionibus detrahebat. Quod Cicero de natura deorum, & Valerius lib. 1. cap. 1. tradunt. Et Polydorus refert lib. 8. de inuentoribus rerum. cap. 6. Item Anaxagoras, Anacharsis, & alij multi, apud Græcos, Scythas & Persas, ob eandem causam tormentis, & supplicijs affecti sunt, vt eleganter narrat Iosephus lib. 2. contra Apionem. & Cyrillus lib. 6. contra Iulianum facie. 4. Diuinus quoque Plato lib. 10. de legibus, hæreticos non vna tantum morte, vel duabus dignose esse iudicauit, sed pluribus. Demum iudæi, gentiles, & hæretici, non aliam ob causam tot martyres sanctissimos trucidarunt, nisi quia suis religionibus, sectis, & hæresibus aduersabantur.

7 ¶ Experientia quoque compertum est, hæreticorum punitiōnem, remedium esse maximum, atque potissimum, quo hæreses extirpantur, & ne suboriantur, facile præcauetur. Huius rei testis est Hispania religiosissima: cuius plebeia gens nouarum rerum, & effrenatæ libertatis cupida est: & quæ nisi paret, imperat: hoc tamen remedio præsentissimo fidem catholicam, puram & inuiolatam seruat. Nec enim dissoluta credendi licentia impijs hoībus permittēda est: ne abutentes illa, in hæreses insanissimas passim præcipitentur. Quin potius increpandi, corrigēdi, ac puniēdi hæretici sunt: vt vel formidine pœnæ cōuertant, & resipiscāt. Quippè vexatio dat intellectū: & virga, atq; correctio, tribuit sapiētiam: vt Salomon ait prouerbiorum .c. 29. Et in exordio secundæ Turonicæ synodi patres inquirunt, Magna est in ipsa seueritate pietas, per quam tollitur peccandi facultas. nam vbi insana libertas

bertas generat vulnera, sacerdotalis districtio dat medelam. Alia verò argumenta, quæ pro tuenda impia sua libertate credēdi, hæretici adducunt, ea nominatim contutant Gonsalus tractatu de hæreticis, quæst. vlti. Ecchius in apologia pro legato. Et rursus in enchiridio cap. 27. Roffensis contra Lutherum arti. 33. Alfonso lib. 2. de iusta hæreti. punitio. cap. 3. & sequē. Conradus Brunus lib. 3. de hæreti. cap. 2. & iterum lib. 5. cap. 13.

8 ¶ Inter omnes pœnas hæreticorū hæc maxima esse videtur, quòd vltimo supplicio damnantur. I. ariani. C. de hæreti. & in. C. theodosiano. titu. de iudæis. Lex quædam Theodosij & Valentiniani extat, cuius verba sunt, Quicumque seruum, vel ingenuum, inuitum, vel suasionem flectendo, ex cultu christianæ religionis in nefandâ sectâ, ritumue traduxerit, cū dispēdio fortunarū, capite puniatur. Et post pauca, Cernat præterea bona sua pscripta, pœnæ mox sanguinis destinandus, qui fidem alterius expugnauit peruersa doctrina. Hæc pœna antiquissimis quoque legibus hebræorum statuta fuit in Deuteronomio. cap. 13. hoc verborum tenore, Propheta ille, qui dixerit, Sequamur deos alienos, interficietur. Et iterum cap. 17. Lapidibus obruuntur ad portas ciuitatis, qui deos alienos adorauerint. Et rursus cap. 18. Propheta, qui arrogantia deprauatus, voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi illi, vt diceret, interficietur. Sic Iosias, & Mathatias trucidarunt idololatrias lib. 4. regum cap. 23. & libro. 1. machabæorum cap. 2. Quorum & hæreticorum par causa fuisse videtur.

9 ¶ Quamuis autem plures sint pœnæ, quibus vltimum supplicium patiuntur delinquentes. I. capitalium. de pœnis. in hæreticis tamē generali consuetudine receptum est, vt igne pereant. Cuius rei meminerunt Hostiensis, Ioan. andr. Ancharanus, Cardinalis, Hærricus, & Ioan. de anania. in. c. ad abolendâ. de hæreti. Aretinus, & Alciatus in. l. 1. C. de summa trinita. Probus ad monachum. in. c. accusatus. de hæreti. lib. 6. Bertrandus consi. 212. lib. 2. Alfonso lib. 2. de iusta hæreti. punitio. cap. 12. Et in tractatibus de hæreti. Gonsalus quæst. 15. Grillandus. quæst. 3. Brunus lib. 5. cap. 13. Carcerius nu. 132. Quam consuetudinem improbat Zasius consil. 23. lib. 1. Sed ab eo rectè dissentit Corasius lib. 3. miscella. iuris. cap. 8. non

non enim temerè mutanda sunt, quæ certâ interpretationē semper habuerunt: ne c leges refragantur tali consuetudini, quæ generaliter optima legum interpret dicitur. l. si de interpretatione. l. minimè. de legibus.

10 ¶ Adde, quòd palme in Christo non permanens, in ignem mittendus est, Ioannis. 15. Et vt Paulus epistolæ ad Hebræos. cap. 6. inquit, Terra proferens spinas ac tribulos, reprobæ est, & maledictio proxima: cuius consummatio in combustionem. Huiusmodi terra animus hæreticorum est: quæ spinas profert suffocantes verbum dei. Præterea præuaricatores, igne succenso, combusti sunt, vt habetur. libro primo regum. capitul. 23. Et schismatici, igne desuper à Deo misso, consumpti fuere, capitul. 16. numerorum. Confert & illud Esaiæ prophetae verbum, Ambulate in lumine ignis vestri: & in flâmis, quas succendistis. Hæc, & alia huiusmodi adduci solent pro illa consuetudine, quæ tamen ex toto eam non probant. Sed cum pœna ignis animos videntium terreat, & maiorem terrorem incutiat, nil prohibet, quin aduersus impios statuatur.

11 ¶ Vnde antiquissimum esse hoc, vel ex synodi Chalcedonensis actione primaliquere potest: vbi episcopus Alexandrinus dixit, Si Eutiches præter dogmata ecclesiæ sapit; non solum pœna dignus est, sed & igne. Gregorius quoque lib. 1. dialogorum cap. 4. narrat, Basilium magum Romæ combustum fuisse, & rem gestam laudat. Sed & constitutione Siciliæ lib. 1. titu. 1. sic statuitur, Viui in conspectu populi comburantur hæretici, flâmarum commisi iudicio. Quod etiam regijs legibus cauetur, & Hispaniæ consuetudine obseruatur. l. 2. titul. 26. parte. 7. & l. 2. titu. 1. lib. 4. forilegum. Sic purganda est hæretica pestis: ne & nobis deus irascatur, qui solet illos plagis cedere, qui hæreticos impunitos relinquunt. vt patet Iosue. cap. 22. Quod non latuit magnum illū Theodosium hispanum, cum in l. 1. sui codicis. titu. de iudæis, in hunc modum loquebatur, Vnde ver solitam gratiam abiurauit? Vnde æstas messe ieiuna laboriosum agricolam in spe destituit aristarum? Vnde hyemis intemperata ferocitas hubertatem terrarum penetrabili frigore sterilitatis læsione dānauit? nisi quòd ad

ad impietatis vindictā transit lege sua naturæ decretum. Quod ne post hac sustinere cogamur; pacifica ultione pianda est supremi numinis veneranda maiestas. Et Leo ille magnus in sermone de martyribus inquit, Diligenter attendite fratres, & scitote, aliud esse in deum peccare, aliud in hominem, Quando enim in nos peccant homines, si pœnitentibus veniam nō indulgemus, peccatum incurrimus. Quando aliquis in deum peccauerit, si sine grandi districtione indulgere voluerimus, participes nos peccatis eorum efficiamur. quod & Cyrillus notauit lib. 6. in euāgelium Ioannis cap. 9.

12 ¶ Hæc autem pœna ignis non omnibus hæreticis infligitur: sed eis tantum, qui vel relapsi sunt, vel in sua pertinacia & impœnitentia persistunt, vsque ad prolationem sententiæ diffinitiuæ. Nam etsi quispiam impius & hæresiarcha fuerit, nō est protinus igni tradendus, sed ecclesiastica benignitate monendus. Quòd si conuersus fuerit priusquam per iudicem ecclesiasticum declaratus sit relapsus, pertinax, vel impœnitens; tūc proculdubio hæc pœnam euadet. Si vero captus conuerti noluerit, sapius hortandus est, adhibitis etiam ad hoc negotium viris religiosi & eruditatis, vt si fieri possit conuertatur, & viuat. Nec statim brachio seculari relinqui debet, sed sententia differenda est, vt hæreticus furor deferueat. nam vt ille ait, nulla vnquam de morte hominis cunctatiolōga est. Quòd si dæmonis instar in obstinata p̄fidia & impœnitentia p̄manerit; tūc lata prædicta sententia, qua declaratur hæreticus, iudici laico dimittendus est: à quo mox condēnatus, ilicò igni tradi debet. c. ad abolendam. de hæreticis. 5. instructioñ. hispalensi. cap. 9. Alfonso lib. 2. de iusta hæreticorum punitione cap. 1. Hermas lib. 2. de instauranda religione. cap. 15.

13 ¶ Aduersus hos pertinaces, & manifestos hæreticos iustissima est belli causa, quia sunt orthodoxorum hominū hostes omnium perniciosissimi. Quod non obscure probatur Iosue. cap. 22. Et eleganter diserit Hermas lib. 2. de instaurā. religione. cap. 13. Indictō autem eis bello, cuicumque priuato licet eiusmodi hæreticos occidere, spoliare, capere, & eorum etiam ciuitates incendio consumere. c. si audieris. c. si vos. 23. quæst. 5. Hostiensis in summa

ma. titu. de hæreti §. qualiter. Et item Raimūdu§ sed nunquid. Ioan. andr. & Ancharanus in. c. præfidentes. de hæreti. lib. 6. Gōsalus quæst. 24. Alfonsus lib. 2. de iusta hæreti. punit. cap. 14. Brunus lib. 3. de hæret. cap. vlti. Et iterum lib. 5. cap. 16. Carerius. nu. 148. Adde quòd easdem indulgentias, eademque priuilegia cōsequuntur cruce signati cōtra hæreticos, atque illi, qui accinguntur in subsidiū terræ sanctæ. c. excōicamus §. catholici. de hereticis.

14 ¶ Præterea his hæreticis fides à priuato data seruanda non est: multò minus, quàm alij cuicumque proditori, hosti, aut perduellioni: quibus non esse seruandam, recepta doctorum sentētia iā diu obtinuit, & tradit Bartolus in quæst. lucanæ ciuitatis. Idem & cæteri in. l. conuentionum. de pactis. Tullius lib. 3. offi. capitu. penultimo. & idem Ambrosius lib. primo officiorum. cap. 29. Thomas. 2. secundæ. quæst. 40. arti. 3. Lucas. in. l. vlti. C. de pondera. & auri illatio. lib. 10. Decius in. l. ea est natura. de regulis iuris. Brunus lib. 3. de hæreticis cap. 14. cum seq. Zasius in apologia ad Ioan. Ecchium. Duarenus in. l. 1. in fine. de pact. Vnde hæreticus reuelandus est iudicibus, non obstante fide, aut iuramento, quibus denunciatorum astrinxerit. Quod Thomas docet. 2. secundæ. quæst. 70. arti. 1. nam priuatorum pactioibus iuri publico derogari non debet, nec potest. l. ius publicum. de pactis. Nec fides à magistratibus data seruanda est hæreticis. Quod exemplo concilij Constantiensis probat Salomonius. in. l. 2. §. exactis. de origine iuris. nam Ioannes hus, & Hieronymus eius discipulus legitima flāma concremati sunt: quamuis promissa illis securitas fuisset.

15 ¶ Si tamen fides hæreticis data esset à principe, vel publica potestate, exactè seruanda esset: si modo quod addixit, non sit de illo genere rerum, quas lex, aut inspirata, aut naturalis vetat præstare. Non enim videtur esse vetitum, eorum quæ ad naturæ, aut gentium ius attinent, habere cum hæretico commercium, præfertim, quod incolumi religione haberi possit. Quia possibile esset, ut per pia monita, etiam pertinacissimus, ad saniolem mentem redeat. Quod eruditè docet Hermas lib. 2. de instauran. religio. cap. 14. Quāuis hæreticus alioqui magis vitandus sit, quàm reliqui

reliqui religionis hostes, qui permitti queunt ex causa in republica nostra commorari. Nam ritibus nostris inspectis, suaque religione cum nostra discusa, spes est piorum hominum monitis ad nostram societatem posse perducī. Hæreticus tamē nullo modo in nostram rempublicam erit admittendus: tam propter infatigabile alios corrumpendi studium; quam propter fucatisimæ impietatis, ideoque perniciosissimæ, latius & latius serpens contagium, sub pulcherrimæ (quod periculosissimum est) christiana pietatis prætextu, ut difficile sit non tentari, peneque impossibile non inquinari. Quod idē Hermas inquit eiusdē libri. c. 6.

16 ¶ Sunt itaque pœna ignis hæretici puniendi: aut si hoc fieri nō possit, saltem exterminandi, expellendi, & banniendi, ut alibi diximus. Et fusius tradit Brunus lib. 5. de hæreti. cap. 14. non enim commune cōmercium cum eis nobis esse debet. Brunus lib. 3. c. 14. & seq. Nec ad eorum conuenticula, vel scholas accedere licet catholicis, ut idem Brunus rectè docet lib. 6. cap. 3. & c. 5. Propterea hæreticis interditi sunt omnes actus ciuiles: ita, ut nō valeāt eorū contractus, nec vltimæ voluntates, nec ex testamento alterius quippiam capere possint. l. manichæos. l. ariani. C. de hæreti. Et quod eis relinquatur, fiscus rapit. regia. l. 16. tit. 6. lib. 3. forile gum. Quod si episcopus hæreticos hæredes instituerit, etiam cō sanguineos, anathematizandus est post mortem, & illius nomen delendum. c. si quis episcopus. de hæreti. Quod & locum habet in alijs clericis. c. in eos. eiusdem tituli. Sed hoc procedit, quando scienter fuerunt instituti: secus si ignoranter. c. 2. de hæreti. lib. 6. Ioan. de anania, & Felinus in dicto cap. si quis. vide Baldū. consil. 334. lib. 2. Brunum. lib. 5. de hæreticis. cap. 11. Carerium nu. 151.

17 ¶ Hinc etiam est, quòd hæretici repelluntur ab accusando. c. pagani. c. alieni. 2. quæst. 7. nec admittitur eorum testimonium. l. quoniam. C. de hereti. c. non potest. 2. quæst. 7. Imò etiam in iudicio agere nequeunt: sed exceptio hæresis, omnem actionē excludit, non solū quia hæreticus excōmunicatus est. c. excōmunicamus. de hæreticis. c. intelleximus. de iudicijs. sed quia sine actiōe experitur: cum sit omnibus bonis, iuribus, & actionibus priuatus ipso iure. c. cum secundum. de hæreti. lib. 6. Hæc glosa & Præpositus.

positus. col. 3. in. c. quo iure. 8. distin. Ripain. l. naturaliter § nihil commune. de acquir. posse. nu. 88. Ponzinibius de lamijs. nu. 77. Arelatanus. de hæreticis. nota. 1. Et item Brunus lib. 5. cap. 10. Ludouicus carerius. nume. 143.

18 ¶ Præterea hæretici iudices esse nõ possunt, vt Nicolaus primus docet in epistola ad Michaelē imperatorem. Quod satis ex eo liquet: quia sunt infames, sicuti mox dicturi sumus. Nec aduocati, nec tabelliones, nec publici officiales esse queunt. c. nulla officia. 54. distin. Brunus lib. 5. de hæreticis cap. 9. Nec habent ecclesiasticam potestatem: quia diuisi sunt à capite illo, vnde omnis auctoritas in membra influit, ad ædificationem totius corporis ecclesiastici. Hoc docet Cyprianus: hoc Hilarius, Ambrosius, Augustinus: hæc denique concors est sanctorum patrum sententia, vt Albertus Pighius testatur. lib. 4. hierar. eccle. cap. 8. Quod & multis patrum decretis Gratianus probat. 24. quæst. 1. Et nuncupatim in. c. dicimus. & in. c. pudenda. Non igitur habent potestatem ordinis aut iurisdictionis, sed neque sacramenta conferunt. c. præter. 32. distin. Conradus lib. 5. de hæreti. cap. 4.

19 ¶ Alijs quoque iuris beneficijs priuantur hæretici. nã ius patronatus ecclesiasticũ acquirere nequeunt fundatione, dotatione, donatione, successione, aut alia quauis causa: quia sunt incapaces rerũ ecclesiasticarũ, & legũ beneficijs indigni. Quod prolixius tractat Cæsar Lambertinus lib. 1. de iure patronatus parte. 1. quæst. 1. arti. 7. Quibus etiam ex causis nec impetrare possunt beneficiũ annalis possessoris: nec defenduntur per cæcellariam apostolicã, vt Ludo. Gomes tradit in regula, de annali possessore. quæst. 3. Et iterum quæst. 52. Et rursus in regula de triennali. quæst. 52. Vide Brunum lib. 5. de hæreti. cap. 7.

20 ¶ Item illud in pœnam & odium hæreticorum statutum est, vt eodem tempore contra eundem diuersi iudices cognoscere valeant. c. per hoc. de hæreti. lib. 6. clem. 1. & extrauagan. ex eo. eiusdem tituli. notat Ponzinibius tractatu de lamijs. nu. 74. & Ludo. Gomes in. c. dispedia. de rescript. lib. 6. nu. 18. Item vt hæreticus teneatur contra seipsum edere libros, & quicquid aliud haberit ad probandam intentionem accusatoris. glosa, & Francus in.

c.

c. vt commissi. de hæreti. lib. 6. Purpuratus in. l. vlt. C. de edendo. Arelatanus. de hæreticis nota. 21.

21 ¶ Nec prætereundũ est, quòd hæretici nõ gaudent immunitate ecclesiarum, vt Hippolytus tenet in. l. ex senatusconsulto. de ficarijs. Boherius. decisioe. 110. qui eo argumẽto mouetur, quo de linquentes in ecclesia, eadem immunitate priuatur. c. vlti. de immunita. ecclesia. nam hæretici nõ dum in ecclesia, sed contra ecclesiam delinquant. Adde, quòd hæreticus animam suam occidit, & ecclesiæ hostis pestilentissimus est. Item aliorum animas per insidias inficit, & pestiferi dogmatis veneno incautas trahit in interitum & perditionẽ, vt proculdubio ab altari sit euellendus, & pro modo culpe puniendus. c. 1. de homici. Lucas in. l. vlti. de delato. lib. 10. Abulensis exodi. 21. quæst. 16. Et iterum Iosue cap. 20. quæst. 3. cum seq. Igneus in. l. 1. in prin. & in § quòd si quis. ad Sillania. Alciatus lib. 3. præsumptionum cap. 33.

22 ¶ His accedit alia pœna, qua hæretici ipso iure perpetua damnantur infamia. authẽ. gazaros. C. de hæreti. c. infames. 6. quæst. 1. c. alieni. 2. quæst. 7. Occam lib. 6. dialogorum cap. 76. Brunus lib. 5. de hæreti. cap. 8. Alfonsus lib. 2. de iusta hæreti. punitio. cap. 9. Ex quo sequitur, quòd habere nequeunt officia publica, neque beneficia ecclesiastica, neque honores, dignitates, aut priuilegia, quæ viris probis concedi solent. infamibus enim portæ dignitatum patere non debent. l. 2. C. de dignita. lib. 12. cap. infamibus. de regulis iur. confert. cap. 2 § hæretici. de hæreti. lib. 6. & regia. l. 4. titul. 26. parte septima.

23 ¶ Inde etiam aliud consequitur, quòd in omnibus his pœnis est memoratu dignum, quòd nobilis in hæresim incidens, sicut plebeius, puniri debet. tum, quia hæc infamia nobilitatem elidit, & omne priuilegium extinguit: tum etiam, quia iura nullam differentiam status in hoc admittunt. l. ariani. C. de hæreti. Præterea in rebus fidei, omnes christiani æquales sumus: nec est distinctio Iudei & Græci. Etenim in vno spiritu omnes nos in vnum corpus baptizati sumus, siue Iudæi, siue Gentiles, siue serui, siue liberi, vt Paulus ait epistolæ ad Romanos. cap. 10. Et iterum prioris ad Corinthios. cap. 12. Et Nazianzenus elegatissimè oratione. 24. Et an

te

te illum Origenes lib. 1. in Iob col. 18. nimirum ergo si nobilis contra ecclesiam, deum, & fidem delinquens, æqualiter cum plebeio hæretico puniatur.

24 ¶ Conuestiri potest hæc sententia sequentibus fundamentis. Primo, quia magis delinquit nobilis, qui deo suam debet nobilitatem quam ignobilis, idcirco nobilitas magis aggrauat hæresim: quo casu durius puniendi sunt nobiles. l. quædam. de pœnis. capitul. cum quidam. de iureiurando. Deinde nobilium hæresis grauior & perniciosior est reipublicæ, ac deterioris exempli. Ad hæc dignitas sacerdotalis non prodest hæretico, ne alijs pœnis puniatur, atque cæteri qualescunque hæretici, vt paulò post ostendemus: ergo neque secularis nobilitas prodesse in hoc debet. quam sententiam tenet Archidiaconus in. c. qui contra. 24. quæst. 1. Felinus in dicto. c. cum quidam col. 3. Tiraquellus de nobilitate. c. 20. num. 118. Quibus ipse libens accedo, nisi fortè publicè pœnitentibus gratia consanguineorum commutetur habitus, qui maximam familiæ notam afferre solet. alioqui regulariter alia solet esse pœna nobiliũ, alia plebeiorum. l. 3. de re mili. Et illic notat glosa. Eusebius lib. 5. histo. eccle. cap. 3. Bartolus in l. capitalium §. serui cæsi. de pœnis. Lucas in l. 1. C. de deserto. & occulta. lib. 12. Tiraquellus loco proximè citato. num. 104.

25 ¶ Clericus autem hæreticus, relapsus, vel impœnitens, degradandus est, ac iudici seculari ostendendus. c. ad abolendam. c. excommunicamus §. 1. & cap. penul. de hæreti. Tunc autem realis degradatio fieri debet ab episcopo, conuocatis abbatibus, alijsque prælatis, & religiosis, ac literatis viris. cap. 1. de hæreti. lib. 6. Sed notandum est, quod regulariter hæc actualis degradatio non fit à solo episcopo, nisi cum degradandus constitutus est in minoribus ordinibus. nam in maioribus vnus episcopus non sufficit, præterquam in hæresi. Fit autem degradatio cum solenni detractioe insignium clericalis militiæ, qua quidem à militia sacra missus, & exautoratus, omni priuilegio clericali destituitur; ademptis singulis ornamentis, ad eius, qui degradandus est, ordinem pertinentibus. Et hoc fieri debet coram iudice seculari, cui statim relinquendus est, sed non tradendus, declarandusque est omni priuilegio clericali

cali exutus. Ecclesia tamen debet pro eo efficaciter intercedere, vt secularis citra mortis periculum sententiam moderetur. cap. nouimus. de verbo. significa. cap. degradatio. de pœnis. lib. 6. Vide Lucam in l. 1. C. de priuile. schola. lib. 12. Albertinum in capit. 1. de hæreti. lib. 6. Brunum libro. 4. cap. 14. Ludo. carerium. num. 133. Et in legibus septipartitis titu. 6. parte. 1. l. 60. cum seq.

26 ¶ Clerici quoque hæretici sicuti puniuntur in alijs bonis temporalibus, sic etiam priuantur dignitatibus & beneficijs ecclesiasticis. Diocesani tamen requirendi sunt ad hanc priuationem beneficiorum, nisi constiterit eos scienter talibus personis illa contulisse. cap. vt commissi §. priuandi. de hæreti. libro sexto. Ex quo videtur deduci, quod non sunt priuati ipso iure, sed per sententiam iudicum. Quod Alfonso nolter contendit libro secundo, de iusta heretico. punitio. capit. 9. Ea potissimum ratione motus: quia iura, quibus hæc pœna statuitur, non ponunt aliqua verba latæ sententiæ, vt patet in cap. ad abolendam. & in cap. excommunicamus §. credentes. de hæreti. Cuius opinio benignior est, & fortassis verior: quia sententia declaratoria semper exigitur, vt alibi diximus. Tametsi contrariam opinionem tenuerit Præpositus in cap. quo iure. 8. distinctio. & in cap. vltim. 19. distin. Compostellanus in cap. quod sicut. de electione. Anchara. Felinus in cap. secundo. de rescript. Et Nicolaus de milis in locis relatis per Ioã. Bernardum, qui eosdè sequitur in practica criminali. c. 106.

27 ¶ Item ipso iure priuati sunt hæretici omni debito fidelitatis, dominij, obligationis, & obsequij, quo illis quicumque tenebantur astricti. c. vlti. de hæreti. Vnde multa notanda colliguntur. Primũ, quod ipso iure non spectata sententia iudicis liberati sunt prædicti. nam textus ait: nouerint se absolutos. Secundum, quod is, apud quem hæreticus quippiam deposuit, non tenetur post manifestam hæresim illi depositum reddere, sed fisco petenti: quia tunc illud ad fiscum pertinet. Item quia depositarius à debito fidelitatis liberatus est, vt generaliter textus ille inquit. Hoc asserit Alfonso lib. 2. de iusta. heretico. punitio. c. 7. Et satis aperte probatur in l. bona fides. depositi. Tertium, quod ex eadè decisione inferretur est, quod custos arcis, & vassallus liberatur à dño hæretico, cui fidelitatem

litatem promiserat. Quinimo catholica vxor hæretico viro de bitum reddere nõ tenetur. c. de illa. de diuortijs. Quod alia quoque ratione fit: nempe, quia ille incidit in adulterium spirituale, vt rectè docet idem Alfonsus.

28 ¶ Ex eodem textu in. c. vlti. de hæreti. patet, hæreticum esse priuatum dominio. Quod exaudiendum est multipliciter. Primo, de dominio naturali, quod pater habet in filios. nam per hæresim patris efficiuntur filij sui iuris. cap. 2. §. vlti. de hæreti. libro. 6. Secundo, de dominio ciuili, quod in seruum dominus habet, quo etiam priuatur hæreticus. l. manichæos. C. de hæreti. Tertio intelligitur de dominio politico, quod habent reges, & principes in suos subditos & vassallos. nam, & hoc priuati sunt hæretici. Si enim rex, dux, comes, aut quicumque alius dominus temporalis, efficiatur hæreticus manifestus, statim esset priuatus regno, ducatu, comitatu, & omni iurisdictione. dicto. c. vlti. & cap. cum secundum. de hæreti. lib. 6. ea autem omnia fiscus regis, aut imperatoris, cui rex ille subesset, iure capere possët.

29 ¶ Sed elegans quæstio est, cuius erit regnum hæretici regis, qui superiorem non habet? Dubiam rem facit, quod bona & iura hæreticorum acquiruntur fisco domini temporalis, qui hæretico superior est. cap. vergentis. de hæreti. at vero eiusmodi regis hæretici nullus est superior in temporalibus, neque imperator quidem, aut papa. In qua quæstione probabile est, quod Alfonsus noster censuit lib. 2. de iusta hæreti. punitio. cap. septimo, vt si quidẽ talis hæreticus filium catholicum habeat, ad illum pertineat regnũ, ac si pater mortuus sit. nã per hæresim plusquàm ciuilitè mortuus censetur. Confert. l. gallus. §. & quid si tantum. de liber. & posthu. & quæ illic notantur. Quod si rex filiũ nõ habeat, vel filius quoq; sit hæreticus; tunc eadem ratione ad legitimum successorem catholicum regnum illud pertinebit. Quod si omnes successores hæretici fuerint, regnũ orthodoxũ sibi regem eligere poterit, tam iure naturali, quàm exemplo veteris testamenti. libro primo regum. capitul. decimo. Denique si regnum esset hæreticum, eligere regem non possët. Cæterum ad summum pontificem ius eligendi deuolueretur, argumento. cap. grandi. de

de supplen. negligens. prælato. lib. 6. & cap. alius. 15. quæst. 6. & eorum, quæ tradit Pelagius. lib. 1. de planctu ecclesiæ arti. 56. Conferunt quæ capite supra proximo diximus. §. 21.

30 ¶ Possunt præterea inquisitores punire suspectos de hæresi pœnis pecuniarijs. c. accusatus. §. seculares. de hæreti. lib. 6. cap. si vos. 23. quæst. 5. vbi notat glosa. sed illas pœnas conuerrere debent in vtilitatem officij, vt Cardinalis ait, in clem. vlti. in fine. de hæreti. Et Gonfalus in hoc tractatu. quæst. 8. & ita cauetur. 4. instructione toletana cap. 8. In his autem & alijs pœnis arbitrandis, iudex ad normam legum semper iudicium suum & arbitrium accommodare debet, ita vt ne quid aut durius, aut remissius constituat, quàm causa deposcit: sed perpenso iudicio statuatur, prout quæque res expostulat. l. respiciendam. de pœnis. Et Aristoteles lib. 3. politicorum ait: nil adeò, vt leges rectè positæ debent dominari. ille autem qui reipublicæ præest, in ijs potestatem habere debet, de quibus leges exactè cauere non possunt: ex eo, quia non facilè sit generali sermone singulos casus comprehendere. qui lib. 2. cap. 8. dixerat, Non secundum legem scriptam iudicare, sed secundum quod sibi videtur, periculosum est.

31 ¶ In arbitrio autem pœnarum, circumstantiæ cõsiderandæ sunt, quarum quædam augment, quædam condemnationem minuunt. Hæ verò estimantur, vt iurisconsultus ait, septem modis, causa, persona, loco, tempore, qualitate, quantitate, euentu: quæ fusius explicantur in. l. aut facta. de pœnis. & in regia. l. 8. titulo trigesimo primo, parte septima. Tradit Lucas in. l. 1. C. de colo. illiricia. libro vndecimo, & i. l. si apparitor. de cohorta. libro duodecimo. Thomas prima secundæ. quæst. 7. Et iterum quæst. 18. arti. 10. Et rursus quæst. 73. arti. 7. Durandus, & Richardus in libro quarto sententiarum. distin. 16. Et nos cum de reorum defensionibus tractabamus, quasdam circumstantias collegimus, quæ pœnam excludunt, aut minuunt. Alias ponit Brunus lib. 5. de hæreti. cap. decimonono. Sed is durius puniri debet, qui magister fuit errorum, & alios in perditionem traxit: maius enim detrimentum intulit, grauiusque deliquit. Quod nuncupatim astruit Brunus. lib. 1. de hæreti. cap. 4. & rursus lib. 5. cap. 1.

y ij Neque

32 ¶ Neque leuis illa circumstantia est, si hæreticus sit in dignitate constitutus. nam eius hæresis periculosior est propter exemplū, quo tales solent inferiorum animos quodammodo cogere ad eorum imitationem. iuxta quod Paulus epistolæ ad Galatas. capit. 2. Petro apostolorum principi dixit, gentes cogis iudaizare. Tanti fecit eius exemplum, quia supremus erat ecclesiæ pastor, ut nō solū vrgere, aut suadere, sed cogere etiā videretur. Et Gregorius in prima parte pastoralis capit. 2. inquit, Nemo magis in ecclesia nocet, quā qui peruersè agens, nomen, vel ordinem sanctitatis habet. Claudianus quoque ait, componitur orbis regis ad exemplum: nec sic inflectere sensus humanos edicta valent, quā vita regentis. mobile mutatur semper cum principe vulgus. regnantibus impijs, ruinæ hominū. Prouerbio. 28. & Ecclesiastici. cap. 10. Qualis rector est ciuitatis, tales & inhabitantes in ea. Vnde mutuatus Plato quodam loco scriptum reliquit, quales in republica principes essent, tales reliquos solere esse ciues. Quæ Cicero diuinitus scripta testatur lib. j. epistolarum. Sic olim turbato Herode, turbata est omnis Hierosolyma cum illo. Matthei capit. 2. Sic omnibus ferè seculis principum religionem sequuta est multitudo subditorum. Quod & annis superioribus infelicissimè contigit in Anglia, vbi præter Ioannem episcopum Rosensem, qui pro sinceritate fidei catholicæ glorioso martyrio cōsummatum est, & præter alios quosdam martyres gloriosos, reliqui ad vnius regis exemplum atque furorē subito defecerunt à fide catholica. Vide Alphonsum libro secundo, de iusta hæreticorum punitione. cap. 8.

33 ¶ Postremò hæretici nēdum poenis temporalibus puniūtur, sed etiam spiritualibus & æternis. nā hæretico homini, qui ecclesiæ catholicæ nō tenet unitatē, neq; baptismus, neq; eleemosyna, neq; mors pro nomine Christi suscepta, proficere poterit ad salutem. c. firmissimè. de hæret. Docet Origenes lib. 1. in Iob. col. 9. bona tñ opera ei, qui nō est in gratia, profunt ad tēporalia, ad mentis illustrationē, ad suppliciu leuius, ut illic aiūt interpretes, & Abulēsis Matth. cap. 5. quæst. 171. Durandus in lib. 4. sentē. distin. 15. quæst. 3. & ibidem Gabriel distin. 16. quæst. 2. Siluester in summa, verbo
charitas

charitas §. 8. Demum vt libro primo officiorum inquit Cicero, Hij qui reipublicæ præsumunt, legum similes esse debent, quæ ad puniendum, non iracundia, sed æquitate mouentur. Et epistola. 54 Augustinus ait, Nil cupiditate nocendi fiat, sed omnia consulendi charitate. Et nil fiat immaniter, nil inhumaniter. c. prodest. 23. quæst. 5. Et iuxta Leonis sententiam in. c. odio. 86. distinctione. non sunt odio habendi homines, sed peccata. Et quod seuerius castigare necesse est, non sæuientis plectatur animo, sed medentis. Dolendum quippe de afflictis est, etiam si iustè patiantur, vt Chryostomus ait in actis apostolorum homilia. 43. col. vltima. ideo sententia condemnationis non sine dolore proferenda est. Quod quadam regia lege docemur, ea est vlt. titu. 3. parte septima. Et serenissimus Portugalliæ rex, cum hominem quem piam vltimo supplicio damnat, id piè satis obseruare dicitur.

DE POENITENTIBVS ET CON-
VERSIS. CAP. XLVI.



¶ M TANTA sit naturæ corruptæ fragilitas, tantaque in malum pronitas, vt septies in die cadat iustus: & iustitiæ nostræ sint sicut pannus menstruatus, nemoque dicere possit, quod peccatum non habet, quippe qui nesciat vtrum odio vel amore dignus sit; valde necessarium est omnibus poenitiæ sacramentum, quo lapsi reparari & iustificari valeamus. Nam qui per peccatum ab accepta iustificationis gratia exciderunt; rursus iustificari poterunt, cum excitante deo per poenitiæ sacramentum, merito Christi, amissam gratiam recuperare procurauerint. Huius sacramenti partes, modum, & formam, ecclesia catholica iam dudum præscripsit, cunctisque fidelibus diuulgauit. Cuius doctrinam ex literis sacris, pontificum, conciliorum, & sanctorum patrum decretis collegit Gratianus distinctionibus de poenitentia. Lombardus, & reliqui eius interpretes
y iij lib.

lib. 4. senten. distin. 14. & deinceps. Hanc ecclesiæ Christi quæ doctrinam impius Lutherus nunc tandem impugnare tentauit, cuius impia dogmata dānata sunt in concilio Tridentino, sessione. 6. c. 14. & ante confutata fuere ab Ecchio, de sacramentis homilia. 37. cū seq. Roffense contra Lutherum. arti. 5. Cāpense, controuersia. 9. Alfonso lib. 12. aduersus hæreses, Bunderio in compendio concertationis. titul. 13.

1 ¶ Sed hæc, quæ prædiximus de sacramento pœnitentiæ, ad forū illud occultissimum pertinent, in quo causa tractatur inter solū deum & hominem, nihilque habet commune cū foro publico, canonico, aut ciuili. Proinde si quis hominem occiderit, aut simile quippiam commiserit, non erit immunis à pœna fori iudicialis, quamuis in foro conscientiæ iustissimam egerit pœnitentiā. cap. de his. de accusatio. & illic tradunt interpretes. Sed neque in foro ipso iudicij exterioris pœnitentiæ locus est in delictis etiā leuioribus. l. qui ea mente. de furtis. l. si quis seruo. C. eodem titul. solis hæreticis ad ecclesiam redeuntibus pœnitentiā prodest. cap. ad abolendam. de hæreti. l. 4. C. eodem titu. cum alijs prolixè relatis per Boherium decisione. 341. per Zasium consilio. 23. lib. 1. Vnde in hæresi locus est deprecationi: quod alioqui subsidiū est fragile, & miserum rei, cum crimen confitetur, & petit sibi ignosci, vt idem Zasius notat in rhetorica ad Herennium.

2 ¶ Non tamen sola verbali pœnitentiā tanti criminis pœnas euadunt hæretici ad fidem conuersi, sed misericordiam in quibusdam consequuntur: nam in primis publicam, solennemque pœnitentiā agere debent, iudicum arbitrio statuendam. capit. ad abolendam. de hæreticis. Et prima instructione hispalensi. capit. quinto. Olim tamē decem annis agere pœnitentiā hanc tenebantur, vt videre licet in concilio Elibertino. cap. vigesimo secundo. Quod postea commutatum fuit in tempus biennij cum ieiunijs & orationibus, alijsque solennitatibus statutis in concilio Agathēsi. cap. 60. Quinimo hanc publicā pœnitentiā spontè subire debent hæretici cōuersi, quando prodest ad eorū correctionem, & aliorum ædificationem, iuxta sententiā Origenis in psalmum. 37. Quem refert & explicat Albertus Campensis lib.

lib. 2. hierar. eccle. cap. 8.

3 ¶ His hæreticis conuersis pro publica pœnitentiā iniungitur, vt habitum quēdam duplici cruce signatum portēt, quo vti debēt per tempus ab inquisitoribus præfinitum. 4. instructio. toletana cap. 9. Quod propterea fieri solet, vt notiores sint pœnitentes, & humiliētur. Huius habitus meminit Bonifacius de vitalinis, in tractatu maleficiorum. titu. de crimine hæresis, directoriū quæst. 95. Ludo. carerius de hæreti. nu. 158. Hic autem ritus emanasse videtur ab eo sacco & cilicio, quo publici pœnitentes olim utebantur. cap. in capite. 50. distin. c. Achab. de pœnitenti. disti. 3. & primo concilio toletano cap. 2. Id quoque notandum est, quod hic habitus dimitti non debet, neque occultari ante præfinitum tempus, alioqui tanquā impœnitens puniri poterit, qui secus fecerit. Non enim satisfaciunt iniunctæ pœnitentiæ, nēdum si abiecerit, sed & si occultauerit illum, quia paria hæc sunt. l. in lege. de cōtrahē. emptio. c. cum itaque. de consecratio. dist. 4. Oldradus cōsil. 184. Ioā. de anania. in rubrica de apostatis. Lupus in rubrica de donatio. inter vir. & vxor §. 70. num. 29.

4 ¶ His etiam publicis pœnitentibus prohiberi solet vsus armorū, & vestium præciosarū, & quarūdā aliarū rerū. c. admonere. 33. q. 2. Sic de illo qui clericum occidit, & publicam ob id pœnitentiā agit, in concilio Vormanciensi canone vltimo cauetur, vt ieiunet, carnemque non comedat, neque vinum bibat, arma non sumat: & vbicunque ire maluerit, nullo vehiculo deducatur, sed proprijs pedibus proficiscatur. Quod eisdem ferè verbis repetitum extat in decretis Nicolai primi, vbi statuit publicam pœnitentiā illius, qui matrem occidit. Quocunque inquit ire voluerit, nullo vehiculo deducatur, sed pedes proficiscatur, arma non sumat, nisi contra paganos. capit. latorem, trigesima tertia quæstione secunda. Quibus exemplis hæretico pœnitenti interdici solet vsus equorum & mularum.

5 ¶ Quamuis autē conuertantur hæretici, & iustam pœnitentiā agant, nihilominus publicationē bonorū patiuntur: nisi fortè intra tempus gratiæ conuersi fuerint, quo casu neque bonis priuātur, neque pœnas corporales sustinēt: sed inquisitorum arbitrio

elemofynas facere, & multam fisco præstare cogentur. prima instructione hispalensi. cap. 3. & 7. hoc verò gratis eis indulgetur, benignitate regia. Et ita intelligendum est, quod textus dicit in cap. vergentis. de hæret. & quæ prolixius collegit Carerius in tractatu. nu. 161. Errant enim, qui putant, quòd statim conuersus recuperat bona. In quo errore fuisse videtur Ancharanus in. c. accusatus. §. sanè. de hæreti. lib. 6. Eadem quoque benignitate confirmantur eorum contractus, qui intra tempus gratiæ redeunt, & integra illis cõceduntur iura & actiones, quæ ipso iure perierāt. Sed hi bona immobilia prohibentur alienare, absque venia principis, ne fiscum defraudent, & ut sciri valeat, vtrum in luce vel in tenebris ambulent. 2. instructione hispalensi cap. 5.

6 ¶ Qui verò non redeunt intra tēpus gratiæ: præter alias pœnas, hanc quoque patiuntur, quòd in perpetuum carcerem detruduntur ad agendam condignam pœnitentiā. cap. pen. §. 1. de hæreti. Quem textum de prauare nititur Igneus in. l. 1. §. cum dominus. ad fillania. nu. 33. vbi multa inculcat contra veras & receptas sententias: idque vsque adeò perplexè, confuse, atque inuolutè tractat, vt vix se ipsum intellexisse videatur. At ille textus facilis est, & ab interpretibus rectè illic explicatus. Nam qui redire volunt postq̃ in hæresi deprehensi fuerunt, hi detruduntur in perpetuū carcerem: qui autem redire nolunt, igni traduntur. Sed inquisitores cum episcopo temperare, ac mutare possunt hanc pœnam, vt ibidè rectè docent Cardinalis, Abbas, & Ioā. de anania. & ita vtimur. Necessaria tamen est ad hoc legitima causa: qua subsistēte, nihilominus commutanda est hæc pœnitentia in ieiunia, elemofynas, & in alia opera pia. 4. instructio. toletana cap. 9. vbi & inquisitori generali reseruatur, vt dispensare queat cum damnatis ad perpetuos carceres. quod repetitum extat in. 5. instructio. hispalen. cap. 7.

7 ¶ Igitur hi pœnitentes, quos reconciliatos vocant, non effugiūt publicationē bonorum, neque carcerem, neque infamiam: idcirco beñficia ecclesiastica, & officia publica habere nequeūt. Præterea nominatim prohibentur, ne sint numularij, publicani, procuratores, medici, chirurgi: neque alijs ofufficijs sgatur, quibus po-
pulo

pulo nocere possint. Adhæc illis interdictum est, ne auro, argento, aut gemmis ornentur, neue induantur bysso, purpura, vel alijs vestibus preciosis, neue armis vtantur, aut equis vehantur quoad vixerint. Qui autem secus fecerint, pœnā relapforum incurrāt. Quæ omnia simul cum solenni pœnitentia eis iniungi debent. prima instructio. hispalensi. cap. 7. Lege quoque Pragmatica. 8. cauetur, vt hi, qui prædicta non custodierint, bonis priuentur, & regis indignationi subiaceant: sed hodie mitius cum eis agi solet inquisitorum arbitrio.

8 ¶ Item illa quæstio celebris est, magnique momenti, nunquid pœnitentes perpetuò sint recipiendi: an potius damnandi sint, nisi protinus deprehensi redierint? Textus in. c. ad abolendam. de hæreti. inquit, tunc demum recipiendos esse, si continuo post deprehensionem erroris spontè redierint, & cõfestim ad fidem cõfugerint orthodoxam. vbi Abbas nu. 6. per locum à cõtrario sensu colligit, non esse illum admittendum, qui ex interuallo, aut metu probationum redierit. Cuius opinio suaderi videtur ex natura illarum dictionum, continuo, cõfestim: quæ celeritatem sine mora desiderāt. l. pen. C. deposit. l. lecta. si cert. pet. & inquit Grillandus in tractatu de hæreticis quæst. 5. quòd canonistæ communiter hanc opinionem amplecti videntur: sed ego ferè nullū huius opinationis assertorem inuenire potui.

9 ¶ Plærique autem putant recipiendos esse pœnitentes, vsque ad realem traditionem, quæ fieri solet iudici seculari, etiam post sententiæ diffinitiuæ prolationem. Hoc tenet Abbas sibi contrarius in. c. excommunicamus. l. §. 1. de hæreti. referens ita sensisse illic Ioan. andre. in quadam notula. Sequitur Ioan. de anania. ibidem nu. 7. Cardinalis in. c. ad abolendam col. 1. qui testatur hoc esse obseruatum. Idem tenet Aluarotus in §. gazaros. de statut. & cõsuetudini lib. feudo. Siluester in summa. verbo, heresis. l. quæst. 12. Albertinus in. c. 1. de hereti. lib. 6. quæst. 12. Ludo. carerius de heret. nu. 159. Et hanc asserit communem opinionem Boherius. decisio. ne. 343. vbi post plures in eadem permanet: quamuis in alia decisione. 341. anceps fuerit. Sed hæc opinio tenenda nō est, quia nullo iure, aut vrgēti ratione fundatur: tum etiam, quia post sententiam
tiam

riam prolatam iudices functi sunt officio suo. l. iudex. de re iudi. Deinde cōuersio huiusmodi non spontanea est, sed ficta potius, & simulata, metu præsens & instantis periculi facta. Præterea si id admitteretur; iam grauissimum hoc iudicium redderetur frustratorium, Quis enim tunc non rediret? Denique confunditur hæc opinatio per cap. ad abolendam. & vtrumque cap. excommunicamus §. damnati. de hæreti.

10 ¶ Tertia opinio est quorundam, dicentium, totum hoc in arbitrio iudicis esse. Nam illæ dictiones nullum certum tempus designant: sed pro subiecta materia, nunc breuius, nunc longius spatium desiderant. Hæc est sententia Hostiensis in. c. ad abolendam. col. vlti. Sequitur Matthæus in cōstitutio. Siciliae. titu. i. col. 8. Et Grillandus de hæreti. quæst. 5. Comprobatur hoc ex eo, quod natura dictionum illic, protinus, continuò, confestim, & similiū, arbitraria est, vt prædiximus. l. quod dicimus. de solutio. Et illic notant Bartolus, Angelus, & Imola, glosa, & interpretes in. l. 3. §. eū igitur. de vi & vi armata. & in. l. 3. §. in amittenda. de acquire. posse. in. c. an sit. de appellatio. Decius. cōsil. 470. Tiraquellus in. l. si vnq̄. C. de reuocan. donatio. parte, oīa. nu. 30. Sed quia id ipsum est quod quærimus, an sit aliquis terminus huius arbitrii? grauiusque videtur hoc, quàm vt cuiusque iudicis prudentiæ sit cōmittendum, iuxta sententiam Platonis libro nono, de legibus. pagina vndecima. idcirco amplius deliberare oportuit.

11 ¶ Prudentissimè igitur maiores nostri decreuerūt, hæreticos pœnitentes, ac rectè conuersos, recipiendos esse vsque ad prolationē sententiæ diffinitiuæ, & non vltra. De quo extat singularis decisio in prima instructione hispalensi. cap. 12. quæ pro lege pontificia nobis habenda est. c. per hoc. de hæreti. lib. 6. Quam & hispani nostri sequuti sunt: Gonsalus de hæreti. quæst. 20. Albertinus in. c. i. eodem titu. lib. 6. quæst. 12. nu. 13. Alfonsus lib. i. de iusta hæreti. punitio. cap. 22. his addo Gersonum. 2. tractatu de schismate. col. penul. alphabeto. 5. sic dicentem, Difficillimum est cōvincere aliquem pertinacem, & incorrigibilem fuisse, ante iudiciū. Nam etsi millies protestatus fuerit ante sententiam, quod defendet errorem suum; admittitur tamen ad veniam in puncto sententiæ

tiæ proferendæ, si se monstret pœnitere, & velle stare iudicio superioris. Quamuis Occam videatur oppositum tenuisse, contra quem est vsus, & lex ecclesiæ. hæc ille.

12 ¶ Non tamen est perpetuum, vt hæretici omnes conuersi vsque ad sententiam recipiantur, sed necessaria quoque est vera, & nō simulata, vel ficta conuersio: alioqui verbalis tantum admittenda nō est. c. vt officium §. si verò. de hæreti. lib. 6. hoc autem inquisitorum arbitrio relinquitur, vt ipsi dijudicēt, an verè vel fictè redeant. quod eodem cap. 12. traditur. Sed mea sententia fat erit, si de ficta conuersione aperte non constiterit. Nam & occultiora diuino iudicio dimittenda sunt: & nos ad misericordiā proniores esse debemus, iuxta præceptum domini Lucae. cap. 6. Estote misericordes, quoniam ego misericors sum. Et rursus Matthæi. cap. 6. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam cōsequētur. Et in prouerbij cap. 3. Misericordia, & veritas te nō deserāt. Circunda gutturi, & describe in tabulis cordis, inuenies gratiā coram deo, & hominibus. Melius est propter misericordiam rationem reddere, quàm propter inclementiam. c. alligant. 26. q. vlti. nam deus ipse misericordiam mauult, quàm sacrificiū. Osee cap. 6. Et vt eleganter inquit Nazianzenus oratione. 16. Nulla ex omnibus re deus perinde ac misericordia colitur, quoniam nil aliud tam peculiare est deo, quàm illa. Fugienda sententia est, quæ misericordiam vetat. c. vera iustitia. 45. distin. Denique Iacobus epistolę canonicę. cap. 2. Iudicium, inquit, sine misericordia illi, qui nō facit misericordiā: & hæc est, quæ super exaltat iudicium.

13 ¶ Qui verò pœnitentiam iniunctam non adimplet, vel pro lapsō habetur, vel pœna pecuniaria coercetur. clem. vlti. de hæreti. vbi hoc docent Mattheus. Zenze. & Ioannes imol. nu. 23. Calderinus in. c. literas. de præsumptio. Federic. senensis. cōsil. 156. Arlatanus. de hæreticis notabili. 30. Hæc autem sic explicat Calderinus in dicto. cap. literas. & Squilacensis. de fide catholica. cap. 19. Aut iniungitur pœnitentia, quæ directè est contra hæresim, putà, quod conuersus abiuret, quod aduersus errores suos prædicet, quod non conuersetur cum hæreticis, vel quippiam simile: & tunc si contrauerit, iudicabitur pertinax. Aut pœnitentia

tia non est directè contraria heresi, vt puta, si ieiunia, orationes, vel similia fuerint iniuncta: quòd si hæc obseruata non sint; non ideo efficiunt hæreticum relapsus. hæc tamen illi. Sed meo iudicio non sat rectè. nunquã enim verè relapsus est, qui pœnitentiæ nõ satisfacit, nisi fortè relapsus præsumatur ex aliqua violenta præsumptione, vt in. c. accusatus §. ille quoque. de hæreticis. lib. 6. Nã qui pœnitentiæ iniunctæ non satisfacit; impœnitens est, aut pertinax, & quiduis potius, quàm relapsus: cui pro modo culpæ arbitrio iudicum pœna infligenda est.

14. ¶ Regulariter autem clerico cuiusque ordinis non est iniungenda pœnitentia solennis, tum propter ordinis dignitatem, tum etiã ne grex fidelium in eo scandalum patiat. c. illud. c. alienum. c. de his. c. confirmandum. 50. distin. vbi notant Hugo, Archidiaconus, & Præpositus. c. presbyter. 82. distin. Sed hoc fallit, quando aliud exigit qualitas criminis. dicto. c. presbyter. c. vlti. 30. distin. c. si quis episcopus. 81. distin. c. si quis sacerdos. 30. quæst. 1. c. sacerdos. de pœnitent. distinct. 6. quod euenit in heresi propter quam clericus deponitur. c. 1. de hæret. lib. 6. magis enim in eo delinquit, quàm secularis. c. accusatus §. vlti. eodem titu. Semper autem clericus hæreticus deponitur, saltem verbaliter, vt notat Dominicus, Fracus, & Albertinus. notabi. 6. in prædicto. c. 1. Abbas Ioan. de anania, & Felinus in. cap. penul. eodem titu. lib. 5. Gonsalus quæst. 19. Grillandus. quæst. 7. Brunus lib. 4. c. 13. Et in concilio Elibertino. cap. 51. tale decretum extat, Ex omni heresi qui ad nos fidelis venerit, minimè est ad clerum promouendus: vel si qui sunt in præteritum ordinati, sine dubio deponentur.

15. ¶ Cum igitur pœnitentia conuersorum in multis arbitraria sit, putà in præfinitione temporis ieiuniorum, orationum, carceris, habitus, & pecuniariæ multæ; necesse est, vt iudices multa considerent: scilicet, qualitatem personarum, tempus, malitiam, detrimentum, contritionem, & alia id genus. Nam vt patres aiunt in. 6. synodo generali. cap. vlti. Oportet peccati qualitatem speculari, & peccatoris promptitudinem ad reuersionem, vt reducatur errans, & vulneratus curetur. Eaquæ cautione procedendum est, ne per præcipitia desperationis pœnitens detrudatur: necei
laxentur

laxentur habent ad vitæ dissolutionem, & contemptum. Vtraque igitur scire oportet, & quæ sunt rigoris, & quæ commiserationis: vt homo ad claritatem illam supernam vocatus, prudenter gubernetur. Et canone. 7. concilij Vormaciensis, sic decretum est, De pœnitentibus secundum differentiam peccatorum, sacerdotis arbitrio pœnitentiæ decernantur. Debet itaque sacerdos in pœnitentia danda singulorum causas singulatim considerare: originem quoque, modumque culparum, & affectus, gemitusque delinquentium diligenter examinare, manifestèque cognoscere: temporum etiam, & personarum, locorum quoque, & ætatum qualitates inspicere: vt etiam pro consideratione locorum, ætatum, vel temporum, seu pro qualitate delictorum, atque gemituum vnus cuiusque delinquentis, à sacris regulis oculos non reflectat. hæc ibi. Quæ in foro quoque hoc iudiciali pariratione obseruanda sunt.

16. ¶ Sed nunquid hæretici ecclesiæ recõciliati, qui habitum gestant publicè pœnitentium, sub iurisdictione sunt inquisitorum: ita, vt eos, & nõ alios habeant iudices in omnibus causis? Quod magis videtur asserendum per textum in. c. aliud. 11. quæst. 1. cuius verba sunt, Si quis pœnitens habeat causam, quam negligere fortè non debeat: melius est illi, vt expectet ecclesiasticum, quàm fore se iudicium. Et statim Gratianus subiungit, esse hoc generaliter intelligendum, tam in ciuilibus causis, quàm in criminalibus. Quòd autem hoc locum habeat in his publicis pœnitentibus, asserunt glosa & interpretes illic, & in. c. 2. de for. cõpeten. & Calderinus. cõsil. 7. tit. de iudicijs. Et quòd illorũ causæ ad iudicem ecclesiasticum, ac proinde ad inquisitorem pertineant, astruere videtur Hostiensis in summa. titu. de foro. competent. Guillel. in speculo. titu. de competent. iudi. aditione §. 1. versi. 17. & Alciatus in praxi vtriusque iuris eodem. tit. versi. 16. Butrius in. c. 2. de for. competent. Qui non alio iure, aut ratione mouentur, nisi ex dicto capi. aliud. Et quia, vt aiunt, publici pœnitentes sunt sub protectione ecclesiæ.

17. ¶ Sed hæc opinio falsissima est. nõ enim qui propter scelera sua publicam pœnitentiam agere compelluntur; propterea efficiuntur
tur

tur de foro ecclesiæ, vt rectius aiunt Innocentius in. c. significan-
 ribus. de officio. delega. Abbas in. c. 2. de foro cōpeten. nu. 9. Et il-
 lic Aretinus col. 2. Andreas siculus nu. 61. Et Marianus in. c. 1. eo-
 dem titu. col. 5. versi. decima declaratio. Quod & ratione proba-
 tur, quia delictum non tribuit priuilegium, aut exemptionem. l.
 penul. de interdictis. et relega. l. siue hæreditaria. de negotijs ge-
 stis. neque aliquo iure cauetur, quòd eiusmodi pœnitentes à iuris-
 ditione seculari sint exempti. Nec obstat, quod isti, tanquam mi-
 serabiles, ecclesiæ protectionem implorare queunt. cap. 1. cum se-
 quen. 87. distin. tradunt Inno. Abbas. Siculus, & Marianus in lo-
 cis superscriptis. quia id fit in subsidium, & in Hispania insuetū
 est: nam personæ miserabiles breuius, & melius à regali culmi-
 ne defenduntur. l. 1. C. quando impera. inter pupi. & viduas.

- 18 ¶ Nec mouet ille textus in. c. aliud. 11. quæst. 1. quia non loquitur
 de talibus pœnitentibus, sed de alijs, qui profitebantur ordinem
 seu religionē quandā publicæ pœnitentiæ. De quibus frequēs mē-
 tio est in antiquis patrum decretis. c. de his. & seq. 33. quæst. 2. in
 concilio Agathensi cap. 11. vbi traditur, quòd illi pœnitentes im-
 positionem manuum, & cilicium super caput à sacerdote conse-
 quebantur, & comas deponebant, & vestimenta mutabāt. Et ca-
 none. 19. concilij Aurelianensis cauetur, vt qui pœnitentiæ bene-
 dictione suscepta, ad secularē habitum, militiamque reuerti præ-
 sumpserit, excommunicatione plectatur. Similiter de hac reli-
 gione fit mentio in canone. 12. tertij concilij Toletani. Et planius
 in. 4. concilio Toletano canone. 53. vbi hæc sunt verba. Quicun-
 que ex secularibus accipientes pœnitentiā totōderunt se: & rur-
 sus præuaricantes laici effecti sunt, ab episcopo suo ad pœniten-
 tiam reuocentur. Quod si aliqui admoniti, ad pœnitentiam re-
 uerti noluerint, vt veræ apostatę coram ecclesia anathematis sen-
 tentia condemnentur. Et nuncupatim in concilio toletano deci-
 motertio. cap. 10. dicitur, Pœnitens abstinere à peccatis pariter &
 negotiorum tumultibus debet. Nimirum ergo, si tales pœniten-
 tes, instar monachorum huius temporis, censerentur de foro ec-
 clesiæ. Hanc dicit communem opinionem Aretinus in. capit. 2.
 col. 2. de foro competen.

Est

- 19 ¶ Est & alius intellectus ad eundem textum, quòd Leo illic nil
 de mutatione fori secularis statuit, sed tantum consuluit pœnitē-
 tibus, vt iudicem ecclesiasticum potius adeāt, quàm secularem.
 Quod fieri potest, vel de consensu partium, vel ex natura causæ
 mixti fori. Loquitur autem Leo ille diuinus de auctore, in cuius
 electione aut potestate erat, vt trum vellet ex illis iudicibus adire.
 Quod euidentius apparet ex litera originali epistolę nonagesi-
 mæ ad Rusticum. c. 8. vbi ait, Melius expetit ecclesiasticū, quàm
 forense iudicium. Et hunc intellectum sequuntur Hugut. Archi-
 diaco. Cardinalis hispanus, & Præpositus in. c. aliud. 11. quæst. 1.
 Aretinus in. c. 2. de foro competen. col. 2. Et illic Andre. siculus.
 nu. 61. quæ intelligentia vera est. Et comprobatur ex alia epistola
 eiusdem Leonis. 94. ad episcopos & presbyteros intra Thraciam
 constitutos: in cuius epistolæ calce sic ait, Sanè si clericus laicum
 pulset, prius se audiri ab episcopis poscat. Tum si petitioni suę lai-
 cum viderit obuiare, ex permisso episcopi sui in seculi moderato-
 res disceptatione configat.

- 20 ¶ In quibusdam tamen causis fortassis cognoscere poterunt in-
 quisitores de criminibus horum pœnitentium. puta, si leuiter in-
 ter se rixati fuerint, in perpetuis, vel tēporalibus carceribus. Vel
 si vnus alteri propter habitum pœnitentiæ, conuitia diceret. His
 enim casibus, quia illi sunt sub inquisitorum custodia, & impro-
 perare hi videntur solennem pœnitentiam; fortè ab eis leuiter co-
 erceri poterunt. argumento. c. accusatus §. vltim. de hæreti. lib. 6.
 Sed extra hos aut similes casus, qui ratione officij ad inquisitores
 pertineant: si quid commiserint pœnitētes, suorum iudicum co-
 gnitio erit. Quod prolixius tractare libuit, quia superioribus an-
 nis, cum ex facto huiusmodi casus Granatæ contigisset, res, vt au-
 dio, cōtrouersa fuit inter inquisitores & iudices maleficiorum.
 Sed pœnitens, qui hominem occiderat, furca suspensus fuit.

- 21 ¶ Hactenus de pœnitentibus diximus: nunc autem pauca de
 conuersis subnectemus. Conuersos hoc loco intelligimus eos om-
 nes, qui ex gentibus, iudæis, mahumetanis, vel ex quacunque
 secta conuertuntur ad fidem christianam. Quamuis eostantum
vulgus conuersos appellare soleat, quorum parentes, aut ipsi ex
 iudæis

iudæis conuersi sunt. hi proculdubio sunt exhortandi, docendi, & inuitandi, præmijs etiam alliciendi, vt fidem orthodoxam sequantur. Qui autem conuersi fuerint, honorandi, & adiuuandi sunt, & in fide instituendi. Quod si quispiam eos deceperit, vel quoquo modo retraxerit, ne fidem Christianam suscipiant, aut susceptam deserant, is vltimo supplicio puniri debet. Quod sanctissimè cautum est lege pragmatica vndecima, data Granatæ anno domini millesimo quingentesimo primo. Quippè longe grauiore pœna dignus est, qui vitam perimit æternā, quàm qui temporalem aufert.

22 ¶ Sed illud quæsitum est, Nunquid recenter conuersi, & eorum liberi, pari iure cum reliquis veteribus christianis censendi sint? Quod magis videtur ex his, quæ Gratianus collegit. c. i. & seq. distin. 56. fusius Montaluuus in regia. l. 2. titul. 3. lib. 4. fori legum. qui hæreticum esse censet, inter vtrosque facere discriminè. Cuius opinionem veram puto in his, quæ ad fidem & religionem pertinent. Deus enim non est acceptor personarum: sed in omni gēte & loco qui timet deum, acceptus est illi. Similiter in iustitia commutatiua, & in alijs multis, in quibus omnes fideles æquādi sunt; in his omnibus differentia constituenda nō est inter hos, aut illos. Et hæc probantur omnibus illis argumentis, quæ Montaluuus pro sua opinione adducebat.

23 ¶ Nam quòd vltèrius probare nititur, hæreticum esse, prædictos excludere ab officijs publicis, dignitatibus, & honoribus; id magis inhumanum est, quàm hæreticum. Quid, quòd in distributiua iustitia, & in plerisque alijs humanis actionibus, plurimum refert, nobilis sit aliquis, vel ignobilis: ciuis sit, an peregrinus: Iudæus sit, aut Græcus. nimirum igitur, si differentia quædam interdum constituatur inter vtrosque: cum neque in statu innocentia, si diutius permansisset; omnes æquales forent, vt rectè Thomas docet. prima. primæ. quæst. 96. arti. 3. Quod multò minus esse potest in hac misera vita. His accedit, quod Iosephus lib. 1. contra Apionem de antiquis iudæis refert, Prouiderūt, inquit, vt genus sacerdotum sine permixtione, purumque consisteret. oportet enim eū, qui sacerdotiū habiturus est, ex eiusdē gentis nasci muliere:

muliere: & genus per antiquā lineā, & multis testibus approbare. Vide Aristo. lib. 4. ethi. l. 1. & illic iterptes. de postu. c. de multa. de præben. Thomā. 2. secundæ. quæst. 63. Et rursus quolibet. 10. arti. 12. Abulēsem Matthæi. c. 22. quæst. 108. Ioan. maio. in lib. 4. senten. distin. 24. quæst. 4. & Gabrielem distin. 15. quæst. 7. Felinum in. c. cū quidā. de iureiurā. Deciū in. c. nouit. de iudicijs. Fortuniū i. l. 1. de iusti. & iure. nu. 43. Alciatū lib. 1. de verbo. signi. charta. 7.

24 ¶ Inde est, quòd in Hispania hi, qui descendunt ex genere iudæorum, excluduntur ab officijs sanctæ inquisitionis, & à collegijs scholarium, à monasterijs quorundam monachorum, & præcipuè ordinis diui Hieronymi, & similiter à quibusdam capitulis ecclesiarum, & cōfraternitatibus. Quod receptum est, propter ambitionem quandam, seditionē, & inquietudinem, quibusdam illorū innatas. Idque iuste fieri posse probat Caietanus in opusculis tomo. 2. quæst. 6. vbi tamen irrationabilè putat, perpetuum statutū de hoc facere aduersus eos, qui nulla alia suspicionis nota sunt affecti, nisi quòd ex iudæis trahūt originem. tum, quia salus nostra ex iudæis est. tū etiā, ne iudæi retrahātur à fide christiana. In quo plus nimio curiosi sunt Hispani: eos quoque notātes, quorū maiores ante ducentos annos spōtè conuersi sunt: cū tñ ex eis multi religione, bello, & pace optimi, fortissimi, ac p̄clarissimi euaserit. vide. c. constituit. 17. q. 4. & Irenæū lib. 4. aduersus hæreses. c. 41.

DE PERTINACIBVS ET IMPOENITENTIBVS. CAP. XLVII.



QUIA pertinacia est hæresis cōplementū, & quæ p̄fectū & cōsumatū facit hæreticū, vt inquit Achidia conus. c. hæresis. 24. q. 3. necesse est, quid ea sit explicare. Pertinacia, vt ait Cicero, finitima est perseuerantia: nā vtraque in rebus ceptis persistit: sed perseuerantia occupat in bono, pertinacia verò in malo. Significat autē pertinacia obstinationē, qua quis persistit in quo nō debet. Inde pertinax dicitur secūdū Isidorū, quasi impudētè tenax, qui persistit in eo, quod debet dimittere. Et ḡraliter ille pertinax est, qui persistit in errore, quē sub reatu culpæ deserere tenet. Tradit Occā lib. 4. dialo. c. 1. Monachus in clem. 1. de vsuris. Squillacēsis de fide catholica. c. 25. Alfonso

fus lib. 1. de iusta hæreticorum punitione cap. 9.

1 ¶ Diuersi sunt pertinaciæ gradus, varieque de his considerare ac statuere oportet. Quidam enim vsque adeò peruersi atque indurati sunt, vt quæuis pati tormenta malint, quàm ab errore desistere. Horum iam olim, & nostris quoque temporibus, reperti sunt multi: qui magna, vt videbatur, constantia, & alacritate, mortem sustinebant pro suorum errorum defensione. De quibus Cyprianus tractatu aduersus Nouatianum, Cum deo, inquit, manere non possunt: qui esse in ecclesia dei vnanimes noluerunt. Ardeant licet flammis, & ignibus traditi, vel obiecti bestijs, animas suas ponant: non erit illa fidei corona, sed poena perfidiæ, nec religiosæ virtutis gloriosus exitus, sed desperationis interitus. De quibus etiam diuus Bernardus in canticis ait, Probatum est, mori magis voluit, quàm conuerti. Mirabantur aliqui, quòd non modo patienter, sed & læti (vt videbatur) ducebantur ad mortem. Sed non inde mirandum, si aduertatur, quanta sit potestas diaboli, non modo in corpora hominum, sed etiam in corda, quæ semel permissus possederit. Nonne plus est hominem sibi metinjicere manus, quàm id libenter ab alio sustinere? Hoc autem potuisse diabolum frequenter experti sumus in multis, qui semetipsos aut submerserunt in aquas, aut fecerunt ex sublimi præcipites, aut laqueo se suspederunt. Nil ergo simile habent constantia martyrum, & pertinacia hæreticorum: quia in illis, pietas: in istis, cordis duritia contemptum mortis operatur. hæc tenus ille. Vide Tertullianum lib. de præscriptionibus hæreticorum in principio.

2 ¶ Quòd si quibus fortè tétationi est, quòd horum plurimi pro suæ impietatis defensione non solum patienter, sed etiam alacriter mortem excipere videantur: quod sese in ministros Christi transfigurent, patrem suum vocantes deum, & pro persecutoribus suis orantes: atque id genus alia quædam, quæ simplicibus quibusdam, sed incautis: imò & doctioribus nonnullis, sed instabilibus in fide: sunt non tentationi solum, verum etiam scandalo. Hi non perpendunt antiqui illius, callidique hostis artes & potentiam in eos, quos semel totos obsedit. Nec enim præmonente nos id apostolo, cuiquàm mirum videri debet: cum ipse

ipse satanas sese transfiguret frequenter in angelum lucis: si ministri eius transfigurentur, sicut ministri iustitiæ. hæc Albertus campensis libro primo hierar. ecclesiast. cap. 6. vbi exempla huius rei memoranda recenset. Et vt quodam loco Catharinus inquit, non est horum alacritas vera, sed insania & furor, non patientia, sed immanitas, non certitudo salutis, sed inscitia & cæcitas, & confusio, non conscientia sana, sed cauteriata ignito ferro cupiditatis gloriæ, & proprio iudicio iam damnata. Est ergo in illis non fortitudo, sed timor, quem vt vincant, in desperationem descendunt. hæc ille.

3 ¶ Hi sunt pertinaces, indurati, ac dæmonis instr obstinati: qui viui cremandi sunt: qui que in ignem trahi debent, ore obstructo, & lingua ligata: ne pusillos queant scandalizare. Tanta horum pertinacia plerunque deprehenditur, vt nullis argumentis, nullis rationibus flecti possint: qui non alijs pharmacis curari debent, quàm igne. Talis fuit Acesius quidam episcopus, qui tercentum patribus Nicenæ synodi subscribere noluit, nec eis omnibus omnino cedere: quem Constantinus imperator pulchra elusit facetia. ô Acesi, inquit, pone scalam, & si potes, in cælum solus ascende. Refert historia tripartita libro secundo cap. 13. Sic Macarius cunctis orthodoxis patribus contrarius, in sexta synodo generalia actione octaua, dixit, Non confiteor duas operationes, & duas naturales voluntates in Christo, etiam si membratim incidar, & mittar in mare. Sed de his pertinacibus, qui palàm omnibus manifesti sunt, hæc dixisse sufficiat.

4 ¶ Sunt & alij pertinaces hæretici, qui similiter manifesti dicuntur, qui contra catholicam fidem publicè prædicant, & qui palàm defendunt errores. cap. super quibusdam. de verbo. significatio. Occam libro tertio dialo. cap. nono. & hi, qui alios alliciunt, aut cogunt ad suos errores defendendos: & qui compellunt abiurare catholicam veritatem, & qui bellum catholicis mouent, propterea quòd errores damnarunt. hæc & similia tradit Occam lib. 4. dialo. cap. 22. cum seq. & Gersonus, alphabeto. 14. prope finem, consideratione. 5. & 6. Hi autem, & qui fatentur se pertinaciter errasse, vel errare: & quicunque obstinato animo defendunt hæreses,

aut fidei veritati resistunt: hi omnes, inquam, veri hæretici pertinaces sunt, & in pœnas hæreticorum eo ipso incidunt: nec vlla de his dubitatio est. Vide Hermam lib. 2. de instauranda religione cap. 3. & deinceps.

5 ¶ Quid autem si quispiam credit aliquam propositionem hæreticam: sed monitus, aut captus à iudicibus protinus eam reuocat, dicitur ne iste pertinax hæreticus? Quidam putant huiusmodi hominem pertinacem non esse: quia non habet animum obstinatum. in quo errore fuisse videtur Alciatus in. l. 2. C. de summa trinita. Vera tamen hæc & notatu digna sententia est, Quicūque credit aliquam propositionem, cuius contrarium scit esse de fide, is consummatus hæreticus pertinax est. Hoc docet Occam. lib. quarto dialo. capit. secundo. Gersonus alphabe. 14. ad finem. Caietanus & Franciscus victoria super Thomã. 2. secūdã. quæst. 11. arti. 2. Driedo libro primo de libertate christiana, pagina. 238. Alfonsus libro primo, de iusta hæreticorum punitione capit. 9. Nam vt hi omnes aiunt, Pertinacia, quæ constituit hæreticum, non est obstinatio tantum: sed sumitur pro vero consensu, præsupposita notitia, quòd sit error in fide. Nec refert ex qua causa pueniatur ad verum illum consensum, siue ex passione, siue ex infirmitate: verè enim pertinax est, qui vult credere contrariū eius, quòd scit ecclesiam tenere. Nam sicut fides perficitur assensu intellectus ex consensu volūtatis, sic ex opposito hæresis perficitur dissensu intellectus cum consensu voluntatis.

6 ¶ Huius sententiæ ratio vrgentissima talis est, Sacra scriptura, & ecclesiastica definitio plus valet, plus operatur, & potest, quàm sexcentæ monitiones hominis, aut mille prohibitiones iuris humani. Quemadmodum igitur is, qui contrauenit legitimis monitionibus pertinax est, & qui facit contra præceptum canonis, incidit in excommunicationem ipso facto, propter iuris auctoritatem, quæ monitionibus æquiparatur in hoc, vt contumacem & pertinacem reddat transgressorē. c. si quis suadente. 17. q. 4. Sic & qui contra scripturam sacram, aut ecclesiæ definitionē sciēs errat, absque alia monitione pertinax hæreticus iure cēsēt, nec vltra requirit quòd sit inflexibilis, aut imutabilis. sat enim est, quòd velit credere

credere cōtra id, quòd ecclesia tenet. Sufficit igitur ad pertinaciã, quòd aliquis eligat non captiuare intellectum in obsequium fidei & ecclesiæ catholicæ: vt rectè ait Caietanus in sua summa, verbo, hæresis.

7 ¶ Sed quia non omnes hæretici fateri volunt, se scienter errasse; coniecturis, præsumptionibus, & probationibus tunc res agenda erit. In quo notandum est, quòd quicumque rationis capax, negat aliquam propositionem fidei, apud omnes fideles publicè diuulgatam; statim iudicandus est pertinax, maximè si peritus fuerit, aut sagax: quia talem propositionem tenetur explicitè scire, neque excusatur ignorantia. c. turbatur. 1. quæst. 4. nec præsumitur ignorantia in his, quæ omnes sciunt. l. lata culpæ. de verbor. significa. Hæc Occam lib. 4. dialo. cap. 10. cū seq. Et Gersonus alphabe. 14. prope finem, qui ita subiungit, Signum est pertinaciæ, si quis asserit errorem aliquem, cuius oppositam veritatem explicita fide credere tenetur: vel ex publica obseruatione, vel ex communi doctrina ecclesiæ, vel ex officio, aut statu suo, vel ex sufficiente informatione, vel ex naturali iudicio ratiōis. hætenus ille.

8 ¶ Qui verò negat assertionem catholicam: vel contrariam illi altruit, quàm antea docuerat; eo ipso conuincitur hæreticus pertinax, etiam in his, quæ explicitè scire nō tenetur: quia satis apertè constat, quòd iste sciētèr errat. Hoc prolixè tradit Occam. lib. 4. dialo. cap. 12. Et comprobatur simili declaratiōe animi, ex verbis præcedētibus sumpta, quam posuit glosa. in. l. fulcinius §. sed is qui. verbo, animus. quib. ex caus. in posses. ea. Lucas in. l. 1. C. si propt. inimicit. crea. fact. sit. lib. 10. Paulus in. l. etiam §. licet. solu. matri. Ruinus. consil. 116. lib. 5. Limitat hoc Gersonus loco supra dicto, ne procedat, quādo daretur probabilis obliuio. Sed vix est, vt in facto proprio inueniatur hæc probabilitas, nisi fortè propter diurnitatem, argumento. l. peregrè. de acquir. pos. quæ tamen non sufficit, si dictum, aut factum fuerit in signe, aut memorabile: tunc enim obliuio non præsumitur, nec propter diurnitatem quidem, vt notat Romanus consil. 481. Alexander in. l. si res obligata. de lega. 1. Felinus. in capit. cum illorum. de sentent. excommunicatio.

- 9 ¶ Ille quoque pertinax esse censetur, qui diu persistit in errore: cuius contrariam veritatem explicitè scire non tenebatur. Nam culpa sua persistit in errore, quem tenetur dimittere de necessitate salutis, cum sit negligens in veritate quærenda. vnde magis præsumitur id prouenire ex obstinata malitia, quàm ex ignorantia. nec enim verisimile est, quòd ille tanto tempore non audierit contrariam veritatem. Hoc sentit Occam libro quarto dialo. cap. secundo. apertius Archiepiscopus Florétinus in secunda parte summæ. titu. 12. cap. 5. Silvester, verbo, hæresis. 1. quæst. secunda. Lupus in allegatione, de hæresi §. 10. vbi tamen ait, multos esse, qui de hoc dubitant. Quod ex circumstantijs personarum, locorum, & temporum, & ex errorum qualitate censendum & cõstituendum erit. nam eiusmodi præsumptiones nonnunquam fallere solent.
- 10 ¶ Ad eundem modum præsumitur pertinax, qui impedit defensionem, prædicationem, & doctrinam veritatum fidei: & qui vtrò sustinet excommunicationem: & qui propter suspicionem hæresis vocatus ab inquisitoribus, contumaciter comparere recusat. Hæc ad nauseam vsque prosequitur Occam libro quarto dialo. cap. 22. & deinceps. quem sequitur Gersonus alphabe. 14. ad finem. considera. 5. & seq. Sed hæc omnia diligenter examinanda sunt: quia præsumptiones probabiles sunt, & non necessariæ: vnde ex eis solis nemo de hæresi dånari debet. c. literas. de præsumptio. Illud autem probare non possum, quod Occa. c. vlti. & Gersonus. considera. 2. asserunt, illum esse censendum hæreticum pertinacem, qui potestatem habens, hæreticæ prauitati non resistit, argumento cap. 2. de hæreti. & c. error. 83. distin. Hoc, inquam, mihi non probatur: quia talis dicendus est potius fautor, & quidem præsumptus: nisi aliunde constiterit de illius hæresi.
- 11 ¶ Qui verò asserit aliquam propositionem, cuius cõtrarium nõ tenebatur explicitè credere; non est iudicandus statim pertinax, quia in illo datur pbabilis ignorantia. quod ait Occa. lib. 4. dialo. c. 9. & iterũ. c. 18. & est de mète omniũ theologiæ, ac iuris peritorum. Vnde manifestè reliquitur, magnũ esse discrimen in his rebus, inter eruditum & idiotam, vt idem notat eiusdem libri. c. 6.
- Præterea

- 12 ¶ Præterea qui per ignorantiam probabilè errat: si legitimè fuerit admonitus, tenetur statim errorem suum reuocare. Quod si non fecerit, hæreticus pertinax esse censetur, quia perinde contradicit fidei, ac si à principio sciens erraret. Hoc probatur in. c. qui in ecclesia. 24. quæst. 3. & tradit Occam lib. 4. dialo. c. 13. Gersonus. tracta. de protesta. consideratio. 10. qui addit, talem non excusari, quamuis spretis monitionibus dicat, se velle stare determinationi concilij. Sequitur Alfonso lib. 1. de iusta hæreti. puni. c. 9.
- 13 ¶ Quòd si is errans moneatur minus legitimè; tenetur nihilominus cauta sollicitudine quærere veritatem, alioqui præsumetur pertinax: quia constituitur in mala fide per talem admonitionem, vel saltim redditur dubius, quod satis est. Confert. l. quidam hiberus. de seruitu. verba. prædio. cum his, quæ de effectibus interpellationis tradunt Felinus, & Decius in. c. nouit. de iudi. Hanc sententiam docet Occam. lib. 4. dialo. cap. 27. Gersonus alphabe. 14. ad finem, considera. 5. Alfonso prædicto cap. 9. qui inducit ad hoc textum in. c. dixit apostolus. 24. quæst. 3.
- 14 ¶ Dubium tamen est, quæ dicatur legitima admonitio. In quo distinguere oportet. Nam iuxta diuersitatem hæresum, diuersæ admonitiones fieri debent. In hæresibus apertè damnatis legitima monitio erit, ostendere sacram scripturam, vel ecclesiæ definitionem hæresibus contrariam. Si verò hæresis expressè damnata non sit; tunc argumentis manifestis agendum est, & illa vicè admonitionum obtinebunt. Quòd si talis errans cognitæ veritati non statim acquieuerit, ex eo tempore pertinax erit, quia nõ est paratus corrigi. Hæc fusius docet Alfonso eiusdem libri capite decimo.
- 15 ¶ Generaliter autem pro legitima admonitione habenda est, quæcunque causa errantem probabiliter ab errore ad veritatem reuocat: vt puta, si ei constiterit quocunque modo propositionè errori suo contrariam esse de fide: vel si fuerit à quocunque conuictus. tenetur enim confestim ab errore discedere: alioqui pertinax ille est, cum insistat errori, quem sub reatu deferere tenetur. Hoc docet Occam libro quarto dialogo. cap. vigesimo primo. Gersonus tracta. de protesta. consideratio. 10. Fran. victoria
- z iij super

- super Thomam. 2. secundæ. quæst. 11. arti. 2. Alfonsus eodē. c. 10.
- 16 ¶ Multis etiam videtur, legitimam esse monitionem inquisitoris, dicentis aliquid esse de fide: unde si quis errans ei non crediderit, pertinax hæreticus erit. Hoc asserit Bartolus in. l. 3. §. tutores. de suspect. tuto. & illic Nicola. de Neapoli. Compostellanus in clem. 1. de vsuris. glosa. 3. in extraua. cum inter. Ioannis. 22. Ioan. de anania. & Felinus in rubrica. de hæreti. Lupus in allegatione. §. 3. Arelatanus in tractatu, notabili. 19. Sed Alfonsus prædicto. c. 10. hoc reprobatur, quia non semper est hæresis talis, ut inquisitor illam scire possit, & quia possibile est, quod inquisitor erret. Salua tamen pace viri doctissimi, distinguenda magis, quam reprehendenda videtur hæc assertio. Nam cum inquisitores soleant esse viri docti & prudentes: & cum consilio peritorum agere confueverint omnia: præcipuè illa, quæ dubia, atque difficilia videntur: si errans fuerit imperitus; credere tenebitur iudici superiori: præsertim in his, quæ ad eius officium spectant: alioqui omnes hæretici conuincendi essent à solo papa, vel generali concilio legitime congregato. Ex qualitate igitur personarum, & hæresum quæstio hæc pendere videtur.
- 17 ¶ Sed quamuis probabilis ignorantia soleat excusare à pertinacia: si tamè talis errans iuraret se nunquam à sua opinione discessurum; statim sine monitione iudicaretur pertinax, quia ponit obicem veritati, nec est paratus corrigi, & sua temeritate declarat animi obstinationem. Hoc tenet Occam lib. 4. dialo. cap. 24. Gersonus de protestatione. consideratio. 10. Et Alfonsus lib. 1. de iusta, hereti. punitio. cap. 9. quod pari ratione procederet in eo, qui firmiter protestaretur, se nolle à tali errore discedere, ut inquit Occam eiusdem libri cap. 28. Sed in hoc amplius deliberandum censeo. Nam qui putat probabili ductus ignorantia, propositionem aliquam esse veram; eadem probabilitate potest asserere, se nunquam ab ea discessurum. Proinde nisi legitime monitus in suo errore perseveret; ego illum benigna interpretatione iuuare, scilicet, quod iurauit, salua semper veritate: quam cognitam illic sequitur.
- 18 ¶ Incurrigibilis dicitur, qui non habet propositum se corrigendi: sed vult esse contumax, pertinax, obstinatus, & induratus, ut
- Occam

- Occam inquit lib. 4. dialo. capit. 7. Censetur autem hæreticus incurrigibilis, qui semel & iterum correptus, in errore suo persistit. Quod satis constat ex Paulo epistolæ ad Titum. capit. 3. dicente, Hæreticum hominem post vnam & secundam correctionem deuita. sciens quia subuersus est, qui huiusmodi est, & delinquit, cum sit iudicio proprio condemnatus. Subuersum vocat apostolus, incurrigibilem. ut interpretatur Theophylactus & alij. Sed quia parum refert, quo ad pœnas iuris, vtrum aliquis pertinax sit, vel incurrigibilis: cum semper vsque ad sententiam admittatur, ideo amplius in hoc insistere non oportet. Vide scribentes in cap. cum non ab homine. de iudi. Alfonsus lib. 2. de iusta hæreticorum punitio cap. 1.
- 19 ¶ Cum autem pertinacia crimen sit graue, consequens est, ut in dubio præsumi non debeat. Et ita notat Ian. andr. Anchara. & Dominus in. c. cum contumacia. de hæret. lib. 6. Lupus in allegatione, de hæresi §. 9. Arelatanus in tractatu, notabili. 20. Nam generaliter dubia in benigniorem partem sunt interpretanda. c. estote. de regul. iur. Thomas. 2. secundæ quæst. 60. arti. 4. Abulensis Matthæi. cap. 7. quæst. 4. Siluester in summa, verbo, dubium. Et Caietanus verbo, suspitio. Felinus in cap. auditus. de præscriptio. Alciatus libro. 3. præsumptionum cap. 1.
- 20 ¶ Hactenus de pertinacibus, nunc verò de impœnitentibus pauca dicenda supersunt. Et imprimis illud notandum est, quod is, cuius hæresis plenè probatur, nisi illam puro corde confiteatur, & paratus fuerit eam abiurare, atque iniunctam pœnitentiam suscipere; tanquam pertinax & impœnitens iudici seculari relinquitur. Solet autem talis hæreticus appellari pertinax negatiuus. Qui, quamuis millies protestetur se fuisse, & esse catholicum, & in fide christiana viuere ac mori velle, nihilominus tamen curiæ seculari relinquendus est. Hoc deciditur per auditores rotæ in antiqua decisione. 875. quam ad verbum posuit Bernardus de bisneto inter alias rotæ decisiones. titu. de hæreti. Eadem sententiam tenuit Hostienensis in summa eodem titul. col. 2. & Calderinus consil. 2. Ioan. de anania in. c. excommunicamus. 1. §. adijcimus. de hæreti. Cuius contrarium perperam astruere tentauit Boherius decisio

ne. 341. cum tamen veriora retulerit in alia decisione. 343.

21 ¶ Sed prior sententia recepta est, & expressim decreta cap. 14. primæ instructionis Hispalensis. vbi cauetur, tales impœnites relaxandos esse iudici seculari, quia ecclesiæ de illorum hæresibus constat, ipsi verò ecclesiæ non satisfaciunt. non enim recipiuntur hæretici, nisi pœnites. c. ad abolendā. de hæreti. nec illis parcitur, nisi ad arbitriū iudicū satisfecerint ecclesiæ, vt ibidē dicitur. Præterea sufficit ad condemnationem, quòd reus testibus conuincatur, tametsi neget ille crimē. c. super quibusdam. de verbo. signi. l. 2. C. quorum appellatio. non recipi. Ad hæc necessaria est confessio ad pœnitentiam. c. non potest. cum seq. de pœniten. distin. 1. nec meretur veniam, qui peccatum non agnoscit. c. serpens. eadem distin. Denique iste refugit erubescētia peccati, nō agit pœnitentiam, non abiurat errores: nimirum ergo, si tanquā pertinax, & impœnitens abijciatur.

22 ¶ Eisdem prorsus rationibus iudici seculari traduntur, qui errores iudicibus in processu causæ probatos, non plenè ac simpliciter confitentur: nam & hi verè impœnites sunt, qui omnia crimina non fatentur. falsam enim pœnitentiam eam esse constat, cum spretis pluribus, de vno solo agitur pœnitentia: aut cum sic agitur de vno, vt non discedatur ab alio. c. vlti. de pœniten. distin. 5. Quem pœnitet, inquit Augustinus, disti. 1. omnino pœniteat. vbi glosa exponit, id est, perfectè conteratur de omnibus. Quædam impietas infidelitatis est, ab illo, qui iustus, & iustitia est, dimidiam sperare veniam. c. sunt plures. de pœniten. distin. 3. Tradunt plura de hoc theologi in lib. 4 senten. distin. 15. Hi autem vocari solent impœnites diminuti, quæ diminutio cōtingit multipliciter. Vel quia hæretici non fatentur omnes suos errores: vel non omne tempus errorū: vel non omnes qualitates & circumstantias aggrauātes: vel non reuelāt omnes, quos hæreticos esse sciūt, vel negant intētionē, vel alias friuolas, vel falsas excusationes prætendunt ad excusandas hæreses.

23 ¶ Qui verò pœnitentiæ iniunctæ propter hæresim nō satisfacit, puniri potest velut impœnitēs, periurus, & fictè conuersus, vt rectè docet Calderinus consil. 2. titu. de hæreti. Est enim periurus, quia

quia contrauenit iuramento præstito, de parendo mandatis ecclesiæ, ac de pœnitentia adimplenda. Deinde fictè conuersus censetur, quia nec agit pœnitentiam, neque persistit in ecclesiæ obedientia debita. Demum impœnitens quoque est, quia non minima pœnitentiæ pars est satisfactio, & iniuncti operis obseruatio. c. non sufficit. cum seq. de pœniten. distin. 1. Sequitur hanc sententiam Decius. consil. 137. vbi tamen labitur euidenter, dum ait, nō posse inquisitores cognoscere, an prædicti pœnitentiam iniunctam agant. In quo errore est etiam Probus ad mona. in. c. præfidentes. de hæreti. libro. 6. Contra quos sunt iura expressa in. c. vt commissi & nec non. eodem titu. & in. c. literas. de præsumptio. Quod & vsu comprobatum est.

24 ¶ Consimili ratione procedendum est contra illos, tanquā contra impœnites, & fictè conuersos: quos post reconciliationem cōfiterit de seipsis, vel de alijs hæreticis veritatem celasse: dum tamē probabiliter appareat, id per obliuionem factum non fuisse. Hoc decretum extat in prima instructione hispalēsi. c. 13. Cuius ratio euidenter est, quia non plenè confessi, ac proinde fictè atque simulatè conuersi cēsentur. Hi autem impœnites omnes, nō debent statim iudici seculari relinquī, sed iure agendum est cum eis, vsque ad sententiæ prolationem, non enim relapsi sunt. quod rectè docet Calderinus consil. 2. titu. de hæreti. & ita vtimur.

25 ¶ Impœnitens etiam iure cēsetur, qui publicè asseruerit, se nunquā incidisse in illas hæreses, quas coram iudicibus confessus fuit, & qui se iactauerit non commisisse prædictas hæreses, vel non eas omnes. Hoc sentit Calderinus consil. prædicto. & nuncupatim decretum est eodem. cap. 13. Quod ea ratione probatur, quia nō est ille verè pœnitens, qui confessionem reuocat, & errores confessos celat. Vnde relinquitur euidenter, quòd vel iudices prius de cepit ficta confessione, ac se iniuste infamauit, & peierauit: vel è regione, quòd nunc est ille impœnitens: quia non perseuerat in confessione, nec in statu verè pœnitentiæ. Cæterum si denuò iustam pœnitentiam agere velit, recipiendus est: quia desinit esse impœnitens, nec ob id relapsus est.

DE

DE PRÆDICATORIBVS. CAP. XLVIII.



Mab hæreticis prædicatoribus magnum periculum populo immincat; cauere diligenter oportet, ne quispiam audeat prædicare, qui prius examinatus & probatus nõ sit. c. excommunicamus & quia verò. de hæreti. Latius in concilio Lateranensi sub Leone decimo. sessione. ii. Ne laici prædicare debent, nec fœminę. c. cum ex iniuncto. de hæreti. c. noua. de pœnitent. & remissio. Paulus prioris epistolæ ad Corinthios. c. 14. In quo vt in reliquis omnibus, turpiter errant lutherani, verbi dei prædicatione laicis, reprobis, fascinatoribus, indifferēter permittētes.


1 ¶ Sunt autem eligendi prædicatores idonei, morum honestate, ætate, doctrina, probitate, prudentia, & vitæ exemplo commendati: vt prædicta sessione. ii. decretum est. Debet ergo prædicator apprimè esse eruditus, & doctus, irreprehēnsibilis, maturus, & pauidus: sicuti diuus petrus instituit. c. oportet. 8. quæst. i. Debet etiã gratiam docendi habere, & in ipsa doctrina discretus esse: ne aut tacenda proferat, aut dicenda taceat. c. i. distin. 43. Demum animaduertere oportet, ne nimia & proluxa loquacitate odiosus fiat. c. sit rector. eadem distin. Breuitatem auditores ecclesiæ diligunt, sicuti Origenes inquit super lib. iudicum homilia 6. Etenim breuis & circumspectus sermo, & auditur libētius, & melius memoriæ commendatur: & contra, satietas inimica est auribus, quem admodum cibus superfluus corporibus. quod eleganter ait Nazianzenus oratione in sanctum lauacrum.

2 ¶ Sed inter alia, quæ necessaria sunt in prædicatore, probitas imprimis exigenda est. nam vt ait Chrysostomus in actis apostolorum homil. i. nil doctore frigidius, qui verbis duntaxat philosophatur. nec enim hoc doctoris est, sed histrionis, & hypocritæ. Et rursus ibidē homilia. 30. inquit, Multum nocet, qui quod docet, nõ facit. Diuus quoque Gregorius ait, cuius vita despicitur, restat, vt eius prædicatio contemnatur. Et Aristot. 10. ethi. cap. 1. circa humanas actiones minus, inquit, creduntur sermones, quàm opera, nisi sint operibus concordēs. Et Leo magnus in sermone de sancto

cto Laurentio, Validiora, inquit, sunt exempla, quàm verba: & planius est, opere docere, quàm voce. Debet autem esse prudens, vt pro ingenio discipulorum semetipsum possit aptare, ne secreta mysteria, quæ vulgi captum excedunt, coram indignis, & non intelligentibus referet. Qui enim ea docet, quæ ab auditoribus non valent intelligi, non ad eorum vtilitatem, sed ad sui ostentationem facit. c. in mandatis. c. vlti. 43. distin. c. 2. & seq. prioris epistolæ ad Corinthios, & canon vltimus apostolorum, & Nazianzenus oratione decimatertia.

3 ¶ Quòd si prædicator quippiam suspectum, dubium, aut malè sonans, protulerit; statim cogendus est ab inquisitoribus, vt publicè id retractet: vel in sensum pium exponat: monèdusque est, ne talia iterum prædicare audeat. Si verò grauius aliquid prædicauerit: puniri debet pro modo admissi, & officio prædicationis priuari. Ea enim pœna est delinquentis in officio. l. i. de legatio. l. si aliquid. C. de suscepto. & archar. lib. 10. Ad extremum, si plura de prædicatoribus desideras, vide Vualden. tomo. i. lib. 2. capit. 70. cum seq. Dionysium in elucidatiōe prouerbio. cap. 6. Fabrū contra Lutherum. tracta. 6. textu. 6. Siluestrum & Caietanum in summis, verbo, prædicatio. Felin. & Ripam in. c. decernimus. de iudicijs. Alfonso aduersus hæreses. c. prædicatio. Et iterum, de iusta hæreti. punitio. lib. 3. c. 2. & seq. Hermam. lib. 1. de instaurā. religio. c. 11. Brunum. lib. 6. de hæreticis cap. 4.

DE PRÆSUMPITIONIBVS ET SVSPITIONIBVS. CAP. XLIX.



Quia præsumptiones & suspensiones mouere solent animum iudicis in hanc vel illam sententiã: præsertim in his criminibus, quæ clanculum perpetrari consueuerunt: idcirco nõ ab re fuerit, pauca de his nunc perstringere. Imprimis autem illud notandum est, quòd in euidentibus & certis non est locus præsumptionibus, aut coniecturis. l. continuus. §. cum ita. de verbo. obliga. l. ille aut ille. de lega. 3. nec dubia & incerta iudicanda sunt pro certis

pro certis . Vnde Sixtus ait, Incerta nemo pontificū iudicare præsumat, & quamuis vera sint, non tamen credenda, nisi quæ certis iudicijs comprobatur: nisi quæ manifesto iudicio cōuincuntur: nisi quæ iudiciario ordine publicantur. Victor quoque inquit, Incerta nullatenus iudicemus, quousque veniat Dominus, qui latētia producet in lucem, & manifestabit consilia cordium. Itē Euaristus ait, Nullū ante veram iustamque probationem damnare debemus. mala itaque audita nullum moueāt, aut passim dicta, absque certa probatione quisquam vnquam credat: sed ante audita diligenter inquirat: ne precipitando quicquam aliquis agat. c. si quis diuinis. & sequenti. 30. quæst. 5.

1 ¶ Præterea animaduertere oportet, quod iudex nō debet esse magis, aut minus affectus, quàm leges, vt alibi attigimus. Non enim præsumptionibus & suspicionibus magis credere debet, quàm leges credant: quarum ille minister & custos est, non autem dominus. Nec cum propria & priuata cōscientia mouere debet in reorum perniciem, sed fides eorum, quæ probata fuerint. l. illicitas & veritas. de officio præf. c. pastoralis & penul. de offi. delega. vbi latè doctores. Gellius lib. 14. cap. 2. Lucas in. l. 2. C. de tabula. lib. 10. Thomas. 2. secundæ, quæst. 64. arti. 6. & iterum quæst. 67. arti. 2. Nec ideo crimina impunita erunt, cum Deum ipsum habeant vltorem: nec in hoc seculo puniri omnia possunt, alioqui diuina iudicia locum non haberent, vt ait Anacletus in. c. si omnia. 6. q. r.

2 ¶ Est autem præsumptio, à præ, id est, ante, & sumptio, quia ante legitimas probationes aliquid sumit pro vero. Hanc diuidere solent in præsumptionem iuris, & de iure: & alteram iuris tantum. Prior describi potest, vt sit legis dispositio aliquid præsumptis, & super præsumpto, tanq̄ sibi comperto, statuentis. Hęc solet ab apertis iudicijs proficisci, de qua multa dicuntur in. c. is qui fidē. de sponsali. & sæpe alibi. Contra hanc præsumptionem regulariter probatio nō admittitur, quia pro manifesta veritate habetur. l. antiquæ. C. ad Velleia. l. à diuo pio & si pignora. de re iudi. Exēplā huius præsumptionis in materia nostra hæc sunt. suspectus, vel diffamatus, qui tempore mortis petit consolationem ab hæreticis secundum eorum consuetudinem: si constat eum fuisse sa-

næ

næ mentis, damnatur à iure tanquam consummatus hæreticus. c. filij. de hæreti. lib. 6. Quod paritatioe locum habere puto in cōuersis ex Iudæis, vel mahumetanis, qui iuxta ritus parentum suorum decedere, ac sepeliri voluerunt. Sic etiam sine spe veniæ relapsus præsumitur, qui post abiuratam hæresim acceptat, deducit, visitat, & associat hæreticos, vel munera eis donat, vel fauorē impedit. c. accusatus & ille quoque. de hæreti. lib. 6.

3 ¶ Huc etiam spectant violentæ quædam præsumptiones, quæ veritatē ipsam præferre videtur. Qualia sunt iudicia indubitata, quæ ad aliud trahi nequeunt, quàm ad id, quod indicat: quæ pro veris probationibus sunt habenda, vt ait Archidiaconus. Ioan. andr. & Domini. in. c. 2. de hæreti. lib. 6. Talia esse videntur, hæreticos adorare, ritus iudeorum, aut saracenorum celebrare: ieiunia, ceremonias, orationes eorum facere: atque alia id genus, quæ nō nisi ad hæresim trahi posse videntur. Est autem iudicium apertum, tale signum facti, quod vrgeat animum boni & constantis viri ad réplanè credendam. Quod notauit Spiegel in lexico iuris. verbo, præsumptio.

4 ¶ Alia est præsumptio iuris tantum, contra quam admittitur probatio. Hanc Alciatus lib. 1. præsumptionum sic definit, Præsumptio iuris est, probabilis coniectura ex certo signo proueniens: quæ alio non adducto, pro veritate habetur. Probatur hæc definitio l. 1. C. de impuber. & alijs substi. & in. l. licet imperator. de lega. 1. vbi iuris præsumptio, nisi contrarium probetur, pro veritate haberi solet. Cuius plura exempla colligit Tiraquellus. in. l. si vnquam. C. de reuocā. donatio. parte, donatione largitus. num. 127. Aliæ sunt præsumptiones ex facto proueniens, quas iura in arbitrium iudicum reijciunt. Quæ tam variæ sunt & incertæ, vt certa regula eas comprehendere, impossibile fuerit. Harum quasdam breuiter hoc loco perstringam, sed eas potissimū, quæ in hoc iudicium frequentius incidunt.

5 ¶ Talis præsumit filius, qualis pater. glo. in. l. quod si nolit & qui mancipia. de edilit. edict. Et Aristoteles lib. 1. politi. c. 4. vt ex hominibus hominem, ex bestijs bestiam: sic, inquit, ex bonis bonū generatur. qui etiam videndus est. 4. de generatione. capit. 3. Et antiquum

antiquū prouerbiū est, Mali corui, malū ouū. Ideo rectè Plutarchus ait in exordio libri de liberis educādis, Pulcher thesaurus est, bonis procreatū esse parentibus. Mantuanus quoque ait, Qui vi ret in folijs venit à radicibus humor, Et patrum in natos abeūt cū semine mores. Huius rationem assignat Cicero lib. 1. officio. in-quiens, Plerunque parentum præceptis imbuti filij, ad eorum cōsuetudinem, moremque deducuntur. nam cum filij parētes suos amēt: quæcunq; in eis vident, bona esse putant. Quæ ratio est, cur sæpe soleat filius similis esse patri: alioqui plus educatio potest, quàm pcreatio. Quod ex Lycurgo retulit Plutarchus in apophthegmatibus. Quippe cū aīa imediatè sit à deo creata, nō autē pcedat ab influxu paterno, vt rectè docet Thom. i. lib. 2. sent. disti. 18. q. 2. vnde ex mala vel bona institutione filius malus aut bonus euadere solet, patrique longè dissimilis, vt experientia indicat, & notauit Lactantius lib. de opificio. dei. c. 19. Zafius in. l. 2. §. sextus cecilius. de origin. iur. Vide Tiraquel. in septima lege connut i. li. Alciatum lib. 1. præsumptio. c. 24. & iterum cap. 48. Alfonso lib. 2. de iusta hæreti. punitio. cap. 8.

6 ¶ Talis quoque præsumitur quisque, quales hi sunt, cum quibus conuersari solet. Quia, vt habet vetus prouerbiū, Similes cum similibus facillimè congregantur. vnde Sapiens prouerbiorum cap. 13. inquit, Qui cum sapiētibus graditur, sapiens erit: amicus stultorum, similis efficietur. Et rursus. c. 22. Noli esse amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioso: ne fortè discas semitas eius, & sumas scandalum animæ tuæ. Et Ecclesiastici. c. 13. Qui tetigerit picē, coinquinabitur ab ea: & qui communicauerit superbo, induet superbiam. Et psalmo. 17. Cum sancto, sanctus eris: & cum electo, electus eris: cum viro innocente, innocens eris: & cum peruerso, peruerteris.

7 ¶ Præsumitur etiam aliquis bonus vel malus ex natione & patria. sunt enim cuique nationi vitia quædam peculiaris. Propterea de seruis venalibus loquens Vlpianus ait, Plerunque natio serui, aut prouocat, aut deterret emptorem: idcirco interest nostra scire nationē. Præsumptum etenim est, quosdā seruos bonos esse, quia nationis sunt non infamata: quosdā malos videri, quia ea natione

natione sunt, quæ magis infamis est. l. quod si nolit §. qui mancipia. de edilit. edict. confert. c. si gens Anglorū. & seq. 56. distin. col legit multa de hoc Tiraquel. lib. de nobilitate. c. 12. sed in pposito nostro hæc præsumptio augetur in eis, qui sunt ex ea natione, in qua vigent hæreses.

8 ¶ Præterea facilius præsumitur malū de malo homine, quàm de bono. Quia vitia cathenata sunt: & nemo repēte fit turpissimus. Vnde Hostien. in summa tit. de iudæis §. quibus. inquit, de malo hoīe, nō nisi malū præsumendum esse. Sequitur Pōzinibius de la mijs. in fine. & Molineus in tracta. cōtractuū nu. 408. Cōfert vulgaris illa regula iuris, Semel malus, semp præsumit malus. Et quæ colligit Lucas in. l. quæadmodū. C. de agricol. & cēsi. lib. 11. Hippof. in practica §. diligēter nu. 99. Alciatus lib. 1. præsump. cap. 7.

9 ¶ Ex prædictis præsumptionibus intelliges, cur in prima actione pcessus, qui fit sup hæresi, reū diligēter interrogare soleāt inquisitores, vbi natus, & educatus sit, & cū quibus cōuersatus fuerit, & sint eius parentes, & vt verbis Horatij dicā lib. 1. epistol. vnde domo, quis, cuius fortunæ, quo sit patre, quoue patrono. Quæ diligēter considerāt rhetores in causa coniecturali. Et elegāter explicat Zafius lib. 2. rhetoricæ ad Herēniū paulò post picipiū. Etenim propterea id fit, vt rectius præsumi, ac dijudicari queat, an verisimilia sint, quæ aduersus reū dicuntur testimonia. Quia vt Baldus inquit in. l. vlti. C. de heredi. insti. præsumptiones legū nō aptatur nisi sup verisimilia. Et illa præsumptio est efficacior, quæ & verisimilior. l. 2. C. de ficar. & vt idem ait in. l. 1. C. de ser. fugi. quod nō est verisimile, habet quandam falsitatis imaginem. Cōfert. l. vlti. quod met. caus. c. quia verisimile. de præsumptio.

10 ¶ Malè quoq; præsumit cōtra illos, qui cū possint, nō contradicūt hereticis, schismaticis, apostatis, & blasphemis, quæ quodāmodo cōsentire illis videntur. c. error. 33. disti. c. 2. de heret. & illic notāt Abbas, Ancharanus, Ioan. de anania. & Felinus. qui aiunt, speciale esse hoc in his criminibus, quæ in christianā religionē, & oīum in iuriā cōmittuntur. l. manicheos. C. de hereti. Quia resistēdo illis, obuiatur contagioni, & scandalo, & futuris criminibus, quod quilibet christianus pro viribus facere semper & vbique debet.

- 11 ¶ In malis verbis & malis factis præsumitur malus animus. l. si nõ conuitij. C. de iniurijs. capit. 1. de præsumptio. vbi multa collegit Felinus, & noster Lupus in allegatione de hæresi §. 7. & seq. Et enim humanæ aures tali verba nostra iudicāt, qualia foris sonāt. c. humanæ. 22. quæst. quinta. Nec est præsumendus quisquam dicere, quod non prius mēte agitauerit. l. Labeo §. idem tubero. de supellecti. lega. Et vt Aristoteles inquit rhetoricæ ad Alexandrum cap. de specie laudādi. Sermones sunt ingeniorū & morū velut imagines. Omne supuacuū, inquit Horatius, pleno de pectore manat. Hæc præsumptio trāsferit onus p̄bādi cōtrariū, in eū, q̄ vult mala facta, aut verba excusare. vt ibidē, & sæpe alibi traditur.
- 12 ¶ Non præsumitur sanæ mētis, qui habet memoriam inordinatam. cap. filij. de hæreti. lib. 6. vbi hoc notant Domin. & Francus. vsque adeò quippè vicinæ sunt memoria, voluntas, & intellectus; vt vix vna ex his animæ potētis lædi possit, quin aliæ quoque læsionem sentiant. Adde quòd non est præsumendus sanæ mentis esse, qui errores nouos, & inauditas, atque absurdas hæreses comminiscitur: hoc enim genus est insanix pessimæ. Quod quidem sæpe experiētia compertum est. Ideo quæ inquirere oportet, vtrū hæreticus huiusmodi mente sit lapsus, aut insanus.
- 13 ¶ Hoc autem annotādum est, quòd in examinatione processus magnum momentum facit, an reorum confessions, & contrariæ probationes perpetuò sibi cōstent, an potius variare deprehendantur. hinc enim vehemens præsumptio insurgit veri, aut falsi. Nam vt ait Aristoteles lib. 1. ethi. c. 4. vero consonant omnia: falso autē cito dissonat verum. Et in prologo Oseæ Hieronymus inquit, Non potest verū esse, quod dissonat: vniformis quidem res veritas: mendaciū autē in varia distrahitur. Et quæ à veritate non veniunt, nemine etiā impellente, seipsa subuertūt. Denique, vt Picus mirandula scripsit, ferè ita est, mala causa, quo se plus defēdit, plus p̄dit: cōtra, veritas sicut ignis, quo plus excutit, plus clarescit.
- 14 ¶ Et licet regulariter nemo ex præsumptiōibus dānari debeat, maximè in tā graui crimine. c. literas. de præsump. notat Iason. in repeti. l. admonendi. de iureiuran. col. 123. si tamen ad condemnationē procedatur, non est infligenda pœna ordinaria, sed moderari,

ac

- ac temperari sentētia debet. Hæc est doctrina Innocentij in cap. quia verisimile. de præsumptio. approbata per Cardinal. Antonium, & complures alios in cap. afferte. eodem titu. Quam etiā post multos sequitur Lupus in allegatione de hæresi §. 11. Hippolytus in rub. de probatio. num. 241. Boherius decisione. 164. Plura de hac materia inuenies apud Lucam. in l. quicumque. de apochis publi. libro. 10. Et iterum in l. 1. de quæsto. Et rursus in l. principes. de principi. agen. in rebus. libro. 12. Extant præterea integri libri de præsumptionibus editi à Guidone papæ, atque Alciato.
- 15 ¶ Suspitiones verò, sicut & præsumptiões, in multiplici sunt differentia. Quædam enim suspitio temeraria est, alia leuis, alia vehemens, alia violenta. Est autem suspitio, passio animi aliquid firmiter non eligentis, vt inquit Baldus, in rub. de probatio. Et minor est, quàm præsumptio, vt idem ait in authē. si quis. C. de adultere. nam ex suspitionibus oritur præsumptio, non autem contra: Sed interdum simul concurrunt: & quòd suspicamur, idem quoque præsumimus. Suspitio temeraria est, qua temerè aliquid suspicamur. Sic etiam leuis, vehemens, & violenta: quibus leuiter, vehementer, & violenter mouemur ad suspicandum. De quibus post Bartolum in l. admonendi. de iureiuran. Multa scripsere moderni Iason, Ripa, Curtius, & cæteri.
- 16 ¶ Sed quòd ad propositam materiam attinet, Gersonus tractatu de protestatione, consideratione vltima, sic docet, Suspitio leuis, prouenit ex signis exterioribus operum, aut verborum, ex quibus capitur coniectura, qua concludi potest, non quidē frequenter, sed rarò, seu contingenter, vt in paucioribus: quòd talia dicens, vel faciens, sit hæreticus: id quæ deducitur ex leui cōsequētia. vt puta, si argumentaremur hoc modo, Petrus deierat frequenter: ergo non benè credit in deum.
- 17 ¶ Suspitio vehemens sumitur ex signis exterioribus operū, aut verborū: ex quibus capitur argumentū cōcludēs frequēter, & vt in pluribus, quòd talia dicens, vel faciēs, est hæreticus: vt putà, si quis neget explicitè, palā, & publicè, aliquas p̄positiones fidei, quas tenetur ex officio suo scire: quamuis fieri possit, quòd talis negatio prouenerit ex ignorantia, vel animi leuitate.

A ij

Violenta

- 18 ¶ Violenta suspitio est, quæ prouenit ex signis exterioribus operum, aut verborum: quibus cognitis, concludi solet efficaciter, & vt semper, quòd talia dicens, vel faciens, est hæreticus. vt si quis propositiones hæreticas publicè asserat, vel si adoret sepulchrū Mahumetis. Quæ quamuis possibile sit, quòd sine intellectus errore dicantur, aut fiant, ecclesia tamen, quæ iudicat exteriora, præsumit violenter prædictos esse hæreticos: nisi legitimè se purgauerint, probando ignoratiam, timorem, vel fictionem, & ostēdentes se correctioni paratos. hæctenus ille. Itaque suspecti de hæresi sunt, de quibus indicia aliqua sunt, eos de catholica fide malè sentire.
- 19 ¶ Suspitio de hæresi oriri potest etiam ex leuibus signis, dum tamen illa signa plenè probentur. Hæc est opinio Innocen. in cap. sicut. de simonia. Quam sequitur Ioan. andr. in cap. vt officium §. 1. de hæreti. lib. 6. Ancharan. in cap. accusatus. in princi. eodem titu. Felinus in capit. literas. de præsumptio. col. vlti. Brunus. lib. primo, de hæreti. cap. quarto. Quæ tamen, salua patrum venia, mihi falsa & explodenda videtur. Nam leuia signa mouere non debent animum constantis viri ad suspicandum tam graue crimen: sed potius interpretanda sunt in meliorem partem, & benigniorem. cap. estote. de regul. iur. Præterea ex leuibus indicijs male suspicari de homine christiano; peccatum est, quia talis suspitio est actus voluntarius, à recta ratione dissonans: non enim ex leuibus signis moueri debemus contra proximos: quibus iniuria fit, si malam opinionem de illis habemus absque rationabili causa: vt rectè docet Caietanus in summa, verbo, suspitio. neque ideo minus leuia signa sunt, quia plenè probentur, vel manifesta fiāt.
- 20 ¶ Hoc amplius addunt nonnulli, quòd in crimine hæresis statur leui suspitioni: saltem vt inquisitor possit procedere ad interrogandum, quid suspectus sentiat de fide. Hæc est opinio Matthæi de afflictis in constitutionibus Siciliae titu. 1. col. antepenul. Quem sequitur Ludouicus carerius in tractatu de hæreticis nume. 116. qui citant in hoc. l. secundā. & authenti. gazaros. C. de hæreti. l. præsent. de his qui ad ecclesiam. confugi. vbi, meo iudicio, nil tale probatur: neque id fieri debere puto, nisi fortè ex causa

- causa, & cum homine alioqui abiecto, aut leuis, maleque opinionis. Nam honestum hominem in iudicium trahere pro leui aliqua suspitione: illumque de fide interrogare, dubitareque, an orthodoxus sit, vel minus; graue atque iniuriosum esset.
- 21 ¶ Sunt autem plura, ex quibus suspitio hæresis insurgere potest, quàm vt generali regula comprehendere queant. nam ex varjis personarum, temporum, rerum, atque locorum circumstantijs passim oriuntur. Sed ex grauissimis criminibus, longissimè etiam distantibus ab hæresi, nascitur interdū suspitio nō leuis, quòd aliquis non est catholicus: vt puta, si quis cum fœminis consanguineis, afinibus, religiosis, aut commatribus, coierit; præsumi quādoque potest, quòd qui talia facit, non rectè de fide sentit. Vnde regia lex. §. tit. 15. lib. 8 ordinatio. ait, huiusmodi crimē quodāmodo heresim esse. Quod multo magis præsumere licet, de fœdisissimis illis cinædis: qui nefandum crimen committunt. Quos deus tradit in reprobum sensum, & in passiones ignominia, vt Paulus inquit. cap. 1. epistolæ ad Romanos. Sed & Iason in. l. 3. §. iurari. de iureiurā. putat, speciē hæresis esse iuramēta scelerata facere.
- 22 ¶ Suspectus quoque de hæresi meritò iudicabitur, qui nouas & singulares opinioēs tenet in materia morali: easque defendere solet, contra receptas & communes sententias. Hoc scripsit Francisc. Victoria super Thomam. 2. secundæ. quæst. 11. arti. 2. Quod tamen ex circumstantijs prædictis dijudicandum crit. Nam & Gersonus tractatu de protestatione. considera. vlti. generaliter, vereque definit, circa omnes suspitiones plurimum conducere consuetudines, varietatesque personarum, temporum, & locorum. Quædam enim sufficiunt ad vehementem suspitionem in vna persona & regione, quæ in alijs non ita vrgerent. vt videre est in distinctione doctorum, & ignorantium: bonorum, & malorum: & in blasphemantibus ex abusu quarundam regionum: quod illic pro nihilo haberi solet, quasi non sit virilis animi sine blasphemia loqui, sed in alijs personis & locis reputaretur horrendum.

DE

A iij

DE PROBATIONIBVS. CAP. L.
 DE PROBATIONIBVS.
 C A P. L.



In crimine hæresis probando, de maiori præiudicio agitur, quàm in plerisque alijs criminibus: tū, quia grauiores pœnæ statutæ sunt contra hæreticos: tum etiam, quia infamia inde proueniens, totam familiam, & cognationem denigrare, atque inficere solet: quam obrem oportet in hoc prudēter, & cum multa cautela procedere. c. vt officium §. verum. de hæreti. lib. 6. cap. vbi periculum. de electio. Hinc est, quòd cum in alijs criminibus necessariæ sint ad condemnationem probationes luce clariores. l. vlti. C. de probatio. à fortiori argumento infertur, quòd lucidiores exigantur ad probandas hæreses. eo accedente, quòd facultas defensionis manca quodammodo re concedi solet. Hoc nuncupatim docet Oldradus. cōsil. 110. Anchara. in. c. accusatus. in principio. de hereti. lib. 6. & Ponzinibius tractatu. de lamijs nu. 67.

1 ¶ Ab eodem fonte manat, quòd sicut in alijs criminibus non sufficit ad plenam probationem vnus testis cū fama, quæ est doctrina glosæ in. c. veniens. 1. de testibus. quam illic sequuntur doctores, & Alexander consil. 143. lib. 2. Decius consil. 458. & alij complures: multo magis in probanda hæresi, hoc ipsum erit obseruandum. Quod nominatim aiunt Ioan. de lignano. & Matthæ. in. clem. 1. & 2. de hæreti. Ioan. andr. & Domini. in. capitul. vt officium. eodem titu. lib. 6. Gonsalus in tractatu quæst. 13. Quinimo plures testes singulares cum fama non sufficiunt ad probandam hæresim. Et ita se habet communis doctorum sententia, teste Lupo in allegatione de hæresi §. 12.

2 ¶ Pari ratione consequitur, quòd quemadmodum in alijs criminibus non defertur iuramentum accusatori ad supplendum probationis defectum, vt docet glosa. in. l. 3. de iureiuran. quam esse communiter approbatam testatur illic Alexand. nu. 12. Et sicut semiplenæ aut imperfectæ species probationū in alijs delictis nō iungunt ad faciendā plenā fidē, vt ait Bartol. in. l. si quis ex argentijs §. 1. de edēdo. Alexā. cōsil. 143. lib. 2. Decius. cōsil. 615. Ripa. i. l. admonendi

admonendi. de iureiuran. nu. 209. Et hæc est sentētia recepta cōmuniter, teste Grato. consil. 47. lib. 2. Et sicuti in prædictis causis non creditur testibus, qui testimonij sui rationē non reddūt, etiā non interrogati: vt scripsit Salicetus in. l. vlti. C. de probatio. Alexander consil. 15. lib. 1. Decius cōsil. 419. sic per locum à fortiori in causa hæresis prædicta omnia exactius obseruari debent.

3 ¶ Quibus fortasse rationibus moti nonnulli, putabant, duos testes non sufficere ad probandam hæresim: quorum dux fuit Hostiensis in summa. titu. de hæreti. §. qualiter. versiculo, vt autem. Quæ opinio iure etiam & ratione probari videretur. Iure, in. c. excommunicamus §. adiucimus. de hæret. lib. 6. Ratione, quia in hæresi non datur plena facultas defensionis reo. c. vlti. eodem titu. Sed hoc damnatum est communiter, vt ait Ioan. de anania. in eodem §. adiucimus. Et contrarium tenent Ioānes de lignano, Ioā. andre. Antonius, Cardinalis, & Ioan. imol. quos referunt & sequuntur Domini. & Francus. in. c. vt officium. de hæreti. lib. 6. Gonsalus. q. 13. Siluester, in summa. verbo, hæresis. 2. quæst. 4. Carerius in practica. nu. 162. fufius Albertinus in. c. 1. de hæreti. lib. 6. quæst. 16. Quorum vnicum est fundamētum, quòd iste casus nō inuenitur exceptus ab illa regula diuini & humani iuris, In ore duorū vel trium, stabit omne verbum. c. licet vniuersis. de testib. c. cum effes. de testa. Nec obstat. §. adiucimus. quia non loquitur de probatiōe particulari, sed de inquisitione generali, quā iudex potest facere p tres aut plures testes. Nec facultas defensionis reo aufertur, quia nomina testiū celari solēt, sed officio iudicis, alijsq; cautionibus plenius, & benignius cū hæreticis agit, quā cū alijs.

4 ¶ Sed vt per duos tantum testes probetur hæresis, necessariū est, quòd illi sint omni exceptione maiores: multo magis, quàm in alijs criminibus, in quibus omnibus regulare est, quòd testes integri requirantur. c. imprimis. 2. quæst. 1. glosa. & scribentes. in. c. atli clerici. de iudi. Baldus in. l. vlti. C. de probatio. Decius. consil. 429. & alij complures. Sed nuncupatim de probatione hæresis loquentes, hoc asserunt Lupus in allegatione §. 13. Albertinus in. c. 1. de hæreti. lib. 6. quæst. 16. nu. 25. Nec obstat, quòd in hoc crimine admittuntur testes inhabiles: quia id fit ad præsumptionem,

aut qualē qualē probationē: non autē vt censeantur integri, neq; vt plena fides duobus adhibeatur. Quod euidenter apparet ex. c. in fidei fauorem. de hæreti. lib. 6. vbi deciditur, tales testes admitti debere in subsidiū aliarū probationū, si ex verisimilibus coniecturis, & numero, & personarum qualitate, atque alijs circumstantijs, non præsumantur dicere falsa. Et ita notant illum textū Aretinus in capit. vlti. de testi. Lupus in allegatione. de hæresi §. fina. & Brunus lib. 4. de hæreti. cap. 9.

5 ¶ Ex proximè dictis multorū error detegitur, qui multis in locis malè putabant, leuiore probationes sufficere in probatione huius criminis. Quorum fundamentum est. l. 2. C. de hæreti. in hæc verba, Hæreticorū vocabulo continentur, qui vel pro leui argumento à iudicio catholice religionis, vel tramite, detecti fuerint obuiare. Sed nil ibidem statuitur de leui probatione, quæ certè non sufficit ad probandā hæresim. Verū id potius explicatur, eū hæreticū esse, qui leui argumēto deuiat à fide: vel qui leui aliquo indicio detegitur errare, accedente, videlicet, cōfessione, aut plena probatione. De quo videndi sunt, Lupus in allegatione §. 12. Brunus lib. 4. de hæreti. cap. 9. Plenius Albertinus in rub. de hæreti. lib. 6. quæst. 13. nu. 18.

6 ¶ Sed quamuis ad pœnā ordinariam non sufficiat probatio minus plena, vel per testes parum idoneos facta; nihilominus quo ad inquisitionē, purgationē, tormēta, pœnā arbitrariā, vel pœnitentiā salutarē, imperfecta probatio sufficiet. leuior enim ad eas res, quàm ad condemnationē exigitur. Hoc docet glosa in. c. literas. de præsumptio. Cardinalis, & Ioan. de Imol. in clem. 1. de hæreti. Innocen. in. c. sicut. de simonia. Lupus in allegatione. de hæresi §. 12. Squillacensis tractatu. de fide catholica. c. 34. Et hoc ipsum decretum est in prima instructione hispalēsi. c. 15. vbi expressim statuitur, quòd si aduersus eū, qui de hæresi suspectus est, non inueniatur plena probatio ad condēnationē, nihilominus tamē propter infamiā, & suspicionē inde pueniētes, cōpelli possit reus ad abiurationē, & arbitrio iudicum extra ordinem puniatur.

7 ¶ Quāuis autē cōtra præsumptionē iuris & de iure, qua cēsetur aliquis verus hæreticus, nō admittat directa probatio in cōtrariū.

.l.

l. si hi qui. C. de adulte. c. accusatus §. 1. & seq. de heret. lib. 6. nihilominus tamē recipienda est pbatio indirecta, qua delictū excludatur, putà, si velit reus probare, falsos esse testes aduersos, vel illa non esse vera, ex quibus violēta præsumptio insurgit. Hoc docēt Ioā. andr. Domi. & Frācus in. c. filij. de heret. lib. 6. Quod verum & indubitatum est. Reliqua dubia in materia probationis, ex locis communibus petenda sunt.

DE PROCVRATORIBVS. CAP. LI.



REGVLARITER in grauioribus criminibus reus non auditur p procuratorē: tum, quia imprimis necessaria est eius cōfessio: tum etiā, quia frustra proferretur sententia condēnationis, quæ nō possēt in absentem executioni mandari. l. penul. §. ad crimen. de publi. iudi. Felinus in. c. meminimus. de accusa. Marianus in. c. veniens. eodēt titu. Hippolytus in practica §. sequitur. Quæ rationes cū cessent in reo, qui carceribus inclusus est, cessat etiā iuris prohibitio. Proinde talis reus potest à pcuratore defendi, vt Bartolus tradit in. l. non tantū. de appellatio. Et nuncupatim cauetur prima instructione hispalēsi. c. 16.

1 ¶ Hoc tamē intelligendū est, quādo reus negat, se hæreticū esse, & cū id iudices concedunt, vt supra de aduocatis diximus: aliud est, si reus heresim defendere vellet, quo casu nō licet eū aliquo modo iuuare. c. si aduersus. de hæreti. Sed si contra suspectum de hæresi procederetur in absentia, tunc possēt aliquis pro eo comparere ad allegandas causas absentia, & ostendendam eius innocentia, non vt procurator, sed vt defensor. l. 3. C. de accusa. glosa. in extrauagan. ad reprimendum. verbo, legitime. Quomodo in lēsa maiesta. crim. proceda. Ludo. careriu tracta. de hæreti. nu. 113.

2 ¶ Demum vir aliquis peritus & probus eligendus est, qui constituatur procurator generalis, & semper maneat in romana curia, vt illic procuret negotia sanctæ inquisitionis: cui præstari debet salarium ex bonis publicatis. 2. instructione hispalēsi cap. 2. Cætera, quæ ad officium procuratoris attinent, in locis vulgaribus, & passim obuia sunt.

DE



V Min hoc iudicio frequens incidat quaestio de qualitate propositionum, quæ in materia fidei & morum ab hæreticis, vel suspectis proferuntur, opere repretium erit, solita breuitate pauca de his nunc perstringere. Ac primum illud, quod Caietanus super Ieroniam. 2. secundæ. quaest. 11. arti. 1. scripsit in hæc verba, Nulla propositio, propriè loquendo, potest dici secundum se hæretica, sed solū vt denominatur ab adhesionē tali ad ipsam. Cum enim eadem propositio ad omnes infidelitatis species possit pertinere, consequens est, vt nullam illarum secundum se sibi vendicet. Eadem nanque sententia dicta ab hæretico, hæretica: à iudæo perfida: à pagano, gētilis denominatur. vnde propositiones ipsæ secundum se sunt contrariæ fidei, & sic vocari debent, quando contrariantur articulis fidei, aut sacræ scripturæ, aut definitioni ecclesiæ de fide. hætenus ille.

- 1 ¶ Sed breuius, & planius, ac fortassè melius hoc tractat Alfonso lib. 1. de iusta. hæreti. punitio. c. 1. inquiēs, Propositio hæretica est, quæcunque repugnat fidei christianæ: nec ideo minus hæretica erit, si ab infideli, quàm si à christiano, prolata fuerit: nec pertinaciā exigat, aut quidquam simile. Quia sicut propositio vera, semper est vera, sine delectu an à mendace, vel à veridico dicatur; sic propositio hæretica semper erit hæretica à quocunque assertatur: nec pendet ab assertore, vt talis dici mereatur. hæc ille.
- 2 ¶ Conuincitur autem aliquibus modis propositionem esse hæreticam. Primo, si contraria sit scripturæ sacræ. Secundo, si contradicat definitioni concilij generalis rectè congregati. Tertio, si aduersetur traditionibus ecclesiæ. Quarto, si obuiet definitioni sedis apostolicæ. Quinto, si opposita sit concordie sententiæ doctorum ecclesiæ. Sexto, si contrarietur antiquissimis ecclesiæ consuetudinibus. Hæc tradit Alfonso lib. 1. de iusta. hæretico. punitio. cap. 4. Et clarius patent ex his, quæ suis locis fusius diximus. Quibus adde Hieronymum commentariorum in Esaiam cap. 65. reputantem

putantem illos hæreticos, qui contemnebant sanctorum martyrum basilicas contra morem ecclesiæ. Quod latius tractat Campensis lib. 1. hierar. ecclesi. cap. 3. ad finem.

- 3 ¶ Illa propositio sapit hæresim, quæ in prima verborum significatione, & prima facie, sensum habet hæreticum: quamuis piè intellecta, possit habere sensum catholicum, vt ait Alfonso. lib. 1. de iusta hæreti. punitio. cap. 3.
- 4 ¶ Illa verò sapit manifestam hæresim, ex qua, & quibusdam veris, quæ nulla tergiuersatione possunt negari, sequitur hæresis manifesta. Hoc docet Ecchius lib. 1. de primatu Petri cap. 6. Vel iuxta præcedentem sententiam, illa sapit manifestam hæresim, quæ prima facie præsefert saporem & sensum heresis manifestæ.
- 5 ¶ Propositio erronea, inquit eodem loco Alfonso, ferè nil distat ab hæretica: nisi discriminè constituitur inter credibilia, quibus propositiones aduersantur. vt illa dicatur hæretica, quæ est cōtra credibilia, quæ superant omnē virtutem intellectus: erronea verò sit contra credibilia, quæ naturali ratione probari possunt. Sed Archiepiscopo florenti. 2. parte summæ. titu. 12. cap. 5. distinguit erroneum ab hæretico, dicens, erroneum esse, quod habet falsitatem, hæreticum verò addit super errorem, quod falsitati adiungit pertinaciam. Cui subscribere videtur Picus Mirandula in apologia quaest. 7. dicens, fieri posse, vt aliquis affirmet propositionem erroneam, & tamen sine peccato, scilicet, in re dubia, priusquam ecclesia contrarium determinet. vbi similiter distinguit erroneum ab hæretico.
- 6 ¶ Propositio male sonans est illa, quæ in prima significatione, quæ verba præseferunt, sensum habet hæreticum, quamuis piè intellecta, sensum habeat verū. vt verbi gratia. Christus est creatura. Quod si quispiam scandalizatus fuerit ex huiusmodi propositionibus, cogendus est illarum assertor, vt publicè, verū sensum verborum exponat, vt scandalum tollatur. Sed si is, qui talem propositionem asseruit, alioqui suspectus erat, nullus tamen in eo fuit scandalizatus; vocari debet secretò ab inquisitoribus, ac de verborum suorum intelligentia interrogari: qui si iuxta catholicū sensum verba illa fuerit interpretatus; non est cogendus ad publicā verborum

- verborum declarationem: moneri tamen debet, ne similia deinceps dicere præsumat. hæc Alfonsus eodem capit. tertio. cui subscribo libens.
- 7 ¶ Propositio scandalosa, seu piarum aurium offensiva est, quæ auditoribus pijs scādalum, & occasionem ruine præbet. vt puta, hæretici tolerandi sunt. ieiunare impertinens est christianæ perfectioni. decimæ non sunt de iure diuino. hæc Alfonsus eodem loco, & noster Honcala in tractatu de decimis in principio.
- 8 ¶ Propositio temeraria est illa, quæ ratione urgente, vel autoritate probari nequit. qualis est hæc, Dies iudicij erit intra mensem proximum, vt Archiepis. Floren. ait in sua summa. titu. 12. cap. 5. parte. 2. & post eum Alfonsus, qui addit, aliquando huiusmodi propositiones non censerentur temerarias, cum aliquam habent verisimilitudinem, præsertim si utilitas inde oriri possit: qualia sunt multa, quæ contemplatiui gesta fuisse, verisimiliter imaginantur.
- 9 ¶ Propositio schismatica & seditiosa est, quæ vnionem membrorum ecclesiæ quoquo modo dissoluit. cuiusmodi sunt, quæ sequuntur, Papa non est superior episcopis, Malo prælato non est obediendum, Per peccatum amittitur omnis potestas.
- 10 ¶ Propositio iniuriosa est, quæ alicui fidelium statui, vel illustri personæ detrahit. tales sunt sequentes, Monachi non sunt de religione christiana. Ecclesia Romana est Synagoga satanæ. Papa est Antichristus. Adde, quod nil repugnat, quin aliqua propositio sit erronea simul, hæretica, & scandalosa: vt rectè notauit idem Alfonsus eodem cap. 3.
- 11 ¶ Quamuis autem dubiæ quæstiones de fide à summo pontifice, vel generali concilio legitimè congregato, decidendæ sint, vt alibi diximus: interdum tamen per modum doctrinæ definiri solent à viris peritis, quæ propositio sit huius, vel illius qualitatis: quod priuatim attinet ad theologos: quia quicquid ad fidem spectat, ex theologia discitur. Possunt & nonnunquam iuris periti ex pontificum & conciliorum, ac patrum decretis ista dijudicare: quamuis aliud effutierit Occam lib. 1. dialogo. c. 1. Illud tamen verum est, quod eleganter Fortunius ait lib. de vltimo fine iuris. col. 7. & rursus col. 17. disputationes in materia fidei ad iuris peritos non
 ¶ pertinere:

- pertinere. Nam & si iure compellamur ad fidem tenendam: ius tamen ipsum de fide non disputat. Habentur in iure decisiones ecclesiæ, sed illæ non fuerunt per iura decisæ, quia ius humanum ad super, cælestes disputationes non extenditur: quippe cum sit ratio practica, quæ circa mores versatur; hæc ille.
- 12 ¶ Demum quia multi in erroribus deprehensi, qualitatem, & sensum suarum propositionum in aliam intelligentiã trahunt; ideo diligenter scrutari oportet, an excusationes eorum sint admittendæ. Nam si non sit in verbis ambiguitas, non admittetur extranea transmutatio. l. ille aut ille. de legat. 3. Itidem si expositio non sit verisimilis. c. quia verisimile. de præsumptio. Idemque erit, si non congruit præcedentibus & sequentibus. l. vtrum. de peti. hæred. Augustinus lib. 3. de doctrina christiana. c. 2. Item rejicietur illa declaratio, quæ sustineri non poterit, salua ratione recti sermonis. l. plautius. de auro & argen. lega. Et similiter illa, quæ non congruit qualitati personæ loquentis, neque circumstantijs locorum, rerum, & temporum. l. plenum & equitij. de vsu & habita. l. aut facta. de poenis. Et tandem alij loci communes, de scripto & voluntate, considerandi sunt, & ille præcipuè, an declaratio perimat vel exponat. c. cum dilecti. de accusatio. Oldra. consi. 230. Crauetta de antiquitate fol. 11. nu. 28. & elegantius Salomonius i. l. omnes populi. de iusti. & iure. luculentius Tiraquellus in. l. si vnquam. C. de reuocan. donã. verbo, libertis. nu. 4.

DE PROTESTATIONE. CAP. LIII.



QUIA periculosum est, de rebus fidei & religionis audacter & superbè tractare, tametsi vera dicantur, idcirco viri eruditi, prudentes, & pijs, hæc eadem tractantes, humiliter protestari solent, se nolle à fide catholica quoquo modo deficere, sed potius in omnibus ecclesiæ orthodoxæ doctrinam sequi, & censuræ illius subiacerè. Deinde reuocationem conditionalem subiungunt in hunc ferè sensum: quod si imposterum aliquid contra catholicam fidem, eos dicere contingat; ex tunc reuocant illud; &
 ex

ex imperitia, vel inconsideratione dictum intelligi volunt, non autem ex malitia, vel pertinacia. De qua protestatione, & conditionali reuocatione, in presentiarum pauca dicenda sunt.

- 1 ¶ Sed ne ipse utilitate huius protestationis caream: qui susceptæ materię utilitate ductus, interdum coactus sum proprię professionis limites transgredi, & in rebus fidei ac religionis theologizare; ante omnia testor, atque iterum testor, me nil magis, quam hæreses odisse: easque ut cum pertinacijs extirpentur, semper in votis habuisse: cuius rei gratia laborem hunc qualēcunque suscepi. Proinde si quid erroneum, aut quouis modo suspectum, unquam dixerim, aut scripserim, id in scitię meę adscribi volo. paratus enim sum, nedum ecclesię catholicę definitionibus parere, sed & quicumque meliora docenti, aut veriora monenti, statim subscribere, & eius correctionem summi beneficii loco habere.
- 2 ¶ Est autem hæc protestatio, confessio quedam, qua declaratur, quid protestans in fide sentiat. iuxta quod Paulus epistolę ad Romanos cap. 10. inquit, Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Sic eam definit Gerfonus tractatu de protestatione, consideratione. 1. Vel est religiosa & modesta deprecanda impietatis, pertinacięque cautio, animi nostri declaratoria, & certificatoria. testat enim quō aīo simus loquuturi, aut scripturi.
- 3 ¶ Cumque protestatio hæc in nullius detrimentum sit, sed eā tantum contineat, quę pendent ex mera voluntate protestantis, fieri quidem potest quocunque loco, & tempore: & enervat, declarat, & vincit actum sequentem. l. per seruum §. 1. de usu. & habita. l. qui in aliena §. celsus. de acquiren. hæredi. l. si mihi & tibi §. vlt. de lega. 1. l. si quis in principio. de lega. 3. Et est Bartoli doctrina recepta. in. l. non solum §. morte. de noui. oper. nuncia. nu. 14. De qua multa scripta sunt in. c. cum. m. de constitu. vbi videri potest Felinus nu. 27. Decius nu. 17. Ripa nu. 67. Et nuncupatim in materia nostra extat protestatio diui Hieronymi, vbi hoc notatur in. c. hæc est fides. 24. quæst. 1. Tradit Scepolca cautela. 56. Corasius in. l. si tantangusti. de seruitu. nume. nono.
- 4 ¶ Sed hæc intelligenda sunt, quando res dubia foret: puta, si verba protestantis possint intelligi in rectum sensum, vel probabiliter

- ter excusari: tunc enim operatur protestatio, ut ea exaudiantur secundum sensum protestantis. l. nensenijs. de negot. gest. l. at si quis §. plerique. de religio. & sumpti. fune. Secus esset, si verba protestantis nullam excusationem habere possent. verbi gratia, Si manifestam hæresim dixerit, qui protestatus fuerat, maxime si eam animose protulerit, aut quoquo modo pertinaciam detexerit.
- 5 ¶ Vnde qui sciens errat contra fidem ecclesię catholicę, quamuis millies protestetur; nihilominus tamen hæreticus pertinax est apud deum & homines. Hoc asserit Occam. 2. parte. dialogo. tracta. 1. c. 10. Gerfonus tractatu de protestatione. cap. 3. & seq. Et Alfonso lib. 1. de iusta hæreti. punitio. c. 11. Quod probatur, quia talis verus pertinax est, qui non vult captiuare intellectum in obsequium fidei, nec est paratus corrigi ab ecclesia, quā putat errare.
 - 6 ¶ Præterea si protestatio excusaret ab hæresi, liberum esset omnibus hæreses quascunque docere, præmissa protestatione, qua facile se tueri possent hæretici, & abire impuniti. Sed protestatio contraria facto, non releuat protestantem. c. sollicitudinem. de appellatio. c. ea te. de iureiuran. & vtroque notatur. & est vulgaris doctrina omnium scriptorum in. c. cum. m. de constitu. & in. l. non solum §. morte. de noui. ope. nuncia. Quod multo planius locum habet in delictis, quam in alijs humanis actionibus: quia eorum detrimentum & malitia per verba non emendantur, nec tolluntur. l. si non conuitij. C. de iniurijs. l. si quis extraneus. de acquiren. hæredi. c. vlti. de homici. lib. 6.
 - 7 ¶ Proinde qui errat per ignorantiam circa ea, quę scire tenetur, quamuis protestationem fecerit, non tamen excusatur apud homines: nisi fortè ignorantiam suam, aut excusationem probabilem ostendere potuerit. Quia vnusquisque præsumitur illa scire, quę scire tenetur, nec per ignorantiam in his excusatur. l. 2. §. seruius. de origi. iuris. l. professio. C. de muner. patrimo. lib. 10. l. 2. quod quisque iuris. Verum considerare oportet, qualia sunt ea, circa quę fuerit erratum. Quia sunt aliqua, etiam ad fidem spectantia, vsque adeò recondita, ut viros doctissimos interdum lateant, in quibus protestatio plurimum proderit. Hęc Alfonso lib. 1. de iusta. hæreti. punitio. c. 11. Cui ad stipulatur glosa in principio.

capio. in sti. de obligatio. quæ ex quas. delict. nascun. Anchara. cõ fil. 289. Felinus in. c. cum ex officij. de præscriptio. nu. 30. & rursus in. c. 1. de re iudica. nu. 15.

- 8 ¶ Inde relinquatur, quod quandoque protestatio excusat apud homines, & non apud deum, & contra: quia homo iudicat quæ apparêt: Deus autem intuetur cor. Vnde si protestatio ex animo fiat, excusat ab hæresi coram deo, quamuis protestans errauerit in his, quæ scire tenebatur: quia is reus est peccato ignoratiæ, nõ autẽ peccato perfidiæ, vt Gersonus docet in tractatu de protestatione, consideratione. 8. & Alfonso eodẽ cap. 11.
- 9 ¶ Qui autem per ignorantiam errat in his, quæ non tenetur explicitẽ scire; per hanc protestationem & conditionalem reuocationem excusatur ab hæresi apud deũ & homines: quia verè non peccat: sed tamẽ talis tenetur obedire ilicò veritati cognitæ: cui prodest huiusmodi protestatio ad excludendam præsumptionẽ pertinaciæ. Quod attigit Albericus in rubrica. C. de hæreti. prope finẽ. Et plenius Gersonus confide. 5. & Alfon. prædicto. c. 11.
- 10 ¶ Sed in omnibus supra scriptis animaduertendæ sunt circumstantiæ, ex quarum varietate, variè quoque iudicandum erit. Nam vt ait Gersonus consideratio. 12. Protestatio generalis non efficit, vt protestans nequeat haberi suspectus de hæresi, quandoque leuiter, interdum vehementer, sæpe etiam violenter: iuxta personarum, errorum, temporum, & locorum circumstantias. Quod si rem ipsam penitus intueamur, profectò vulgaris illa & generalis prestatio, quæ passim ab omnibus sine delectu fieri solet; nec animum protestantis mutat, nec pertinaciam verã excludit, nec magni momenti censenda est.
- 11 ¶ Sed quamuis plerunque nil profit hæc protestatio, nunq̃ tamẽ nocet. Nam siue generalis, siue specialis sit; non arguit errorem in protestante: quia potius fit, vt excuset ab errore, vt rectè inquit Gersonus consideratione. 2. Quod ex eo probatur euidentius, quia actus voluntarius non operatur contrarium effectum eius, quod intenditur ab agente. l. legata inutiliter. de adimẽ. lega. nec extendi solet vltra intentionem agentis. l. si quis nec causam. l. nõ omnis. si cert. petita. Item, quia conditionalis reuocatio nil ponit in-

in esse. l. si quis sub conditione. si quis omissa. cau. testa. nec petens veniam ex humilitate, videtur ob id confiteri se deliquisse, vt notat glosa in. cap. exhibita. de homici. nec petens absolutionem ad cautelam, videtur fateri se esse excommunicatum; vt inquit Cardinalis in. cap. perpendimus. ad finem. de senten. excommunica. & Felinus in. cap. literas. de præsumptio. nu. 19.

DEPURGATIONE CANONICA.
CAP. LIIII.



VIVS purgationis crebra mentio est in iure pōtificum: sed in alijs criminibus parum frequentatur, ac propemodum hodie recessit ab aula: Inquisitores tamen sæpe illa vtuntur. Nam etsi aliorum criminum suspitio fugienda & purganda sit, iuxta quod apud Curtiũ. lib. 7. magnus Alexander ait, Satius est purgatos esse, quàm suspectos. & Cicero. lib. 1. officiorum inquit, Negligere quid de se quisque sentiat, non solum arrogatis est, sed etiam omninò dissoluti. multò magis suspitio hæresis in homine christiano execranda & expurganda est. Scribit enim Sapientissimè Ruffinus, esse quidem gloriosum, Christi exemplo, patienter iniurias tolerare: at vnã notam hæreseos qui ferat, vel dissimulet; non esse christianum. Et Hieronymus quanta maxima potest animi contentione clarissima exclamat voce. Nolo in suspitione hæreseos quenquam esse patientem. Refert Picus Mirandula in proœmio apologiæ. nimirũ igitur si sancta mater ecclesia ad purgationem hanc suspectos compellat. Est autem purgatio, de obiecto crimine innocentia ostensio, vt Alexãder diffinit. 3. parte. quæst. 45. membro. 3. sequuntur in summis, Ray. Gofrc. Siluester, & cæteri, in verbo purgatio.

- 1 ¶ Ex ante dictis procesisse videtur, quod suspectus de hæresi, qui se purgare recusat, hoc ipso hereticus reputetur. c. excommunicamus. & ad ijcimus. de hæreti. Præterea infamis fit, & bānitus. quod si per annum in eadem pertinacia persistit, extunc tanquã hereticus cõdénabitur. authẽ. gazaros. C. de hæreti. Sed iure canonico necesse nõ est lapsum anni spectare: sat enĩ est, quod reus, cui purgatio indicit, nolit se purgare: idq̃; verbis aut factis declaret: putà

B si intra

si intra terminum sibi præfixum non comparuerit. cap. tu nos. de cohabitatio. clerico. & mulie. Tradunt Innocentius, & Abbas in. cap. cum. p. manconela. de purgatio. canonica.

- 2 ¶ Tanta vis est purgationis huius, ut multi summi pontifices de grauioribus criminibus diffamati: quãuis à nemine iudicari possent; de charitatis tamen debito, ad remouendum subditorum scandalum, dedignati non sunt coram populo solenniter se purgare. Sic Paschalis primus, Damasus, Symmachus, & quidã alij publicè purgati sunt. Sic Leo tertius coram Carolo magno, Gregorius septimus corã Henrico quarto, Sixtus tertius corã Valentiniano, Pelagius primus coram Narsete, expurgati publicè fuerunt. Quod in annalibus eorundem pontificum apud Platinam & alios videre licet. apud Cãpensem. lib. 6. hierar. ecclesi. cap. 17. apud Brunum. lib. 4. de hæreti. cap. 11.
- 3 ¶ Tunc demum iudici debet purgatio, quando reus publica laborat infamia, & crimen plenè probatum non est: alioqui sententia condemnationis, vel absolutionis est proferenda. cap. nos inter. c. si quis de gradu. cap. cum dilectis. de purgat. cano. l. qui accusare. C. de edendo. Exigitur etiam, quòd infamia non habuerit originem ab inimicis, vel à maliuolis, seu leuibus personis. cap. cum in iuuentute. cap. penul. eodem titu. cap. in cunctis. 11. quæst. 3. Nec debet quis iam infamatus reputari propter dicta paucorum, si apud bonos & graues eius opinio læsa non extitit. cap. inquisitionis. §. vlti. de accusatio. Solet quoque reus ad purgationem cogi, propter graue scandalum, vulgatam infamiam, aut vehementè suspicionem ex testium dictis obortam. cap. inter sollicitudines. de purgat. cano. Et generaliter Decius inquit, in arbitrio iudicis esse, quando purgatio sit indicenda, in cap. at si clerici. de iudici. nume. 10. & satis probatur in dicto cap. cum in iuuentute.
- 4 ¶ Similiter numerus cõpurgatorũ residet in arbitrio iudicis, ita tamẽ, ut plures adhibeãtur, vbi reus maiore laborat infamia, & grauioribus suspicionibus premitur. Quod multis iuribus manifestè ostẽditur, in qbus maior, minorue numerus assignatur. Sed expressim hoc explicatur in. c. omnibus. 2. q. 4. in hæc verba: ne in crimine, aut p̄dicta suspitiõ remaneat, cū tribus, aut quinque, vel septem

- septem bonis ac vicinis sacerdotibus, vel eo amplius, si suo episcopo visum fuerit, se purgatum reddat. Idem probatur in. c. presbyter. eiusdem quæstionis. & in. c. extuarum. de purga. cano. in. c. significasti. de adulter. in. c. inquisitionis. §. vlti. de accusatio.
- 5 ¶ Hi autem, qui ad purgationem adhibentur, eligi debent eiusdem ordinis, cuius est reus, si modo tales inueniri possunt: alio qui adhibeantur alij, qui sint fide catholici, & vita probati: qui conuersationem & vitam accusati, non tam presenti tempore nouerint, quàm transacto. Sint præterea illi vicini, & noti, & honesti, & bonæ famæ, actalis opinionis, quòd verisimile sit, eos nolle amore, vel odio, seu obtentu pecuniæ, deicere. cap. si legitimi. 2. quæst. 4. cap. cum. p. manconela. cap. constitutus. cap. inter sollicitudines. cap. cum dilectus. de purgatio. cano.
 - 6 ¶ Sed prudenter considerare oportet, quibus, & quomodo purgatio indicitur. Nam hi, qui nationis sunt infamati, non facile poterunt compurgatores inuenire: idcirco decentius erit, eos tormentis, abiurationibus, aut pœnis arbitrarijs coercere, propter magnum periculum huius purgationis, cuius euentus quidem cæcus est, & ex alieno arbitrio pendet, nec semper adest copia talium purgatorum, quales iura eos esse volunt, sed tunc admitti debent alij non tam idonei. cap. cum iuuentute. in fine. vbi notat glosa & doctores. de purgatio. cano. Idem aiunt Hugut. Lau. & Archidia. in. cap. si legitimi. 2. quæst. 4. Ioan. Vincen. Hostien. & alij, quos refert & sequitur Henricus in. cap. inter sollicitudines. col. prima. & illic Abbas in fine. de purgatio. cano. glosa vlti. & Felinus in. cap. cum. p. manconela. de accusa.
 - 7 ¶ Et quamuis iura variè loquantur de his, qui deficiunt in purgatione, illa tamen sententia videtur approbata cõmunit er: quòd in purgatione deficiens, habeatur pro conuicto, & puniendus sit pœna ordinaria delicti secundum modum, quo in iudicio tunc agebatur. Hoc tenent Hostiensis, Henrici. Abbas, & ceteri in dicto. cap. inter sollicitudines. Goffre. Hostien. Abbas, Ioan. de Anani. & Felinus in. cap. accedens. de accusatio. Angelus, & Siluester in summis. verbo, purgatio. Ioannes Bernardus in practica crimina. capitulo. 141. Igitur si præcessit accusatio, pœna ordinaria

ordinaria infligenda est. cap. de hoc. de simonia. Si verò per denunciationem, vel inquisitionem fuerit processum; arbitraria pœna reus puniri debet, vt omnes prædicti aiunt. Cum ergo de hæresi promotor fiscalis semper accuset; consequens est, vt qui deficit in purgatione, puniri debeat tãquam verus hæreticus. Quod nuncupatim tradit Abbas in. cap. inter sollicitudines. col. vlti. & est de mente aliorum. Et ita fieri vidimus annis superioribus cū quadam obstetrice: quæ post reconciliationem solennem, iterũ capta, defecit in purgatione: & tanquam verè relapsa, relicta fuit curiæ seculari.

8 ¶ Sed tractari potest quæstio, quam plenè discussam nõ inuenio, cum tamen sit valde necessaria, Quis dicatur in purgatione deficere? an qui ab omnibus purgatoribus dereliquitur: vel qui à maiore parte, vel qui ab vno tantum? hoc est, an sit necessariũ, quòd omnes cõpurgatores iurent in fauorem accusati, vel maior pars eorum sufficiat. Certè hoc obseruari video, quòd à iudicibus defini simul solet numerus compurgatorum, & quot ex illis reum purgare debeant: nam vtrumque aiunt esse arbitrium. Itaque in sententia purgationis, à qua licet appellare, sic interloqui moris est, si defecerit in duobus, vel tribus, habeatur pro conuicto. Quam consuetudinem improbare non audeo, quamuis nullo iure fundata videatur. Arbitror autem id iuris esse, vt qui à maiore parte compurgatorum fuerit approbatus; is plenè sit expurgatus. l. quod maior. ad mūicipa. l. duo ex tribus. de rei iudi. Cui sententiæ ad stipulatur, quòd numerus dispar expurgatorum assignari solet in ipsis iuribus, & canonibus: nepe, vt maior pars semper inueniatur, cui stari debeat, & ita ego sentio.

9 ¶ Dubitauim olim, & postea comperi viros doctos, qui mecum pariter dubitarent, nunquid reus, qui non est plenè conuictus, torqueri possit, & postea compelli ad abiurationem, purgationem, & alias pœnas. Dubitationem fecit autoritas quorundam dicentium, prædicta omnia simul & in eundem hominem cumulari & exerceri posse. In hac opinione sunt, Cardinalis post Matthæum, in clem. prima. de vsuris. colūna. vltima. & Squillacensis de fide catholica. capitul. trigessimoprimum. qui quamuis nullo iure
aut

aut ratione urgente fundentur, iuuari tamen possunt, ex eo, quod habetur decisum in. capitul. inter sollicitudines. de purgatio. canon. vbi post purgationem, pœna quoque suspensionis imponitur. Vnde inferunt Innocen. Hostien. Ioan. Andr. Antoni. Anchara. & Cardinal. quòd in heresi, & alijs grauibus criminibus, licet iudici, etiam post purgationem, compellere reum ad abiurationem, et alias pœnas arbitrarias, propter suspitionem remanentem.

10 ¶ Sed quãuis hæc opinio tolerabilior sit quàm præcedens; nihilominus tamen parum fundata videtur. Nam in illo textu purgatio fuit indicta decano Senonensi propter vulgatam hæresis infamiam, graue scandalum, & vehementem suspitionem ex testium dictis obortam: sed in pœnam familiaritatis, quam scienter cum hæreticis habuit, de qua legitime constabat, suspensus ille fuit ab officio, donec sopiretur scàdalum, & præterea coactus fuit abiurare: non quidem illas hereses, quarum suspitionem iam purgauerat; sed tantum familiaritatem hæreticorum. Et ita intellexit illic Abbas. nu. 3. cuius intelligentia verissimam mihi videtur. Quam supposita, nil facit ille textus pro antedicta opinione. Sed his nõ obstantibus, aliquãdo inquisitores illa opinione vtuntur: cum reus ita conuictus est; vt de rigore iuris posset curiæ seculari relinquere, tunc enim licere putant simul omnibus prædictis remedijs vti: quia omnia tendunt ad eruendam veritatem, & quia plurimum in eis arbitrium iudicis potest. Nec videtur, aiunt, grauari reus, qui cum damnari de rigore potuisset; tormētis, purgationi, abiurationi, alijsque leuioribus pœnis subiicitur.

11 ¶ Verum quia iudicis arbitrium, vt sæpe diximus, iuri cõsonum esse debet, tutum ipse fore non puto illi opinioni adherere. Nam ex opposito multa sunt, quæ non leuiter urgere videntur. Ac primum illud, quod passim receptum est, plura remedia ordinaria, vel extra ordinaria, cumlatiuè cõcurrere non posse, sed tantum electiuè. l. quod in hæredem & eligere. de tributaria. l. cum filius & varijs. de legatis secundo. l. prima. C. de fur tis. tradunt Bartolus & posteriores in. l. tertia & primo. de operis noui. nuncia. & sæpe alibi. non igitur licet cumulare in eundem suspectum,
B iij tormenta.

tormenta, purgationem, abiurationem, & alias pœnitentias, & arbitrarias pœnas.

12 ¶ Præterea qui tormenta vincit, eo ipso purgat præcedentia indicia, vt suo loco dicemus: ergo nulla alia purgatione indiget. Deinde qui vincit in purgatione relaxandus est, & boni testimonij vir annunciandus: nec de his, quæ iam purgata sunt, aliqua remanere debet cordibus dubietas. c. ex tuarum. de purgatio. canoni. cap. habet. capit. menam. 2. quæst. quarta. Accedit & illud, quod pro eodem crimine non debet quisquam duplici pœna conteri, nec varijs modis affligi. cap. at si clerici §. vltimo. de iudic. l. senatus. de accusatio. capit. presbyter. 81. distin. canon apostolorum 25. vbi dicitur, Non vindicabit dominus bis in idipsum.

13 ¶ Ad hæc iudex, qui tormentis, aut purgatione utitur, totam rei fidem in eis constituere, & inter culpam & innocentiam veluti medium esse debet. capi. iudicantem. 30. quæst. 5. l. quæstionis modum. de quæstio. Quemadmodum itaque plenam fidem iudicij habet, quando reus per tormenta fatetur, vel in purgatione deficit; sic ex diuerso credere tenetur eum, qui tormenta vincit, aut legitime purgatus est, innocentem esse. Quinimo ad innocentiam partem proliuior esse debet iudex, & ad absoluendum, quam ad condemnationem pronior. l. absentem. de pœnis. l. Arrianus. de actio. & obligatio. cuius rei causa tradit Aristo. problema. 13. Et iterum. 15. particula. 29. Erasmus prouerbio. 76. chiliadis. 3. centuria. 6. Alciatus. lib. 3. præsumptionum. cap. 44.

14 ¶ Nec debet iudici suspitio remanere, vbi ius omnem suspitionem purgatam esse declarat: non enim legibus seuerior esse potest, quarum custos & minister, non autem dominus est. cap. iudicet. 3. quæst. 7. Demum purgatio & tormenta per se cuiusque negotio sufficiunt, vt superuacaneum sit eadem cumulare. Nam si reus euidentioribus iudicij vrgeatur; potest quæstionis modus augeri, vel tormenta repeti: si verò purgatio tunc fuerit indicta; compurgatorum numerus crescet. l. vnus §. reus. l. repeti. de quæstio. capit. inter sollicitudines. de purgatio. cano. vnde relinquitur, hæc sententiam veriorem, & benigniorem esse, quam illa, quæ crudelis est, & laqueis plena.

In

15 ¶ In hac verò purgatione facienda, talem ordinem seruare solent inquisitores. Definito numero compurgatorum, sententia reo dicitur, à qua si non appellauerit; cogitur nominare compurgatores. Quibus conuocatis, & à reo cognitis, inquisitor inquit, Scitote fratres, quod Achatius de his criminibus accusatus & suspectus est: & vos ab eo nominati estis, testes innocentiam suam. tu verò Achatius per Deum & sacrosancta euangelia dic, an talia commiseris, vel non? Tunc reus coram illis iurat, se nil tale perpetrasse. Deinde reus recedit, & iterum inquisitor ad expurgatores conuersus, interrogat, vtrum ea omnia intellexerint, & considerauerint? Post hæc secedere illos iubet, singulisque seorsim vocatis coram iudicibus & notario tantum, ab vnoquoque illorum solenni iuramento præmissò, quærit, an credat Achatium iurasse verum, vel contra. Quorum responsa literis mandari debent. Autoritas autem & obseruantia iuramenti reorum, originem sumpsit ex capit. 21. deuteronomij, si credimus Alexandro de ales. parte. 3. quæst. 45. membro. 3. Iuramentum verò expurgatorum, continetur in cap. quoties. 2. quæst. 4. & i cap. quoties. de purgatio. cano. & 5. instructio. hispalen. cap. 8. vbi & hoc prohibetur, ne legantur depositiones testium coram compurgatoribus: nec aliud ab eis inquiratur, quam si credunt, reum vera iurasse.

16 ¶ Postremò admonendi sumus, compurgationem hanc fragilem & periculosam esse, ancipitem, atque fallacem: in qua vita, honor, & patrimonium reorum, ex opinione & credulitate compurgatorum pendet: cum tamen alioqui testis in facto alieno de credulitate deponens, nil omnino probare soleat, vt interpretes omnes post glosam docent in l. testium. C. de testi. glosa, Paulus, Romanus, Alexander, & latè Iason in rub. de iureiuran. Felinus in cap. quoties. de testi. & iterum in cap. inquisitionis §. vltimo. de accusatio. Præterea ita iam corrupti sunt mores, ita fraterna charitas refrixit, vt nemo ferè sit, qui non malè de alijs suspicetur, quique dubia in deteriorem partem non interpretetur. Quid, quod vt expurgatores reum perdant, satis est, quod se nescire, vel dubitare respondeant. Proinde rarò ad iudicium compurgationis veniendum est. Quod non nisi cum clericis

B iiij olim

olim in vfu fuit: quia eorum fama populo christiano integra & pura esse debet. c. presbyter. 82. distin. c. presbyter si à plebe. capi. si mala fama. 2. quæst. 4.

DE RELAPSIS. CAP. LV.



QUIDAM sunt hæretici relapsi manifesti, de quorum primo & secundo lapsu per legitimas probationes constat. Alij relapsi dicuntur iuris fictione, aut præsumptione iuris violenta: de quorum duplici lapsu non plenè apparet, sed tamè relapsi finguntur, aut præsumuntur: at vtrorunque par, eademque conditio est. Hi autem iure relapsi dicuntur, qui post abiuratam solenniter hæresim, de qua legitimè constabat, iterum in eadem inciderunt. Nanque si quis per longum tempus continuaret crimen hæresis, aut sæpijsimè eandem, vel diuersas hæreses repeteret, ante solennem abiurationem; is non posset puniri tanquàm relapsus. Aliud esset; si vel vnam tantum hæresim commisisset, in eaque pmodicum tempus perstitisset, eandemque solenniter abiurasset: nam si postea relaberetur; tanquàm verè relapsus puniendus esset. Sola siquidem abiuratio solennis efficit, vt hæresim repetens, relapsus fiat. Hæc doctrina colligitur ex mente iurium & interpretum: sed apud vnum Ancharam eam nominatim me legisse memini in c. accusatus. nu. 2. de hæreti. lib. 6. Quem ferè sequitur Alfonsus lib. 2. de iusta hæreti. puniatio. cap. 2. vnde confirmatur id, quod supra scripsi. cap. 1. §. 11.

- 1 ¶ Hi quoque relapsi dicuntur, qui propter aliquam hæresim simpliciter, vel generaliter, vt moris est, abiurarunt: & postea in quacunque aliam hæresim relabuntur. c. accusatus §. 1. de hæreti. lib. 6. Sed & is relapsus est, qui vehemèter suspectus, hæresim publicè abiuravit, & postea incidit in eandem. c. accusatus. in principio. Demum ille relapsus habetur, qui post abiuratam hæresim, de qua ante abiurationem, vel postea, legitimè constat; hæreticos accipiat, deducit, visitat, associat, vel eis munera mittit, aut fauorem impedit: deniq; qui verbis, aut factis ita comunicat hæreticis, vt excusari

cusari non possit, quin ex approbati erroris consequentia id fecisse intelligatur. c. accusatus §. ille quoque. de hæreti. lib. 6.

- 2 ¶ Sed ex hoc probabiliter dubitatur, Nunquid ille, qui propter vehementem suspicionem abiuravit hæresim, & postea hæreticos deducit, associat, vel eis munera mittit, eo ipso relapsus censeatur? Quod magis dicendum videbatur, per textum in dicto §. ille quoque. Cõtraria tamen sententia vera est. Quia illic exigitur, vt saltem semel verè constet de vno lapsu: at in specie proposta nunquàm ille verè lapsus apparuit, sed præsumptionibus tantum vregebatur: ex quibus, etiam violentis, nullus de tam graui crimine condemnandus est. c. literas. de præsumptio. Et ita noster Alfonsus rectè censuit lib. 2. de iusta hæreti. puniatio. c. 2.
- 3 ¶ Huic affinis quæstio est, An is, qui abiuravit hæresim, de qua legitimè constabat, & postea communicauit hæreticis, qui alias diuersas hæreses sequebatur, iudicari debeat relapsus? Cui quæstioni respondet Alfonsus eodem loco, dicens, talem non esse iudicandum relapsum: quia in eo cessat ratio prædicti textus. non enim videtur ille pristinam hæresim hoc ipso approbasse, quamuis de alijs hæresibus nouam dederit suspicionem. vnde, cessante ratione legis, cessat lex. c. cum cessante. de appellatio. Et quamuis hæc sententia subtili disputatione fortasse subuerti posset, cum omnes hæreses colligatæ sint. c. excommunicamus. de hæreti. & quia generalis abiuratio hæc omnia videtur includere. c. accusatus §. 1. mihi tamen magis placet prædicta sententia, quæ benignior est, & verior videtur. non enim sunt extendenda pœnalia, etiam vbi par fuerit ratio. l. cum quidam. de liber. & posthu. traditur à multis in. l. si constante. & in. l. si verò §. de viro. solut. matri. & sepe alibi. ergo multò minus extēdi debēt, vbi ratio in lege assignata cessat.
- 4 ¶ Sed quia statim eodem capit. 2. Alfonsus ait, cum quoque relapsus esse, qui post abiurationem ac detractionem in perpetuū carcerem, inde quoquomodo fugerit: ne eius autoritate quispiam decipiatur, sicuti deceptus ille fuit autoritate Abbatis Panormitani; opere præteritum duxi breuiter hoc loco ea commemorare, quæ supra de custodia reorum §. 13. tractaui. Putat Alfonsus hunc esse relapsum, quia de primo lapsu fuit conuictus, & de secundo de-

dit vehementem suspicionem. Quod si generaliter verum esset; multi profectò relapsi dicerentur, qui nullo iure tales probari, aut conuinci possunt. Citat pro hac opinione Abbatem in. cap. cum nō ab homine. de iudic. potuisset proprius allegare illos, quos in prædicto §. 13. collegi. Sed eorum omnium opinatio illum relapsum non efficiet, qui vel impœnitens est, vel fugitiuus, vel quiduis potius, quàm relapsus, vt & alibi retuli.

5 ¶ Aliud asseruit Lupus senior, decanus Segobiensis, quem refert & sequi videtur Montaluus in. l. i. titul. 36. parte. 7. col. 4. quod si relapsus deprehensus nō sit, sed ipse venit ad inquisitores, & spontè confessus errorem suum, flebilis misericordiam postulet, paratus quancunque grauisimam pœnitentiam facere: quod cessante scandalo, cum nemo illum relapsum intellexerit, imposita graui pœnitentia, liberandus sit à pœna mortis: quia cessat illa sinistra suspitio, qua talis præsumitur fictè conuersus. hætenus illi. Quorum opinio, & si nullo iure probari videantur, fortasè benigna interpretatione defendi possent. tum, quia ille non videtur incorrigibilis, qui spontè crimen fatetur, & supplex veniam puro corde petit. tum etiam, quia talis confessio delicti penitus occulti, non meretur tam grauem & publicam pœnam; quanta relapsis infligitur, vt alio loco diximus.

6 ¶ Hoc amplius inquit Alfonsus lib. 2. de iusta hæretic. punitio. c. 2. illum non esse dicendum relapsum, qui post abiuratam hæresim, lapsus est in eadem: si modo spontè sua, & ex vera peccati cognitione ad inquisitores accendens, & peccatum suum confitès, veniam petat. Quia nullus iudicari potest relapsus, nisi bis fuerit conuictus de hæresi: at ille, qui spontè sua venit, non est dicendus secundo conuictus, non potest ergo dici relapsus: quo fit, vt necessariò sit ad veniam recipiendus, quia non est incorrigibilis. hætenus ille. Cuius opinio fulciri potest ex eo, quod iuxta receptam sententiam in capit. at si clerici. de iudicijs, & sæpe alibi. confessus non dicitur propriè conuictus. Deinde fauet illi alia sententia cõmuniter approbata in. c. de hoc. de simonia. & in eodem. cap. at si clerici. vbi aiunt interpretes, mitius agendum esse cum spontè cõfesso, quàm cum conuicto. Denique cessare videtur in hac specie ratio

ratio incorrigibilitatis: qua cessante, cessare debet pœna relapsi. cap. cum cessante. de appellatio.

7 ¶ His tamen nil obstantibus, prædictam opinionem falsam esse puto, sequentibus fundamentis. Primo, quia verè relapsus est, is de quo agimus, cum bis fuerit lapsus, semelque reciderit post abiurationem. Qui ergo fieri potest, vt is non sit dicendus relapsus, quem verè scimus esse relapsum? Secundo, probatio alterius lapsus nil commune habet cum ipso crimine: proinde siue hoc, siue illo modo de illo constituerit, non ideo minus idem crimè erit. Tertio, longè maiorem vim habet confessio, quàm aliæ probationes, & maior certitudo habetur per confessionem, vt supra de cõfessis diximus. Quarto, quia conuictus quoque reus dicitur propria confessione. l. qui sententiam. C. de pœnis. Quinto, si relapsus interdum habetur, qui de hæresi vehementem suspicionem dedit. c. accusatus §. ille quoque. de hereti. lib. 6. multò magis qui veritatem confessus est. Sexto, confessus, & conuictus, eadè pœna puniuntur, quando certa pœna in lege statuta est: quo casu nil iudicis arbitrium contra legem potest. Quod rectè Decius sentit in dicto. c. at si clerici. nu. 5. Ad extremum, nō ea sola ratio est, vt relapsus puniatur, quod habeat incorrigibilis, sed & quia grauisimè deliquit in Deum & ecclesiam. Item, quia nulla spes est constantiæ illius: idcirco ratione vna ex pluribus cessante, nō cessat lex §. affinitatis. in st. de nup. Nec satis intelligo, qua via iudex relapsi pœnam moderari aut condonare queat.

8 ¶ Inuocator quoque dæmonum, qui post abiurationem easdem inuocationes repetit, pœna relapsi tenetur, vt aiunt Lapus, & Archidia. in. c. accusatus §. sanè. de hæreti. lib. 6. vbi sequuntur illos Domini. & Francus, rectè distinguentes abiurationis causas. Dicit siquidem hoc esse verum, quando is, qui abiurauit, malè sentiebat de potestate dæmonum. Adde etiam, cū ille abiurauit manifestam hæresim, vel propter vehementem suspicionem: quia his omnibus & singulis factis videtur ex approbati erroris cõsequentiã recidisse, argumento eius, qui hæreticos visitat, & associat. eodem cap. accusatus §. ille quoque.

9 ¶ Pœna autem relapsi est, quod sine aliqua audientia relinquitur iudici

iudici seculari, animaduersione debita puniendus. cap. ad abolendam. de hæreti. cap. super eo. eodem. titu. lib. sexto. non enim poena mortis remittitur nisi semel. Quod ante multa secula diuinus Plato sanxerat. is enim. lib. 10. de legibus, versus finem, statuit, hæreticos pro priore lapsu in carceres damnandos: quod si rursus impietatis crimine condemnati fuerint; morte sine uenia plerendos. Conferunt uerba memoranda legis tertiæ. C. de episcopa. audi. ubi legumlatores aiunt, Remissionem ueniam, crimina nisi semel commissa non habeant, nec in eos liberalitatis Auguste referatur humanitas, qui impunitatem veteris admissi, non emendationi potius, quam consuetudini deputarunt. quod in omnibus penè criminibus obseruari solet.

10 ¶ Sic puniuntur durius, qui bis, aut sepius uolenter deliquerunt. l. seruos. C. ad leg. iul. de vi publi. Similiter & hi, qui seruū fugituum secundo uel tertio celauerint. l. quicumque. C. de seruis fugi. Et hi quoque, qui in eisdem criminibus perseuerant. l. prima. de super exacto. lib. 10. Quod & alibi sepiissime constitutum est, ut colligit Lucas in. l. vlti. C. de comætu. lib. 12. Romanus. consil. 236. Felinus in. cap. cum contingat. de foro competen. in cap. at si clerici. de adulterijs. de iudi. in. cap. sicut. de testi. Hippolytus in. l. maritus. de questio. nume. 37. Alciatus in. c. cum non ab homine. de iudic. nu. 30. Casseneus in consuetu. Burgun. rub. prima. §. 5. fol. 45. col. 4. Quæ omnia si recte constituta sunt in delictis contra proximum perpetratis; quanto rectius in his obtinebunt, qui maiestatem diuinam lædere uolunt? Nam uere inquit Augustinus. sermo. 3. de pluribus martyribus, Diligenter attendite fratres, & scitote, aliud esse in deum peccare, aliud in hominem. Quando enim in nos peccant homines: si poenitentibus ueniam non indulgeamus; peccatum iucurrimus. Quando autem aliqui in deum peccauerint; si sine distinctione grati indulgere uouerimus; participes nos in eorum peccatis efficiemus.

11 ¶ Sed quamuis prædicta sanctissime statuta sint, hæretici tamen, qui uellent peccare impunè, ea omnia calumniatur, dicentes, ecclesiam recipere debere poenitentes, & si sæpe sepius relabantur. Quod argumento illo uulgari suadet, quo dicitur, ecclesiam nulli claudere

claudere gremiū. Ezechielis. cap. 18. & eodem Matthæi capite. Quibus respondetur, quod si procederet argumentum quo ad poenas legum, nullus malefactor puniri unquam posset. Nam et si mille homines occideret, aut grauiora crimina perpetraret, nihilominus ecclesia illum reciperet ad poenitentiam, & omnes poenas corporis euitaret. Quod asserere stultum esset, ac planè ridiculum. etenim alia ratio est fori poenitentiam, alia longè diuersa fori iudicialis, ut omnes interpretes tradunt in. c. de his. de accusatio. præcipue Felinus. nu. 6.

12 ¶ Quid, quod ecclesia mitius agit cum hæreticis, quam cum alijs facinorosis, ut alibi diximus. Nec salutem animam, aut spirituale bonum relapsis poenitentibus negat, nec illis claudit uiam salutis æternæ. c. super eo. de hæreti. lib. 6. bonum uero temporale: quale est uita, fama, & aliud quiduis exterius, non tenemur ex charitatis officio uelle proximis, nisi in ordine ad salutem æternam, eorum simul & aliorum. Proinde si tale bonum impedit felicitatem æternam alicuius, uel multorum: magis uelle tenemur, quod proximus illo careat, quam quod male habeat. Quia salus æterna præferenda est bono temporali: & multorum bonum, bono unius. Idcirco ecclesia non recipit hæreticos relapsos, qui rem publicam inficiunt, qui que signum euidens ostenderunt inconstantie sue circa fidem. Hec ferè docet Thomas. 2. secundæ. quest. 11. arti. vlti. & Richardus in. lib. 4. senten. distin. 13. arti. 5. & ibidem Gabriel. q. 2.

13 ¶ Relinquitur itaque iudici seculari relapsus: sed ei uere poenitentibus, non denegantur sacramenta poenitentiam, atque eucharistiam. dicto. cap. super eo. unctio tamen extrema illis non dabitur: quia ea infirmis morituris tantum concedi debet, ut ex Iacobi epistola liquet. cap. 5. & ex. cap. 1. de sacra unctio. ubi hoc generaliter traditur, & nuncupatim id notant. Ioan. Andre. Domini. & Francus in eodem. cap. super eo. & Alfonsus noster. lib. 2. de iusta hæretici. punitione. cap. 2. ubi tamen addit, quod relapso ecclesiastica sepultura, uelut ceteris catholicis concedenda est. Sed cum ille sit igni tradendus, sicuti supra de poenis retuli, quando, aut quomodo sepeliri debeat, non sanè dispicio. Illud obseruari puto, quod huiusmodi poenitentes non uiui cremantur, sed prius strangulantur prope

prope ignem: quod & humanius est, & viam desperationis claudit, & ad pœnitentiam prouocat.

- 14 ¶ Postremò notandum est, quòd & si relapso denegetur omnis audientia in dicto. cap. super eo. id tunc demum fit, quando legitimè constat reum esse relapsum: ante hoc tamen nò prohibetur innocentiam suam allegare, & probare: audiendusque est docere volens se nò esse relapsum. Quia lex fundata super aliqua qualitate, prohibens exceptiones, aut probationes illi qualitati contrarias, non aufert eas defensiones, quæ illam qualitatem excludant. glosa vulgaris est hoc docens in. c. cupiētes § quòd si per viginti. de electio. lib. 6. in parte, comparere. notat in specie nostra Gonsalus tractatu de hæreti. quæst. 11. conferunt quæ supra scripsimus. cap. de probationibus § vlti.

DE SCHISMATICIS. CAP. LVI.



Chisma foror est hæresis, & quidem vtrinque cõiuncta, imò plerunque vel hæresis est, vel in hæresim transit. Nam ab ecclesia primum separat: deinde aliquam hæresim sibi confingit, vt rectè ab ecclesia recessisse videatur, vt inquit Hieronymus in episto. ad Titum. c. inter hæresim. 24. q. 3. Est autem schisma, illicita ab vnitatis discessio. vel est scissura, quæ vnitati opponitur. Sed priuatim sumi solet pro diuisione ab ecclesia: secundum quã acceptionem dicuntur schismatici, qui subesse recusant summo Pontifici, & membris illi subiectis non communicant, & spontè se ab ecclesiæ vnitatis separant. hæc Alexander ales. parte. 2. quæst. 182. & Thomas. 2. secundæ. quæst. 39.

- 1 ¶ Schisma summum malū est, & grauius punitum à Deo, quàm parricidium, aut idololatria, vt eleganter probat Optatus, episcopus Mileuitanus. lib. 1. contra Parmenianum. Irenæus. lib. 4. aduersus hæreses. cap. 62. Schisma & hæresis sunt foreres peccatricis Hierusalem, sicuti Origenes in Ezechielem homilia. 9. explicat: subiungens, vbi schismata, ibi hæreses, ibi dissensiones. Aut enim in comitatū non venit schisma, aut absque peiore se comite diu

diu non subsistit. Autores autè schismatis grauisimè Deus olim puniuit: Dathã, & Abiron cum suis omnibus dehiscens terra absorbuit, viuosque demisit ad inferos. Chore quoque cum ducentis quinquaginta viris vindex cælestis flâma deuorauit. Tã opere Israeli indignatus est dominus, quòd sediuisissent à domo dauid, & hierosolymis relictis (vbi erat vetus illa mosaica cathedra) secessissent in Samariam, vt demolitus sit eos, dederitque in direptionem, ac planè abiecerit à facie sua. Hæc & alia ex sacris literis contra schismaticos referunt Faber contra Lutherum tractatu. 6. textu. 8. & Cápensis in fine hierarchiæ ecclesiasticæ. Brunus. lib. 5. de hæreti. cap. 18.

- 2 ¶ Schismaticorum tres sunt species. Quidam enim sunt veri hæretici, alij hæreticis proximi, tertij catholici, ab hæresi lōgè alieni. Primi sunt, qui nò solum ab ecclesiæ vnitatis, atque à summo pōtifice discedunt, sed etiam id licere credunt: vel putantes non esse vnitatis in ecclesia, vel non esse obediendum Papæ, tanquam ecclesiæ summo Principi, & in terris Christi vicario. Qui errat cõtra fidei catholicæ articulum, quo credimus, vnam esse sanctam, & apostolicam ecclesiam. De his verò nil speciatim dicere oportet, cū sint in numero aliorū hereticorū. Nã quæcūque de hereticis generaliter diximus, de prædictis quoque intelligenda erunt: nisi quòd hi deteriores alijs hæreticis sunt, quia diuisioni fidei addunt vnitatis ecclesiæ scissuram. Vide Gonsalum tractatu de hæreti. quæst. 3. Caietanum in summa, verbo, schisma. Gabrielem in lib. 4. sententia. distin. 13. quæst. 2. Brunum. lib. 1. de hæreti. cap. 16. & iterum. lib. 5. cap. 18.

- 3 ¶ Alij sunt schismatici hæreticis proximi, qui nondum in aliquã hæresim inciderunt, sed tantum ab vnitatis ecclesiæ & summi Pōtificis separati sunt. De hoc schismate loquitur Augustinus. lib. cõtra Faustum, inquiens, Schisma est, eadem opinantem, ac eodem ritu colentem, quo cæteri, solo congregationis delectari dissidio. Hieronymus quoque in Amos. cap. 1. de his schismaticis inquit: separant deceptam multitudinem ab ecclesia Dei, & rudes animas abrūpunt, & diuidunt: tamen hoc non faciunt credulitate, qua hæretici deceptos quosque trucidant, sed in eadem regula fidei

fidci permanentes, dilatare cupiunt terminos suos, & nomē glorię in posteros mittere. Schismatici ergo dissensionibus suis a fraterna charitate dissoluunt: quamuis ea credant, quę credimus, vt ait Augustinus lib. de fide & Symbolo. Quod elegāter Cyprianus tractat in. c. denique. 7. quęst. 1.

- 4 ¶ Hi schismatici nil ferē distant ab hęreticis: nam eundem patrē & matrem eandem habent, scilicet, diabolū, atque superbiam. Qui quamuis christianos se esse mentiantur; re ipsa tamen ostendunt se credere, quōd extra ecclesiam sit salus, quōd summo Pontifici non est obediendū, quōd scindi potest vnitas ecclesię, quōd extra ecclesiam sunt vera sacramēta, & alia eiusmodi multa erronea & hęretica, quę necessariō inde sequuntur. cap. pudenda. c. schisma. 24. quęst. 1. Verissimē proinde dici solet, inueteratū schisma, hęresim esse. Quod Clemens quintus posuit in extrauagante omnium penultima, cuius caput. Ad certitudinem. notat glossa in. c. didicimus. 24. quęst. 1. Abbas in. c. quia diligentia. de electio. Lupus de iure Nauarrę, parte. 5. §. 7. Carerius de hęre. nu. 32.
- 5 ¶ Inde est, quōd æqualiter vitādi sunt schismatici & hęretici: cap. clericus. 24. quęst. 3. equaliter ecclesiasticam potestātē amittunt. dicto cap. didicimus, & in plerisque alijs ad paria iudicantur. nā & ipso iure sunt excommunicati. c. de liguribus. 23. quęst. 5. c. 2. de schismati. Dignitatibus quoque priuantur. c. in nomine. 23. di. & eorū bona publicantur. prædicto cap. de liguribus. c. 1. de schismati. lib. 6. Possunt etiam per seculares potestates comprimi, & tāquam rebelles iusto bello profligari, vt prolixius tractat Lupus de iure Nauarrę, parte quarta. Denique quod ad rem nostrā attinet, ab inquisitoribus capi, & coërceri possunt: vel tanquam hęretici, vel certē tanquam violenter suspecti de hęresi: qui si redire voluerint ad ecclesiam; abiurare schisma solēniter debent, iuxta formam traditam in. c. quoties. 1. quęst. 7.
- 6 ¶ Alij sunt schismatici, qui excusationem iustam prætere posse possunt, ideoque nec sunt hęretici, neque pœnam merentur. Quod tūc euenire solet, cum propter ambiguam electionem, duo, aut plures de pontificatu contendunt: & aliqui bona fide vnum illorum pro vero Pontifice habent, qui tamē electus rectē non est, hi etenim

etenim propter probabile dubium excusari possunt. Nam etsi credere teneamur, verum Petri successorem, esse Principem ecclesię supremum, non tamen tenemur eadem fide credere, hunc, vel illum esse verum Petri successorem, quando probabiliter dubitatur, vtrum ille sit rectē electus. non enim ad fidem orthodoxā spectant ea, quę ex facto pendent, sed quę ex iure procedunt. & ita sentiunt omnes diuini & humani iuris periti. Et nuncupatim Franciscus picus lib. de fide, theoremate. 17. Siluester in summa, verbo, schisma. quęst. 5. Alfonso lib. 1. aduersus hęreses. cap. 9. & alij multi relati a Carerio tractatu de hęreticis. nu. 32. cui adde Pelagium, qui multa de hoc scripsit lib. 1. de plāctu ecclesię. arti. 65.

DE SCRIPTVRIS DIVINIS.
CAP. LVII.



GRADVS primus veritatum credendarum est, canon totius sacrę scripturę & singulorum, quę in ea literaliter asserta sunt, vt Gerfonus inquit. Nam ad fidem catholicam imprimis pertinet credere, scripturas diuinas veraces esse: vt potē, quas Deus ipse manibus hominum scripsit. etenim sacra scriptura diuinitus inspirata, & instinctu diuino conscripta fuit, & in ea maiestas diuinę autoritatis relucet. Nec mirū, quia Deus ipse loquutus est per os sanctorum, qui a seculo sunt prophetarū eius. Luca cap. 1. & alibi, veritas inquit, Amē dico vobis, donec transeat cęlū & terra, iōta vnū, aut apex nō peribit a lege, donec omnia fiant. Et rursus, Cælum & terra trāsibunt, verba autem mea non trāsibunt Matthæi. cap. 5. & Petrus epistolę. 2. cap. 1. in hunc modum scribit, Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed spiritu sancto inspirante, loquuti sunt sancti dei homines. Paulus quoque epistolę ad Hebręos capite primo inquit, Multifariam, multisque modis olim loquens deus patribus in prophetis, nouissime diebus istis loquutus est nobis in filio. Hęc & alia multa in hanc sententiam colligi possunt, quorū nonnulla inuenies apud Franciscum picum. lib. de fide, theoremate. 5. Driedonem lib. 1. de ecclesiasticis dogmatibus cap. 1. apud Alfonso lib.

1. aduersus hæreses. cap. 2. apud Catharinum in prima clauē scripturarum.

1 ¶ Quanta autem sit certitudo sacrarum scripturarum: quantisque miraculis Deus legem veterem suam esse ostenderit: dicit Augustinus lib. 10. de ciuitate. dei. cap. 17. cum seq. & iterum lib. 18. cap. 41. & de inceptis. & Origenes lib. 4. de principijs. Vnde verò discernatur, quæ scriptura sacra sit, & quæ profana; explicat eleganter Hermas lib. 8. de instauranda religio. cap. 10. his verbis, Veræ religionis cultores his ferè solent indicatijs & argumētis scripturas, quæ diuinam habere cēsentur auctoritatem, internoscere. nempe quòd eas Esdras redegerit in suū canonē, quòd custodiri cōsueuerint cū libris Mosi in arca fœderis, quòd publicè legi per omne sabbatum, quòd summa ecclesiæ auctoritas (quæ ratio apud christianos primum ferè locum habet) eas declararit habendas pro sacris, aut, quod ego supremum existimo documētum, quia testimonium obtinuerunt diuinæ auctoritatis, præsentis miraculo comprobatum. Vt enim scriptura vetus suam nacta est auctoritatem per prodigia facta in monte Sina; ita nouæ religionis doctrinam diuinitus esse traditā, non solum in ipso ecclesiæ exortu ostēsa prodigia, sed etiam ea miracula declararunt, quæ dispersi per orbem apostoli, in doctrinæ suæ confirmationem omnibus exhibebant. hætenus ille.

2 ¶ Sed præter supra scriptas, alias quoque rationes ibidem colligit, quibus facillè deprehenditur, quid distent sacra profanis. Primū profani scriptores plurimum inter se dissidere solent: sacræ verò literæ, etsi diuersis linguis, locis, tempore, sint conscriptæ; inter se per omnia congruunt. Deinde ea est, arcanarum literarū phrasis, ut licet singuli sacrorum autorum suam habeant eloquendi rationem, omniū tamē horū dictio, non solū longo interuallo ab aliorū compositione distet, sed etiā diuinā quandā maiestatem, & non imitabilem dignitatem præferant. Præterea quòd nulla scripta æquæ fuerint ab ingeniosissimis viris examinata & perpensa, ac ipsa sacra: nullis tamen hæreticorum arietibus, nullis ethnicorum impugnationibus, vnquam iacuerint substrata: at semper, ut palma, contra omnia pondera altius erexerint ca-

put

put, non parum hac gloria, ante profanas literas splendescunt sacra, & micant. Tum ipsa argumenti nobilitas, quod literæ arcanæ tractant, clarissimam inter has differentiam ostendit. Præterea vetustatem, frequentem vsum, diuersam ab alijs scriptis enarrandi rationem: quæ tria certè multum harum commendat dignitatem, & quantum sint omnibus alijs scriptis celebriores docent. hæc ille.

3 ¶ Cum autem sacrarum literarum non solum sententias, sed etiā ipsam formam loquendi, & ordinem, imò literas, ac literarum apices, dignum sit, tanquàm res numine plenas venerari, & amplecti: cum quæ nemo diffiteatur, vtriusque testamenti scripturas solidum esse fundamentum christianæ religionis, ita ut nil ex his adimi, imò nec mutari quidem debeat: sunt tamen, qui sub christiani hominis titulo, consueuerunt interdum totos libros, interdum partes quasdam refecare: eas præcipuè, quas excogitatis à se nouis dogmatibus, potissimum viderint reluctari. Quod olim hæreticis multis contigit, & hodie quoque lutherani faciunt. Aduersus quos omnes extat columna veritatis ecclesia, quæ libros illos veteris & noui testamenti, quos isti reiiciunt, pro sacris, & afflatu diuino conscriptis, iam dudum recepit, agnouit, & approbatit.

4 ¶ Nam hi omnes libri, qui in Biblijs communibus continentur, cogniti sunt ab Innocentio primo in epistola ad Exuperium, ab Augustino lib. 2. de doctrina christiana cap. 8. à Damasceno lib. quarto de fide orthodoxa, & ab omnibus alijs ecclesiæ doctoribus. Qui libri tanquàm diuini, recepti quoque sunt in concilio Laodicensi capite. 59. in tertio concilio Carthaginensi capite. 47. & in alijs multis. nouissimè verò in concilio Tridentino sessione quarta, vbi post eorundem librorum catalogum, hæc verba posita sunt. Si quis autem libros ipsos integros, cum omnibus suis partibus prout in ecclesia catholica legi consueuerunt: & in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris & canonicis non susceperit, anathema sit. Vide Catharinū lib. 1. annotationū in Cayetanum, & iterum in clauibus scripturarum.

¶ Deinde ut circa translationes scripturæ sacræ inter catholicos dif-

C ij sensio

ſenſio nõ ſit, eodẽ loco ſubiũgitur, In ſuper eadẽ ſacroſancta ſyno-
 dus conſiderans non parum vtilitatis accedere poſſe eccleſiæ
 dei, ſi ex multis latinis editionibus, quæ circumferuntur ſa-
 crorum librorũ, quæ nã pro authentica habenda ſit, innotefcat,
 ſtatuit & decreuit: vt hæc ipſa vetus & vulgata editio, quæ longò
 tot ſeculorum vſu in eccleſia ipſa probata eſt: in publicis lectio-
 nibus, diſputationibus, prædicationibus, aut expoſitionibus, pro
 authentica habeatur, & quòd eam nemo reiicere quòuis prætex-
 tu audeat, vel præſumat. & poſt pauca: ſed & impreſſoribus in
 hac parte modum imponere volens: qui ſine licentia ſuperiorũ
 ipſos ſacræ ſcripturæ libros, & ſuper illos annotationes, & expoſi-
 tiones quomodolibet indifferentes: ſepe tacito, ſape etiam emen-
 tito prælo, & ſine nomine autoris imprimunt; decreuit & ſta-
 tuit, vt poſthac ſcriptura ſacra, potiſſimum verò hæc ipſa vetus,
 & vulgata editio, quàm emendatiſſimè imprimatur: nulli que li-
 ceat imprimere, vel imprimi facere quòſuis libros de rebus ſacris
 ſine nomine autoris: nec illos in futurum vendere, aut retinere:
 niſi primum examinati, probati que fuerint ab ordinario: ſub pœ-
 na anathematis, & pœnẽ in canone concilij nouiſſimi Lateranen-
 ſis appoſitæ. De alijs autem editionibus ſacræ ſcripturæ tractat
 Epiphanius libro de menſuris & ponderibus.

6 ¶ Hæc itaque ſanctiſſimè definita atque ſtatuta ſunt de autori-
 tate ſacrorum librorum, ac de his, qui pro canonicis habẽdi ſunt.
 De quo etiam ſcripſit Driedo lib. 1. de dogmatibus eccleſiaſticis.
 Alſonſus quoque libro primo aduerſus hæreſes capitu. ſecundo.
 ſed his altiùs atque ſublimiùs Hermas libro octauo de inſtauran-
 da religione, à capite tertio deinceps. De his etiam Gratianus
 quædam collegit ex patrum decretis diſtinctio. nona. & ruruſ
 diſtin. 15. Quàm autem antiquum ſit hæreticis, ſcripturas depra-
 uare; id quod hodie lutherani anxie, diligenter que perpetrant,
 videre licet apud Picum Mirandulam in apologia, quæſtione ſe-
 ptima. apud Brunum libro primo de hæreti. capitu. ſexto. & apud
 alios multos.

7 ¶ Quàm verò peruerſe, impie que; faciãt hæretici, qui ſacros aliquot
 libros reiicere atque reprobare conãtur, tradit elegãter Hermas his
 verbis,

verbis, Legũ reuerentia hoc maximè efficit, vt legibus homines
 libèter pareant: contra, hæ ſi cõtènantur; ferè ſolet pernicioſa rerũ
 mutatio ſubſequi, imò ſocietas ipſa hominũ diſſipari. Quod peri-
 culũ multò certius iminet chriſtiane reipublice, ſi de ſacrarũ literarũ
 autoritate ambigatur. Hæ enim maiori ex parte omnem ratio-
 nis captum ſuperant, ſuam que vim habent ex legiſlatoris dunta-
 xat autoritate. Quod de humanis legibus vſque adeo timendũ
 non eſſet: quanquã nihil non etiam hic timendum. nam huma-
 næ leges licet totæ abolerentur; ipſa tamen rationis vis maneret,
 vnde primum leges ortæ ſunt: quæ vſque hominem ad id inſtiga-
 ret, quod lex hætenus docuiſſet. contra, ſi diuinas leges è medio
 tollas: aut de earum autoritate ambigas: hic enim ilicò humana
 mens veluti ruptis repagulis, vergit in omnem licentiam, vt ho-
 die eueniſſe videmus, cum plerique occaſionem inde captent,
 ſcripturam omnem contemnendi, aut certè de omni ſcripturæ
 autoritate ambigendi. hæc ille libro octauo de inſtauranda reli-
 gione capite primo.

8 ¶ Præter hæc autem hæretici ſcripturas ipſas, quas diuinas eſſe fa-
 tentur, praua intelligentia in ſuos errores trahere ſolent. Quod
 commune eſt lutheranis cum omnibus ferè præcedentibus hære-
 ticis. Nam hæretici ferè omnes ſcripturæ diuinæ ſenſum in ſuas
 hæreſes maligna interpretatione detorquẽt, ac de puriſſimo ſcri-
 pturarum fonte aſſumentes teſtimonia, non ita interpretantur,
 vt ſcripta ſunt, ſed ſimplicitatem ſermonis eccleſiaſtici id volunt
 ſignificare, quod ipſi ſentiunt. Quod eleganter ſcripſit Epipha-
 nius in epiſtola ad Ioannem Conſtãtinopolitanum epiſcopum.
 Et vt inquit Auguſtinus lib. 83. quæſtionum, Non poteſt error
 oriri palliatus nomine chriſtiano, niſi de ſcripturis malè intelle-
 ctis. Sic enim à principio naſcentis eccleſiæ vſque ad ſeculum
 noſtrum factum eſſe comperimus. Nam & beatus Petrus te-
 ſtatur, Paulinas epiſtolas ab aliquibus perperam intellectas fuiſ-
 ſe, qui eas in ſuum errorem detorquere conabantur. Vnde idem
 Auguſtinus in euangelium Ioãnis tractatu. 18. ait, Hæreſes (quæ
 orthodoxis ſunt dogmata peruerſitatis, animas illaqueantia, &
 in profundum præcipitantia.) naſcuntur, quum ſcripturæ bonæ
 intelliguntur

intelliguntur non benè, & quod in eis non benè intelligitur; etiã temerè & audacter asseritur. Quod elegãter Hilarius quoque notauit libro de synodis contra arrianos prope finem.

9 ¶ Imitantur in hoc hæretici patrem suum diabolum, qui ipsum Christum deum tentans dixit, Si filius dei es; mitte te deorsum. scriptum est enim, Angelis suis mandauit de te. & reliqua, quæ Mattheus posuit cap. 4. Ad eundem modum hæretici dicunt catholico, Si filius dei esse vis, & regnum celorum facilè consequi; mitte te deorsum: demitte te ex arce catholicæ ecclesiæ, & nostras ad inuentiones sequere. Quod si fortè interrogas, vnde tibi probent id quod aiunt verum esse, statim illi, scriptum est enim. Et continuò mille testimonia citant de lege, de psalmis, de apostolis, de prophetis: quibus malo more interpretatis, ex arce ecclesie in hæresis barathrum infelix anima præcipitetur. Qui tantò magis cauendi sunt, quantò occultius sub cælestis eloqui, veluti quodam aromate, atque dulcedine, virus suum propinant incautis. Cum hæretici ex dogmatibus falsis volentes assumere defensionem dicunt, scriptum est in propheta, testatur Moyses, loquitur apostolus, quid aliud faciunt, quàm accipientes panes veritatis, proponunt eos simulacris, quæ ipsi fingunt? Quod eleganter notat Origenes in Ezechielem homilia. 7. qui etiam ad eundem est in Lucam homi. 31.

10 ¶ Nimirum ergo si Lutherani aliquot scripturæ testimonia detorqueant ad suas hæreses comprobandas: nam & Arrius adduxit pro sua hæresi quadraginta duos locos diuinæ scripturæ. Et similiter Nestorius pro sua, sexaginta. Vnde rectè in septima synodo generali. tomo. 4. Epiphanius dixit, Quoties recta dogmata homines iuxta suam opinionem subuertere conantur. non miretur aliquis, si scripturæ verba vsurpent. nam & omnes hæresiarchæ suorum errorum occasiones è diuina scriptura collegerunt: & quæ rectè ab spiritu sancto dicta erant, peruersa animi sententia conuellunt. Proinde vt verè atque eleganter Hieronymus in epistola ad Galatas scripsit, Quicumque aliter scripturam intelligit, quàm sensus spiritus sancti flagitat, quo scripta est: licet ab ecclesia non recesserit; tamen hæreticus appellari potest: & de
carnis

carnis operibus est, eligens quæ peiora sunt. cap. hæresis. 24. q. 3.
11 ¶ Præterea hi hæretici non admittunt ecclesiæ, conciliorum, aut sanctorum, doctissimorumque interpretum expositiones in sacris literis, sed proprio cuiuslibet sensu eas ipsi interpretantur. Qua in re illos duos Zadoch, & Byssio imitantur: de quibus in libris Hebræorum legitur, quod cū essent discipuli Antigoni, hanc opinionem imbuerunt, quod rei cere vellent omnes legis & prophetarum interpretes, & nudam duntaxat verborum intelligentiam sequi. Hanc diulgantes insaniam, sic diuisere iudæos, vt etiam quidam in lege doctissimi, ceperint illis adherere. Hi non crediderunt resurrectionem mortuorum, eo quod secundum ipsos non inueniretur expressa in veteri lege. Cumque nihil nisi nuda bibliorum verba tenerent, vocati sunt ob id textuales. Sed legem & prophetas malè intelligentes, ceperunt inter se dissidere, nouaque dogmata diulgare. Ad quorum comprobationem plura & maiora commentaria ipsi ediderunt, quàm sint aliorum Hebræorum Thalmudici libri. Eò tandem insania eorum peruenit, vt à cunctis reliquis Hebræis spretis ac derisi fuerint. refert Faber in malleo contra Lutherum tractatu vltimo.

12 ¶ Ad eundem prorsus modum cæci lutherani omnes: doctoribus sacris spretis, nil aliud credere volūt, quàm quod sacris literis iudaicè intellectis contineri putant. Quapropter quidam eos apto nomine, scripturarios, appellant. Cui adherentes insaniam considerare nolunt stupidi, & miseri, quantæ incertitudini, & plusquam Babylonicæ confusio, christianam rem publicam exponant. nullus enim scripturæ locus ita planus est et apertus, qui ab hæreticorum vi & iniuria se prorsus vindicet. Sunt planè scripturæ velut nasus cereus: qui se horsum, illorsum, & in quâ volueris partem trahi, retrahi, fingique facilè permittit. Deinde iniqua hæc lege id efficiunt, vt nullus vnquam eis credere teneatur, multo minus, quàm ipsi doctioribus & præstantioribus credere hætenus noluerunt. l. i. quod quisque iuris. cap. cum omnes. de constitu. Adde quod si nil est asserendum, quod non habeatur in scripturis expressum, certè neque hoc ipsum dictum asseri debet, quia non est in sacris literis expressum. quod scitè Catharinus notauit.

Denique qui huius peruersi erroris particeps fuerit, diem sabbati hodie sanctificabit, non utetur sanguine & suffocato, negabit perpetuam virginitatem sacratissimæ virginis, non credet illum articulum fidei, Descendit ad inferos. aliaque his similia, quæ non tam aperte in ipsis literis sacris exprimuntur, ab ecclesia tamen diuinitus decreta, & comprobata, impiè inficiabitur, aut pertinaciter (quod illi faciunt) contrarium defendet.

13 ¶ Cum igitur, teste Hieronymo in epistola ad Galatas, putandū non sit, in verbis scripturarum esse euangelium, sed in sensu: non in superficie, sed in medulla: nō in sermonum folijs, sed in radice rationis: videamus iam quis hæc intelliget: nunquid carnales impijque lutherani, quorum deus venter est? minime omnium. horum enim corda superbia excecata sunt: nimiumque grauata crapula & ebrietate. Nemo etenim rectè scripturam intelligere potest, nisi eo spiritu sit afflatus, quo ea scripta est. Hoc spiritu afflatus fuisse plerisque sacrorum interpretum, euidentissimè constat: à quo lōgissimè distant impuri omnes hæretici. quod eleganter diserit Catharinus in prima clauē scripturarum, errore. 12.

14 ¶ Aiunt præterea lutherani, sacram scripturam apertam & facilem esse, & à doctis pariter & indoctis tractari debere. In quo, sicuti & in alijs omnibus, perperam hallucinantur, & errant. nam multos esse scripturæ locos obscuros, difficiles, & perplexi sensus angelus olim de prophetis dictis, Danielis cap. 12. & Petrus de paulinis epistolis, episto. 2. cap. vlti. & Christus ipse de scriptis Danielis Matth. 24. ne dum res ipsæ de alijs multis testantur. Ob huius rei difficultatem Hieronymus ad Paulinum episto. 82. parte. 2. de sacris libris loquens, ait, Intellige te in scripturis sine præuio monstrante semitas, non posse ingredi. Et Augustinus in epistola ad Volusianū, Sancta, inquit, scriptura omnibus accessibilis est, quamuis paucissimis penetrabilis. qui. lib. 2. de doctrina christiana. cap. 6. ait, Prouisum est diuinitus, ut sint multa obscura in sacris literis, ad edomandam labore superbiam, & intellectum à fastidio reuocandum, cui facile inuestigata plerunque vilescunt.

15 ¶ Non sic egit Paulus, qui gloriatur se legem ad pedes Gamalielis didicisse. Hieronymus quoque præceptorē habuit Naziāzenū, Augustinus

Augustinus Ambrosium, Martinus Hilarium, & reliqui alios. Clemens etiam lib. 10. recognitionum scribit, docuisse Petrum, diligenter obseruandum esse, ut lex dei cum legitur, non secundum propriam ingenij intelligentiam legatur, vel doceatur. Sunt enim multa, inquit, in scripturis diuinis, quæ trahi possunt ad eū sensum, quem sibi vnusquisque præsumit, & ideo oportet intelligentiam scripturarum ab eo discere, qui eam à maioribus secundum veritatem sibi traditam seruat. c. relatum. 37. distin. Cui consonat Irenæus lib. 4. cap. 45. Augustinus. lib. 1. de moribus ecclesie cap. 1. Leo primus ad Flavianū episto. 10. cap. 1. retulit Gratianus in cap. quid autem. 24. quæst. 1.

16 ¶ Hi vero, qui sanctum volunt dare canibus, & spargere margaritas ante porcos: qui que facilem & apertam esse aiunt scripturarum intelligentiam, ijdem ipsi prodigiosa cæcitate putant, vniuersam Christi ecclesiam hæcenus euangelium & scripturas nō intellexisse, neque sciuisse vnquam, quid credi oporteret: cum tamen spiritus sanctus missus fuerit ad docendam omnem veritatem. Cōsimili quoque stoliditate opinantur, nullam fuisse Christi ecclesiam à temporibus apostolorum vsque ad Lutherum, cū tamen redemptor ipse dixerit, Ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi. Non ergo de fecit vnquam ecclesia, in qua Christus regnaret: nisi infidelem & mendacem æternam veritatem facere voluerimus, Et sicut elegatissimè Leo magnus de Manichæo scripsit, sermone. 2. de pentecoste. Nō potuit promissio domini tanta per ætatum interualla differri: nec ille spiritus veritatis, quem mundus non accepit impiorum, ita septiformem illam donorum suorum continuit largitatem, ut tot ecclesie generationes, sapientia & intellectu, consilio & fortitudine, scientia & pietate, atque ipso dei timore fraudaret, donec prodigiosus turpiū mendaciorum signifer nasceretur. Vide Hieronymum ad Paulinum epistola. 83. Bunderium in compendio concertationis titu. 32. Catharinum in secunda clauē scripturarum.

17 ¶ Volunt præterea hæretici isti, ut scripturis tantum diuinis aduersus eos pugnemus, eisque illorum sensu intellectis: in qua re perinde faciunt, ac si crudelissimi rei publicæ nostræ hostes, leges imponerent

imponerent nobis, ne possimus pugnare cum illis, nisi lanceis cereis, aut plūbeis ensibus: denique talibus armis, quibus nileis nocere possimus. Quod, quis non videat esse ridiculum, & profus insanum? Quinimo talem furibūdum ac dementem hostē, quibus possunt arreptis iaculis, vniuersi ciues protinus confoderentur. vnus arrepta fuste, alius gladio, alius hasta, alius sagitta & arcu, alius funda & lapide, aut demum quidquid ad manū citius occurrit, eodem communem hostem ferire studet. Sic & catholici habere se debent cum lutheranis, eorum insaniam comprimendo, nō tantum scripturis diuinis rectè intellectis, sed etiā sacrorum interpretum sententijs, Pontificum decretis, cōciliōrū canonibus, demum ecclesiæ catholicæ definitionibus, consuetudinibus, & autoritate.

18 ¶ Nam congressio scripturarum cum eiusmodi hæreticis plus nocere, quàm prodesse solet. Idcirco disputationem hanc Tertulianus prohibet lib. de præscriptionibus aduersus hæreticos, pagina. 5. inter alia inquit, Ista hæresis non recipit quasdam scripturas: & si quas recipit, adiectionibus, & detractionibus ad disputationem instituti sui interuertit: & si recipit, non recipit integras: & si aliquatenus integras præstat, nihilominus ad diuersas expositiones commentata conuertit. Quare quantumuis in scripturis exercitatus, cum illis disputatione congregiendi, nil proficiet, neque ipsis, neque audientibus orthodoxis. Quoniam siue defenderis tu quid, siue negaueris, scripturas veluti Lesbiæ ædificationis plumbeam quandam regulam, ingenij versutia in contrariū sibi accommodabunt. Quod si dixeris, vim afferri scripturis, & incongrua eas expositione torqueri, idē occlamabunt tibi: à se videlicet veritatem earundem stare: à te vero adulterari easdē. æqua enim est pars vtrinque negandi & affirmandi. Nō est ergo in scripturis aduersus hæreticos constituendum certamen, in quibus aut incerta, aut parum certa est victoria. Hæc & alia in eandem sententiam collegit elegāter Campensis lib. 1. hierar. ecclesi. c. 4.

19 ¶ Præterea cum scriptura sui ipsius iudex esse nequeat: quoties de vera eius intelligentia controuersia suboritur, necesse est, vt aliquo iudice lis ea dirimat. Nam cum sensus genuinus scripturæ diuinæ

diuinæ in diuersas sententias trahi possit à peruiacibus, opus est maiori aliqua autoritate, quæ eius scripturæ interpret sit futura: & huiusmodi torquendi scripturas peruiaciam compefcet & cohibeat. Hanc autoritatem apud summum Pontificem esse supra probauimus. Ex ecclesiæ quoque doctoribus, & concilijs, plerūque dijudicari hæc posse retulimus. Nunc autem de ecclesiæ autoritate in expositione atque interpretatione scripturarū, pauca subiiciemus: ea siquidem est vera, certa, & infallibilis scripturarum amufis, & intelligentia.

20 ¶ Ex multis itaque pauca eligentes, imprimis adducimus concilium Mileuitanum: in cuius capite. 2. decernitur, non aliter intelligenda esse verba sacre scripturæ, nisi quemadmodum ecclesia catholica vbique diffusa semper intellexit. Quod etiā Irenæus lib. 5. aduersus hæreses eleganter docet. Deinde fidele extat & planè christianum Origenis cōsiliū, qui super Matthæum homilia. 29. in fine. Quoties, inquit, aduersus ea, quæ obseruat vniuersa Christi ecclesia, canonicas aliqui scripturas proferunt, videtur dicere, Ecce in domibus est verbum veritatis: sed nos illis credere non debemus: nec exire à paterna, ecclesiasticaque traditione, nec aliter credere, nisi quemadmodum ecclesiæ per successionem tradiderunt nobis. Leo quoque primus ad Martianum Augustum epistola. 40. inquit, Ab euangelica, apostolicaque doctrina, nec vno quidem verbo licet dissidere: aut aliter de scripturis diuinis sapere, quàm beati apostoli & patres nostri didicerunt, atque docuerunt. Vide Irenæum lib. 3. aduersus hæreses. c. 40. & lib. 4. cap. 43. & 45.

21 ¶ Quid multis? in quarta sessione concilij Tridentini cōtra eandem lutheranos tale decretum extat, Ad coercēda petulantia ingenia decreuit hæc sacrosancta synodus, vt nemo suæ prudentiæ innixus, in rebus fidei & morum, ad ædificationem doctrinæ christianæ pertinentium, sacrā scripturam ad suos sensus cōtorqueat: aut contra eum sensum, quem tenuit, & tenet sancta mater ecclesia: cuius est iudicare de vero sensu & interpretatione sanctarum scripturarum: aut etiam contra vnanimem consensum patrum: ipsam scripturam sacrā interpretari audeat. Qui contrauerint per

per ordinarios declarentur, & pœnis à iure statutis puniantur.

22 ¶ Comprobatur hæc eadem veritas euidentissimis quoque rationibus. Nam apud ecclesiam est autoritas discernendi scripturas diuinas ab humanis: & nullã regulam habemus aliam ad internoscendum quæ scripturæ diuinam autoritatẽ habeant, quàm testimonium ecclesiæ: nec aliam habuerunt ab initio orthodoxi patres nostri. ex communi etenim consensu ecclesiæ indubitatum scripturarum colligimus testimonium. At verò frustra separaret ecclesia scripturas sacras à prophanis; si in sacra scriptura nesciret veram intelligentiam à falsa discernere. Imò verò vt sciat ecclesia, vtrum scriptura, quàm recipit, sit tota diuina; necessariò antecedit, quòd eam verè intellexerit. Eadẽ ergo lege credere tenemur, quòd potestatem habet ecclesia discernendi scripturas diuinas ab humanis, & quòd separare scit sensum diuinum ab humano.

23 ¶ Præterea nemo melius scripturam interpretari valet, quàm qui spiritum scriptoris habet. est autem certissimum, quòd ecclesia spiritum sanctum habet, quo inspirante, scriptæ sunt sacræ literæ. Ad hæc ecclesia, quæ nullo modo errare potest, cum sit columna veritatis: nec in re vsque ad eòd necessaria falli potest, aut fallere. Deinde deus ipse, qui Genesis cap. 18. dixit, Nunquid celare poterò Abraham, quæ facturum sum? Quo pacto celabit ecclesiæ dilectissimæ scripturarum intelligentiam? Adde, quòd ecclesia sponsa est Christi: in qua cor sponsi maximè confidit, vt in prouerbijs dicitur cap. 31. at non benè in ea confideret, si traditis ei scripturis, earum sensum non traderet. Vnde cum Samson celaret Dalilæ illud, in quo suam fortitudinem habebat, illa dixit, Quomodo dicis, quòd amas me, cum animus tuus non sit mecum? lib. iudicum. c. 16. Quòd si vetus synagoga priuilegium habuit annunciandi iudicij veritatem in rebus ambiguis & controuersis: vt habetur in Deuteronomio cap. 17. multò magis hoc ecclesiæ catholicæ concessum credimus. Vide Alonsum lib. 1. aduersus hæreses cap. 4. Catharinum in secunda clauæ scripturarum.

24 ¶ Ad hæc ecclesiæ autoritas quodammodo superior est autoritate scripturarum, nam illa de scripturis iudicat. eadem & notior est: quandoquidem propter testificantem ecclesiã ipsis scripturis credimus

credimus. Deinde latius patet ecclesiæ traditio, & ad longè plura se extendit, quàm scriptura, & antiquior illa est. non enim ex scripturis cepit lex euangelica, sed viuæ vocis oraculo primùm tradita est. Demum efficacior & magis idonea est ecclesiastica traditio autoritas in re dubia ad fidem, certitudinem quæ faciendam, quàm sint ipsæ scripturæ. clarior est enim & magis aperta & inflexibilis ecclesiastica traditio. Contra, scripturæ plurimum frequenter obscuritatis habent, & se trahi accommodari quæ in diuersam sententiam, & eludi cauta expositione facilè permittunt. Vide Campensem lib. 1. hierar. ecclesi. cap. 2. tertio, & deinceps. Bartholo. Miranden. controuersia. 2.

25 ¶ Postremò, viri docti & pii frequenter legere debent scripturam sacram: in qua passim inuenitur, quid credendum, quid sperandum, quid agendum, & fugiendum sit, & quòd dei timorem incutiat, & eius amorem inflammet. est enim mystica turris David cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium. hoc est, tota salus & spes nostra in ea relucet. Rectè proinde Augustinus lib. 2. de doctrina christiana cap. vlti. inquit, Sæper legendæ sacræ literæ sunt. Nam quidquid homo extra didicerit: si noxium est, ibi damnatur, si vtile est, ibi inuenitur. Qua autem cogitatione sit accedendum ad sacrarum scripturarum lectionem, explicat eleganter Hermas his verbis, Quoties ad hæc rem aggredimur, hæc debemus etiam atque etiã cogitare: sacræ scripturas vnicum esse ecclesiæ propiciatorium, vnde oporteat diuinam maiestatem consulere: Christum etiam sacrarum scripturarum vnicum scopum: vt qui sit agnus ille, qui solus aperit signacula libri clausi: vniuersæ scripturæ hunc esse epilogum, quòd Christus superata morte æternum regnet: argumentum verò esse de ecclesia, quomodo ea à Christo condita, & propagata, & tandem consummanda sit. hæc tenus ille lib. 8. de instauran. religione cap. 15. Ad summam scripturarum sacrarum omnium materiam & finem esse Christum docet luculenter Catharinus in secunda clauæ scripturarum. Alia multa de utilitate huius lectionis notauit Chrysostomus in Genesim homilia. 29. & iterum homilia. 35. & super Matthæum homilia. 2. & homilia. 4. & rursus in actis apostolorum

lorum homilia. 19. Basilius episto. 1. Caspianus collatione. 8. c. 3. cum seq. Damascenus lib. 4. orthodoxe fidei cap. 18. Bernardus in scala claustralium. Raymundus in theologia naturali titu. 214.

DE SENTENTIIS. CAP. LVIII.



IUDICES recitare sententias ex libello tenentur, nec possunt per alios id facere, nisi iudices sint illustres, vel illustrem administrationem gerant. l. 2. C. de sentē. sine pericu. recitā. in quo inquisitores illustribus æquiparantur. possunt enim per alios proferre sententias, vt notant Domi. & Francus in. c. vt commissi. de hæreti. lib. 6. Brunus. lib. 4. de hæreti. cap. 10. Hæ autem sententiæ contra hæreticos latæ, recitari debent, conuocato clero & populo. Quia expedit, vt id fiat publicè ad instructionem, & terrorem, vt inquit Dominicus in eodem cap. vt cōmissi & aduocā di. Quæ omnia ad vnguem obseruantur in Hispania. nam & clerus & populus solenniter conuocari solent: & sententiæ coram omnibus per alios recitantur.

1. ¶ Ad sententiæ deliberationem inquisitores cū episcopo vel eius vicario accedere debent: cōuocatis etiā ad hoc viris peritis: prout alibi diximus. Sententia verò condemnatoria ita formabitur: vt in ea primum qualitas doctrinæ, & dogmatum ab ipso reo assertorum declaratur. Deinde diligens criminis inuestigatio, citationes, admonitiones, confessiones, legitimæ probationes, & data ad pœnitentiam dilationes: & adhæc omnia in erroribus suis obduratus animus, & pertinax perseuerātia: & reliqua omnia, quæ ad iustum processum cōtra reum institutum, & obseruatum pertinent, summam enumerētur. Quibus omnibus ex ordine narratis: postremò pro qualitate criminis secundum regulas ecclesiasticas subiungatur ipsa sententiæ dispositio: quæ condemnationem dogmatum, autorum, librorum, & cætera continebit. Hæc ad verbum posuit Brunus lib. 4. de hæreticis. cap. 10. & ita vtimur.
2. ¶ Sententia autem, qua hi recōciliantur ecclesiæ, qui post lapsum redire volunt ad vnitatem fidei, non debet continere, quòd illi sunt,

sunt, aut fuerunt hæretici, sed sub hac forma proferenda est. Quia te inuenimus per tuam confessionem, & legitimam probationem hæreticum fuisse: nunc autem saniori v. s. consilio, vis (vt asseris) ad vnitatem ecclesiæ puro corde, & fide non ficta redire: ideo te, imprimis abiurata omni hæretica prauitate, iuxta formam ecclesiæ ab excommunicationis vinculis, quibus tenebaris astrictus, absoluiimus. Si tamen ad eandem ex corde redieris, & iniuncta tibi mandata seruaueris. & c. Fertur autem sub conditione sententia, vt si veram pœnitentiam conuersus non egerit; appareat eum non fuisse absolutum. Hæc ferè omnia eisdem verbis aiunt Archidiaconus in. c. vt commissi. de hæreti. lib. 6. & illic Domini. in. c. nec nō. Ioan. de Anania in. c. pen. eodē titu. lib. 5. Gonsalus quaest. 20. Squillacen. de fide catholica cap. 27.

3. ¶ Sed rectius his sensit Ioā. Andre. in eodem cap. vt commissi, vbi inquit, inquisitores pronunciare solere, talem conuersum hæreticum fuisse: nec esse quidquam, quod obstet, ne id fiat. Et ita nominatim receptum est in prima instructione Hispalensi cap. 10. vbi decernitur, vt iuxta sententiam Ioānis Andreæ hi, qui reincorporantur ecclesiæ, declarentur fuisse hæretici, vel apostatæ, & incidisse in pœnas iure statutas. Sed quia dicunt, se velle puro corde, & fide non ficta conuerti ad ecclesiam: & parati sunt ad suscipiendas pœnitentias sibi iniungendas; absoluunt eos ab excommunicatione, & ecclesiæ illos recōciliant. Si ita est vt asserunt, quòd absq; vlla simulatione verè conuertuntur. Et sub eadem forma fuit prolata sententia in sessione. 15. concilij Constantiensis hoc verborū tenore, Hæc sacrosancta synodus solum deum præ oculis habens, per diffinitiuam sententiā, quam profert in his scriptis, pronunciat, decernit, & declarat, Ioānem Hus fuisse & esse verum & manifestum hæreticum. Et iterum post pauca. Idcirco propter præmissa & alia plura, præ fatum Ioannem Hus hæreticum fuisse, & esse, hæc sacrosancta Synodus pronunciat, & tanquam hæreticū condemnat.

4. ¶ Qui verò post sententiam reconciliationis conuictus fuerit aliquas hæreses occultasse, vel hæreticos ante sententiam celasse, aut se iactasse, quòd nō commisit eas hæreses, aut partem earum, quas

quas ante reconciliationem cōfessus fuit, is denuò examinari debet tanquam impœnitens. Cui non prodest sententia reconciliationis præcedentis, quia ex his apparet latam fuisse propter fictā confessionem, & simulatam conuersionem. Hæc decreta sunt in prima instructione hispalensi cap. 13. Pari quoque ratione si quid probationis superuenerit contra talem conuersum; potest iterū causa tractari, non obstante sententia absolutionis, vel reincorporationis prius in eadem causa lata. quod similiter statutum est in. 3. instructione vallisolitana. cap. 3.

- 5 ¶ Et generaliter in sententijs condemnationis, declarari debet tēpus, à quo reus incidit in hæresim: vt per solam sententiam scire queat iudex bonorum publicatorum diem, quo bona ipso iure fuerunt confiscata. Quod cauetur epistola quadam generalis inquisitoris data Granatæ, Anno domini. 1499. die. 4. septembris. quæ circumfertur inter instructiones impressas. Hoc ideo cautū, ne opus sit totum processum hæresis ad eam rem inspicere: vbi solent alia quoque occultiora contineri.
- 6 ¶ Forma sententię contra relapsos potest ex ea sumi, quæ lata fuit contra Hieronymum de praga hæreticum relapsum in concilio Constantiensi sessione. 21. in hæc verba. Sancta synodus eundem Hieronymum, palmitem putridum, in vite non manentem, foras mittendum decernit: ipsumque hæreticum, & in hæresim relapsum, excommunicatum, anathematizatum, pronunciat, declarat, atque damnat. Plenior formam ponit Brunus lib. 4. de hæreticis cap. 10. quam, quia prolixior est, huc trāscribere nolui, locum indicasse contentus.
- 7 ¶ Demum illud prudenter vsu receptum est, vt cum hæ sententię proferendæ sunt, vltimæ omnium legantur illæ, quibus pertinaces & impœnitentes damnari debent. Id quoque obseruari solet, vt cum prædictæ sententię recitantur, prælectis summaria relatione actis processus, antequam sententię ipsæ proferantur, sistatur paululum: & coram omni populo moneantur, & exhortentur pertinaces, vt vel iam tandem conuertantur, quia durat adhuc tēpus misericordiæ. Qui si quidem conuerti voluerint; reducendi sunt ad carceres: & si verè redierint, recipiendi. Si verò in sua pertinacia

tinacia vel impœnitentia perstiterint; tunc sententia recitanda est: & statim à iudice laico capi debet, & pcena ignis damnari, quam protinus in loco solito exequutioni mandabunt.

DE SERVIS. CAP. LIX.



- RE Q V E N S mētio seruorum est in legibus romanorum, vt bonam iuris ciuilis partē occupent. Quod ideo factum fuisse arbitror, quia multi viri prudentes bello victi, efficiantur serui capiētium: vnde multa domini committebat eis: dignique erant commiseratione, & premio, eorumque libertas pia & fauorabilis erat. Hodie verò laudabili consuetudine receptum est, ne christiani bello victi à christianis, efficiantur eorū serui, quamuis bellum iustissimū alioqui fuerit. Quod notauit Bartolus in l. hostes. de captiuis. Ioā. platea in l. i. C. vt armorum vsus. lib. 11. Siluester in summa. verbo, bellum. 1. in principio. Boherius decisione. 178. Et rursus in consuetudinibus Bituricensibus col. 1. & est textus in regia. l. i. titu. 29. parte. 2.
- ¶ Quod mihi satis probari videtur in l. si quis ingenuā & vlti. de captiuis. vbi Vlpianus ait, non effici seruos illos, qui in ciuilibus dissensionibus capti sunt: nā bella inter christianos, plusquam ciuiles dissensiones putanda sunt, cum omnes eundem deum patrem, & eandem ecclesiam habeamus matrem. Hoc & Plato. 5. de republica elegantius docuit, inquit, neminem græcum à græcis bello captum, seruum fieri debere: magisque eam rem seditionem esse, quàm bellum, quia omnes græcos imaginaria quadam communione fratres, patres, & filios esse volebat: & qui si quando altercarentur; id facere deberent, tanquam aliquando reconciliandi: quod christianis plurimum quadrat. Cum igitur hodie serui non sint, nisi mahumetani, aut ethiopes: homines stolidissimi, & quibus iuxta prouerbium: vix saccum serpentum credere, aut committere tuto possis: pauci eorum iam inueniuntur: & hi tales, qui indigni sunt, vt eorū mentio fiat. Quorū libertas, mea sententia, vt plurimū, parum pia est, quia per eam ociosi & fures fiunt, & in patibulis, carceribus, & hospitalibus mori solēt.

- 2 ¶ Sed quamuis regulariter hæc ita se habeant, nihilominus vulgi opinione, pia putatur esse horum libertas. Vnde si serui christiani sint, & eorum domini labantur in hæresim; etiam legislatoribus placuit, libertatem illis ipso iure competere. c. vlti. de hereti. l. manicheos. C. eodem titu. regia. l. vlti. tit. 21. parte. 4. nec ideo minus liberi erunt, si domini redierint ad fidem catholicam, aut alia bona illis fuerint restituta. Nam etsi conuersi fuerint intra tempus gratiæ, ita vt benignitate regia reliqua bona illis concedantur; seruorum tamen libertas non reuocatur. prima instructione hispalen. cap. 24. non enim retractari solet libertas, quæ semel competit. l. 1. cum seq. C. si aduersus liberta. nec beneficium principis dānosum debet esse libertis. l. 2. § si quis à principe. cum vulga. ne quid in loco publico fiat.
- 3 ¶ Præterea serui christiani possideri non debent ab hæreticis, iudæis, paganis, vel alterius sectæ hominibus: nec ab eis emptionis, donationis, successione, aut alio quouis titulo haberi possunt, sed ad libertatem perducendi sunt, vel saltem ab eis auferendi. c. mancipia. cum seq. distin. 54. c. 1. & 2. de iudæis. l. 1. C. ne christiā. manci. 3. concilio Aurelianensi canone. 10. & iterum concilio. 4. canone. 18. & primo concilio Matifconensi, canone. 10. & 4. concilio. Toletano canone. 64. regia. l. 13. titu. 9. parte. 6. & l. penul. tit. 24. parte. 7. Romanus. cōsil. 489. Felinus in. c. at si clerici § de adulterijs. de iudicijs. nu. 20. Decius in. c. consuluit. 3. de appellatio.
- 4 ¶ Postremò si seruus christianus, hæreticus fiat, velitque reconciliari ecclesiæ; solet interdum pro modo culpæ fustibus cæsus domino restitui, quia incapax est aliarū pœnarū. nec enim infamia notantur serui, cum sint nullius famæ. l. quod attinet. de regul. iur. neque dignitatibus priuantur, aut capite minuuntur: quia hæc eis non cōpetunt § seruus. insti. de capit. diminū. nec eorum bona publicantur, quia nil propriū habent. l. placet. de acquiren. hæredi. relinquitur ergo, vt pœna illis commutetur in aliam. l. hos accusare § omnibus. de accusatio. regia. l. 10. titu. 1. parte. 7. Alia inuenies apud Albertinum in rub. de hæreticis. lib. 6. quæst. 5. cum seq. Vide Aristo. 1. polit. & rursus. 1. œconomi.

DE

DE SORTILEGIIS. CAP. LX.



- S**ORTILEGI sunt, qui sub nomine fictæ religionis, per quasdam sortes, quas apostolorū, vel sanctorum vocant, diuinationis scientiam profitentur: & qui quarumcunque scripturarum inspectione futura prædicunt, aut promittunt. 26. quæst. 1. cap. 1. Hi ergo, qui per sortes inquirunt futura contingētia, vel præsentia, & præterita, quæ per naturā cognosci non possunt, vani sunt, & falsi, & operam dant illicitæ, ac superstitiosæ rei, & quæ non caret ingestione dæmonum, vt aiunt Thomas, & Caietanus. 2. secundæ. quæst. 95. arti. 8. & Siluester in summa, verbo, superstitio. quæst. 9.
- 1 ¶ Quamuis autem sortilegi non debeant puniri ab inquisitoribus, sed ab ordinarijs iudicibus: hoc tamen locum nō habet, quando sortilegia saperēt manifestam hæresim. cap. accusatus § sanē. de hereti. lib. 6. Quod similiter obseruabitur, quando sortilegia erūt suspecta de hæresi: puta, si quis per sortes dæmonē consultare, vt futura prædiceret. solius nanque Dei est futura præscire, qui in sui contemplatione, etiam angelos illa præscire facit. 26. quæst. 5. cap. 1. Multa hominis afflictio, inquit Ecclesiastes, cap. 8. quia ignorat præterita, & futura nullo scire potest nuncio. Et generaliter omnes artes huiusmodi meritò de hæresi possunt haberi suspectæ, quia nugatoriæ sunt, & noxiæ superstitiones, ex quada pestifera societate hominum & dæmonum, quasi pacta infidelis, & dolosæ amicitia constituta. c. illud. 26. quæst. 2.
- 2 ¶ Ea verò sortilegia sapiunt manifestam hæresim, quæ sine alicuius hæresis adminiculo exerceri nequeunt. Quod rectè docet Alfonso lib. 1. de iusta hæreticorum punitione. cap. 13. Sed & illa sapiunt hæresim, & iure suspecta sunt, quæ præferunt figuram & imaginem hæresis: vt puta, si in sortibus, aut sortilegijs misceantur aliqua dicta, vel facta hæretica, vel quæ probabilem suspitionem hæresis præbeant. Proinde qui mortuū baptizat, vt inde sortium respōsum habeat: & qui sacramentis in eā rem abutitur: & qui dæmonem inuocat ad ea, quæ vires illius excedūt: ad summā
- D ij quicunque

quicumque simile quippiam committunt; examini & iudicio inquisitorum subiacebunt: quia prædicta omnia, vel sunt hærefes, vel sapiunt illas. Alia multa inuenies apud Lucam in l. 2. C. quando & quibus. lib. 10. apud Alexan. 2. parte. quæst. 185. cū seq. Thomam. 2. secundæ. quæst. 95. arti. vlti. Grillandum tractatu, de forti legijs. Campensem lib. 8. de libero hominis arbitrio. cap. 4. apud Alfonso lib. 1. de iusta hæretico. punitio. cap. 13.

DE SUPERSTITIONIBVS.

CAP. LXI.



SUPERSTITIO est falsa religio, quæ falsum deum, aut verum quidem, sed falso, ac vanè metuit, teste Varrone. Qui eatenus superstitionem à religione fecernit, quòd superstitiosus deostimeat, vt dominos: religiosus vereatur, vt parentes. Vnde superstitionem esse aiunt, vitium religioni oppositum, exhibens cultum diuinum cui non debet, vel eo modo, quo non debet. Superstitionum autem species plures sunt: & omnes diuino cultui aduersantur, secundum diuersos fines. Ordinatur enim diuinus cultus ad reuerentiam deo exhibendam, & contra illum est idololatria. ordinatur etiam, vt homo instruat à deo. Et huic opponitur superstitio diuinaria, quæ dæmones consulit expressè vel tacitè. Demum ordinatur ad quandam directionem humanorum actuum secundum instituta dei. Et contra hoc est superstitio quarundum obseruationum, quibus humani actus perperam diriguntur. Hæc ferè docet Augustinus libris de doctrina christiana, Thomas. 2. secundæ. quæst. 92. arti. 1. Siluester in summa, verbo, superstitio.

1 ¶ In materia superstitionum talis regulà generalis & memoranda traditur, Ea quæ non possunt naturaliter illos effectus producere, ad quos adhibentur, superstitiosa sunt, & pertinent ad pacta cū dæmonibus inita. Proinde adhibere characteres, & nomina, quæ manifestū est naturaliter efficaciam nō habere, superstitiosum est, & illicitum, vt ait Thomas. 2. secundæ. quæst. 96. arti. 2.

Cui

Cui consonat regula posita per Gersonum, tractatu de directione cordis, vbi sic scripsit, Omnis obseruatio, cuius effectus expectatur aliter, quàm per naturalem rationem, vel per miraculum, & voluntatem diuinam, debet meritò reprobari, & de pacto dæmonū expresso, vel occulto, vehemèter haberi suspecta. Quod ait ita fuisse decretum per theologos Parisienses. vnde ad plura infert Martinus arles, tractatu de superstitionibus. nu. 6.

2 ¶ Ad pacta saltè occultata cum dæmonibus inita, pertinet millia inanum obseruationum. putà, si iunctis ambulanti bus amicis, lapis, aut canis, aut puer medius interuenerint. limen calcare, cū ante domum suam aliquis trásit. redire ad lectum, si quis cum se calciat, sternutauerit. redire domum, si procedens offenderit. Hæc & his similia posuit Augustinus lib. 2. de doctrina christiana. Quæ quidem, vt ibidem ait, non solent obseruari sicut signa à deo tradita, cum nō sint inducta ex autoritate diuina: sed magis ex voluntate humana, cooperante malitia dæmonum, qui nituntur animos hominū huiusmodi vanitatibus implicare. Quod elegantissimè tradit Origenes lib. 3. in Iob. col. 12. & de inceptis. Sunt itaque tales obseruationes illicitæ, ac superstitiosæ, & quæ videri possunt, reliquæ idololatriæ antiquæ, secundum quam obseruabatur auguria, vt inquit Thomas. 2. secundæ. quæst. 96. arti. 3.

3 ¶ Consimili ratione suspecti sunt, qui astrologiæ diuinariæ, seu iudiciariæ, dant operam: & hi præcipuè; qui donum prophetiæ, vim religionum, arcana conscientiæ, imperium in dæmones, virtutem miraculorum, efficaciam supplicationum, & futuræ vitæ statum, omnia pendere ab astris, ab illis largiri, ex illis cognosci, impia temeritate fatentur. Nam qui talia credunt, vel alijs persuadere conantur, hæretici sunt, in multis à fide aberrantes. Ex hac fallaci arte multæ prodierunt hærefes, atque damnosæ superstitiones. Quapropter ad cognitionem inquisitorum perducendi sunt, qui talia committunt. Hi sunt mathematici, qui & planetarij appellantur, de quibus in cap. illud. & cap. illos. 26. quæst. 2. in cap. igitur. quæst. seq. & in l. 2. C. de malefi. & mathema. Contra hos scripsit luculèter Picus mirà. in lib. cōtra astrologos & nōnil Alcia. in l. rei appellatio. de verborum signifi. & Ripa in l. 2. solut.

D iij matrimo.

matrimo. nu. 5. Casseneus in catalogo gloria mundi. parte. 10. cōsideratione vlti.

4 ¶ Hi quoque, qui magicam artem profitētur, iure suspecti sunt, quia dæmonum illusionibus tota plena est. Et qui defunctorum animas euocant, & qui excantant pueros, & qui dæmones familiares circumferunt, & qui (vt dicitur) spiritus pascunt in vitro, per quos se prophetare mentiūtur. Sed & hi, qui elusiones, & phātasmatata edunt, & miracula multa circulatorijs fraudibus ludūt. Denique omnes, qui dæmonum artibus occupantur, ab inquisitoribus examinari possunt: & si res tulerit, pro modo culpæ puniri: quia in his ferè omnibus complementum operis à virtute dæmonum expectatur. Proinde qui talia operantur, apostatæ sunt à fide, ppter pactum initum cum dæmone, tacitè, vel expressè, verbis, aut factis, vt docet Thomas in lib. 2. sententiarum, distin. 7. Quem illic posteriores sequuntur, prout refert Martinus Arles, tractatu de superstitione. nu. 62. Cui adde Alfonso. lib. 1. de iusta hæretico. punitio. cap. 13. magnum Leonem sermone vltimo de passione domini ad finem.

5 ¶ Cæterum de quibusdam superstitionibus, quæ leuiore magis & fatuæ, vel ridiculæ sunt, quàm hæreticæ, non est cur inquisitores anxie laborent. Poena autem superstitionum iuxta qualitatem errorum fidei, vel suspicionis hæresis constituenda erit. Legibus verò ciuilibus acerbè puniuntur aliqui prædictorum. l. nullus. cū seq. C. de malef. l. 2. de paganis. & regia pragmatica. 3. De magia vide Plinium lib. 30. naturalis historiae. c. 1. Gellium. lib. 14. cap. 1. Abulensem, numerorū. cap. 21. quæst. 19. qui de fascinatione scribit eodem loco. quæst. 14. Quem etiam videre poteris, Leuitici. c. 19. quæst. 18. & iterum quæst. 29. Francif. picum lib. 4. de rerum prænotione. cū seq. Troilū Maluetiū tracta. de sortibus. c. 1.

DE TESTIBVS. CAP. LXII.



ESTES à testando dicuntur: nam testari est, sententiam nostram exponere. Vnde testes dicti, quòd ea, quæ de rei gestæ veritate sentiunt, in iudiciū proferant, vt Alciatus scripsit in. l. plebs est. §. primo. de verborum significa. Multa autem exploranda

exploranda sunt circa personas testium: scilicet, conditio, dignitas, diuitiæ, paupertas, amicitia, inimicitia, sexus, ætas, & alia eius modi, quæ iureconfulti eleganter docent in. l. 2. & seq. de testib. & ante illos Cicero in topicis ait, Non qualiscunque persona testimonij pondus habet. ad faciendam enim fidem, autoritas quæritur: sed autoritatem, aut natura, aut tempus affert. Naturæ autoritas in virtute inest maximè: in tempore autem multa sunt, quæ afferat autoritatem: ingenium, opes, etas, fortuna, ars, vsus, necessitas. Nam & ingeniosos, & opulentos, & ætatis spatio probatos, dignos, quibus credatur, putant: non rectè fortasse, sed vulgi opinio mutari vix potest, ad eaque omnia dirigunt, & qui iudicant, & qui existimant. hæc ille.

1 ¶ Idem in partitionibus oratorijs, de singulis testibus considerare docet, si natura vani sunt, si leues, si cum ignominia, si spe, si metu, si iracundia, si misericordia impulsii, si premio, si gratia adducti, testimonium perhibuerunt. Demum tot circumstantias considerare oportet in fide testium examinanda, vt Adrianus scripserit in hæc verba, Quæ argumenta ad quem modum probandæ cuique rei sufficiant, nullo certo modo satis defini potest. Alias numerus testiū, alias dignitas, & autoritas, alias veluti cōsentiens fama, confirmat rei, de qua quæritur, fidem. Proinde idem princeps legato Ciliciæ rescripsit, eum qui iudicat, magis posse scire, quanta fides habenda sit testibus. l. 3. §. 1. de testib.

2 ¶ Sed quamuis iudicis arbitrium plurimū possit in fide testibus adhibenda, non tamen ex capite suo aduersus leges arbitrari debet: quod supra plus semel admonui. Generaliter autem humane leges considerarūt quinque in personis testium: videlicet mores, naturam, fortunam, animum, & statum. Circa mores considerarunt duo, propter quæ nō debet fides adhiberi: errorē, & malitiā. Propter errorē, infideles: propter malitiam, infames repellēdos à testimonio sanxerūt. Itē circa naturā duo cōsiderauerūt, ætatē, & sexū. In pueris defectus etatis obnubilat rationē, in mulieribus sexus emollit voluntatē. Propterea pueros & mulieres idoneos ad testimonium nō cēsuerūt. Itē circa fortunā cōsiderauerūt duo: cōditio nēseruitutis, & aduersitatē paupertatis. Seruitus, habet annexū do-

minationis timorem: paupertas verò, temporalitatis amorem, quæ maximè solent ad mendacium inclinare. Item circa animū duo potissimum considerauerunt: intellectū, & affectum. Et in intellectu alienationem rationis: in affectu, libidinem voluntatis. Et hanc diduxerunt in libidinem iræ, quæ est in odio: & libidinem concupiscentiæ, quæ est in desiderio.

3 ¶ Præterea libidinem concupiscentiæ considerauerunt dupliciter, videlicet quo ad se, & quo ad alios. Et secundum hanc distinctionem contingentium ex parte animi, quatuor genera personarum indigna decreuerunt: scilicet furiosos, propter alienationem rationis: inimicos, propter libidinē voluntatis in irascendo: domesticos, propter concupiscentiam voluntatis respectu familiæ. & multò magis respectu sui, iudicant inidoneum testem in re propria. Deinde cōsiderarunt æmulationem status laicorū, & clericorum: & tandem personarum distinctionem in iudicijs: ex quibus causis multos ad ferendū testimonium iudicauerunt inidoneos. Hæc Alex. ales. 3. parte summæ. quæst. 43. membro. 3. Quæ mihi notatu digna visa sunt, quia summatim & ingeniosè complectūtur vniuersum serè testimoniorum tractatum.

4 ¶ Igitur in quocunque iudicio testiū idoneitas consideranda & excutienda est. Nam & in Deuteronomio cap. 19. sic legitur, Cū sacerdotes diligentissimè perscrutantes, inuenerint falsum testē contra fratrem suum dixisse mendacium; reddent ei sicut fratri suo facere cogitauit. Ecce quomodo diligentissimè scrutabātur iudices de fide testium: quod & ab inquisitoribus obseruari debet. Nam etsi admittantur in hoc iudicio aliqui testes minus idonei; nō tamen est eis facilè credendum: sed numerus, & qualitas, & verisimilitudo, explorari debent: vt rectè docuit Ancharanus in. c. in fidei. de hæreticis. lib. 6. Non enim consequens est, vt eis plena fides adhibeatur, qui vtcunque admittuntur ad perhibendum testimonium: sed inspiciendum est, vtrum sint omni exceptione maiores, vel contra. Est autem idoneitas personæ testificātis, dignitas quædam hominis, cuius testimonio debet fides adhiberi absque omni suspitione mendacij. Inidoneitas verò est, defectus dignitatis in persona, propter quem fides non adhibetur ob suspitionem

suspitionem mendacij, vt ait Alexan. de ales loco supra citato.

5 ¶ Prædictis affine est, quòd excommunicati, & socij criminis, qui regulariter à testimonio repelluntur, admittuntur tamen contra hæreticos, defensores, & receptatores: si modo ex verisimilibus coniecturis, ex numero, & personarum qualitate, atque alijs circumstantijs falsa dicere non præsumantur. c. in fidei fauorem. de hæreti. lib. 6. Vnde manifestè relinquitur, vt tales testes nō plenè probent sine alijs adminiculis. quod & supra retuli, & notat Hippolytus consil. 109. & iterum singulari. 209. & rursus in practica & diligenter. nu. 60. Quòd si per viam accusationis tractaretur de hæresi, tunc prædicti testes non reciperentur, iuxta opinionem glosæ in eodem cap. in fidei. Quam ibidem approbare videntur Ioan. Andre. Domi. & Francus. Sed contrariam sententiam illic sequitur Archidiaconus, & Gōsalus in tractatu de hæreti. quæst. 13. quæ mihi verior videtur, quia eadem ratio fauoris fidei æquè militat vtrobique.

6 ¶ Multi autem putant, quòd socij criminis nullam fidem faciant, nisi prius torqueantur. Quæ fuit opinio Fulgosi consil. 171. sequitur Hippolytus consil. 109. Gratus consil. 59. lib. 2. & probari videtur in. c. penul. 5. quæst. 5. Sed vt illic aiunt glosa & docto. hoc tunc demum fieri debet; quum illi vacillant, & homines viliores sunt. Adde quòd iudiciorū vsus non admittit, vt pro solo testimonio perhibendo, socius criminis torqueatur, & quòd aliàs non faciat indicium. quod & Casseneus testatur in consuetu. Burgun. rubrica. 1. §. 5. fol. 44. Et generaliter quando socius criminis admittatur in testē, vide glos. & docto. in. l. si filium. C. de libera. caus. cap. 1. & illic interpretes, de testib. lib. 6. Alexan. lib. 7. consil. 120. Corneum consil. 58. lib. 1. Ruinum consil. 158. lib. 5. Aymonem cōsil. 178. Iasonem in. l. 4. §. si tibi indicium. de condi. ob turp. caus. Boheriū decisione. 319. regiam. l. 21. titu. 16. parte. 3. & l. vlti. titu. 7. libro. 2. fori legum.

7 ¶ Cum verò testes ad inquisitores accedunt, moneri ab eis piè ac diligenter solent, ne odio, cōiuratione, prætio, aut quâuis alia iniusta causa, falsum testimonium dicant. Admonent præterea, vt considerent, quàm graue sit & horrendum, de tãto crimine quæpiam

piam iniuria infamare. Deinde proceditur ad eorum examen coram duabus religiosis & discretis personis: & per publicum notarium, aut per duos viros idoneos fideliter depositiones testium conscribuntur. c. vt officium §. verum. de hæreti. lib. 6. Examen quoque & reproductio testium fieri debet coram inquisitoribus. Et personæ religiosæ non sunt adhibendæ ex ipsis officialibus, vt cautum est. 4. instructio. toletana cap. 14. Nec aliquo modo testes examinari debent in absentia inquisitorum. Quod repetitum extat in quadam epistola procerū, data Segobiæ, die. 13. Nouēbris, Anno salutis. 1503. quæ circumfertur inter instructiones impressas folio. 15. Hoc propterea cautum, quia inquisitores diligenter inuestigare debent, locum, tempus, & personas, quæ præsentis fuerunt, & subinde interrogare de alijs circumstantijs, vnde veritas, vel mendacium detegi queat.

8 ¶ Rectè proinde in prima instructione hispalensi. cap. 17. prohibitum est, ne testium examen cuiquam committatur, nisi duobus concurrentibus. Primum, quòd testes sint legitimè impediti, ita vt coram iudicibus comparere nequeant. Alterum, quòd non deceat, vt inquisitor ad eos accedat. Quo casu committi potest examen vicario episcopi, aut alij iudici ordinario ecclesiastico, vel certè alicui honesto viro, qui coram notario tales testes debet examinare diligenter, & referre ad inquisitores modum, & circumstantias depositionum. hæc ibi. Quibus consonat, quod Baldus scripsit in. c. 1. de controuer. inuesti. inquiens, in magnis causis debere iudicem per seipsum testes examinare. Legibus quoque regijs cauetur, vt hoc obseruent iudices in causis nobilitatis, falsitatis, & quibusdam alijs: quarum nulla tam grauis est, quàm hæresis. Vide Iaso. in repeti. l. admonendi. de iureiurā. col. 101. Felinū in cap. cum causam. de testib. nu. 21.

9 ¶ Illud verò notandum est, quòd quamuis per inquisitionem procedatur, nihilominus dicta & nomina testium sunt reo publicanda: necnon exceptiones ac defensiones legitimè admitti debent, ne per suppressionē nominum, infamandi: per defensionū verò exclusionem, deponendi falsum audacia præbeat. c. qualiter. 2. §. penul. de accusatio. Sed in solo crimine hæresis occultanda sunt nomina

nomina testium, quando graue periculum immineret. c. vlti. de hæreti. lib. 6. Cum autem semper graue periculum credatur imminere: si non testibus, saltem causis fidei catholicæ, quia pauci liberè testimonium perhiberēt, si nominum publicatio fieret: ideo receptum est, vt nunquam testium nomina publicentur.

10 ¶ Contra audaciā autem deponendi falsum, prouidet Pontifex in dicto. cap. vlti. vt adhibeantur personæ prouidæ, & honestæ: vt tot inspecta oculis, tot insinuata sensibus, falsi suspicionem excludat. quod illic Ancharanus notauit. Sed hoc amplius cautum est in prima instructione hispalensi cap. 16. vt publicentur depositiones testium, & earum copia reo detur: illis tantummodo circumstantijs suppressis, vnde faciliè reus in testium notitiam peruenire queat. Sed et stilus huius iudicij addidit, vt maiore cautela testes examinētur & moneantur, vt supra diximus: & si opus fuerit, de vita & moribus testium iudices diligenter inquirant, quemadmodum plenius eadem instructione cauetur. cap. 14.

11 ¶ Cæterum cum prædicta omnia cessent in alijs inquisitoribus, & visitatoribus, neque vllò iure probetur, quòd cuiquam liceat occultare nomina testium; consequens est, vt reo petente semper sint reuelanda, vt facultas defensionis prebeat, quæ nulli vnquā auferenda est. l. defensionis. de iur. fisci. lib. 10. & ita nuncupatim præcipitur regia. l. 11. titu. 1. lib. 8. ordinationum regiarū. Quod eo magis à visitatoribus iudicū debet obseruari, quāto illi, quàm cæteri magis odio & inuidiæ sunt expositi. Nam sicuti de prælatis scribitur in. c. qualiter. 2. de accusatio. quasi signum positi sunt ad sagittam: nec possunt omnibus complacere: cum ex officio suo teneantur, litigantes quamplures quotidie condemnare, increpare, in carceres & in exilium mittere, interdum etiam morte punire, vnde frequenter multorum odium incurrunt, & insidias patiuntur. & sicuti Plutarchus in politicis ait, Quæuis reipublicæ administratio, inimicitias, & dissidia quædam affert.

12 ¶ Hæretici autem cum sint impij, excōmunicati, & infames, nō admittuntur ad testimonium contra catholicos, vt & apostoli de creuerūt canone. 74. & postea iure canonico atque ciuili plenius cautum est cap. non potest. cap. pagani. 2. quæst. 7. & l. quoniam.

C. de hæreti. Alia ratio assignatur in 4. cōcilio toletano. canone. 62. quia sicut in fide Christi suspecti sunt, ita in testimonio humano dubij habentur. Tradit hoc etiam Occam. lib. 6. dialogo. c. 77. Abbas & posteriores in cap. 1. de hæreti. Sed hæreticus admittitur aduersus hæreticum. dicta. l. quoniam. Confert. l. in arenam. C. de in officio. testa. cum his, quæ colligit Lucas in. l. veterani. C. de vetera. lib. 12. Similiter admitti possent vtraque parte approbante: vel cum rem à se gestam explicant, adhibitis tormētis: vel quū testimonium perhibent in causis quibusdam grauioribus, putà hæreseos, simoniæ, læsæ maiestatis, expilatæ annonæ: quibus casibus eis creditur, si verisimilia dicant: vel sint plures numero. hæc Barto. Iaf. & Alciatus in. l. 1. C. de summa trinita. Brunus. lib. 5. de hereti. capitulo decimo.

13 ¶ Alium casum quidam excipiunt, in quo testimonium hæretici recipiendum putāt: scilicet, cum produceretur in testem ad defensionem rei accusati: tunc enim fauore defensionis & liberationis, aiunt, valere tale testimonium. Hæc est opinio Guillel. benedicti in. c. rainutius. de testamen. parte, qui cum alia. nu. 250. & Felini. in. c. de cætero. nu. 8. de testib. Sed mea sententia nēdū hæc exceptio, sed & præcedentes, vix aliquo casu recipiendæ sunt: tū, quòd nullo iure probari eas videam: tum etiam, quia cum hæreticis omne commercium sit catholicis interdictum, propter contagionis periculum, & eorum execrationem. Quòd si repellendi sunt excommunicati à testificando, etiam officio iudicis, parte non opponente. c. decernimus. de sentē. excōmunica. lib. 6. quātomagis id obseruare conueniet, cum apostatis, impijs, & hæreticis: nisi forte capti, & tormentis afflicti, aliquid verisimile, latens, & reipublicæ vtile, reuelarent.

14 ¶ Præterea notandum est, quòd quamuis regulariter consanguinei atque coniuncti non possint cogi, vt inuicem sibi testificētur in causis criminalibus. l. legē iulia. & seq. de testib. si tamen volentes contra se testimonium perhibeant, non secus atque alij testes fidem facient, vt illic sentit Barto. & planius decisum est legibus septipartitis, scilicet. l. 11. titu. 16. parte. 3. & rursus. l. vlti. titu. 30. parte. 7. quòd indubitatum est in crimine heresis. c. literas, de præsumptio.

sumptio: vbi id notat Abbas nu. 8. & probatur per locum à fortiori in. c. 13. Deuteronomij. & in. c. si audieris. 23. quæst. 5. Quinimo tātò firmitus videri potest horum testimonium, quanto à suspitione falsi magis distant. Quod rectè animaduertit Abbas loco supra scripto nu. 2. nam & arcta coniunctio suspicionem remouet. Et nemo vnquam carnem suam odio habuit. c. non estimeamus. 13. quæst. 2. Denique qua ratione propria confessio nocet cōfidenti, cui in re propria testimonium nil prodest: eadem quoque validius redditur contra propinquiores dictum testimonium, in quorum fauorem parum prodesset.

15 ¶ Item quamuis publicatis attestacionibus, super eisdem articulis, vel directò contrarijs regulariter testes non recipiantur. c. fraternitatis. de testib. clem. vlti. eodem titu. hoc tamen fallit in causa heresis, in qua semper vtrinque admittuntur. quod Baldus ait in. l. eos & si quid. C. de appellatio. Angelus in. l. per hanc. de tempori. appella. Domini. in. c. vt officium & verum. de hæreti. lib. 6. Felinus in dicto. c. fraternitatis. Pōzinibius tractatu de lamijs nu. 73. Albertinus in. c. 1. de hereti. lib. 6. quæst. 16. nu. 19. Ludo. carerius tracta. de hæreti. nu. 124. Cuius ea ratio est, quia publicatio secretè fieri solet, ideoq; subornationis, suspitio cessat. Deinde quia hoc vergit in fauorem fidei. Demum quia per inquisitionem iudices pcedunt: quo casu generaliter id pmissum est, vt docet Bartolus in. l. 2. & si publico. de adulter. nu. 15. quem sequuntur illic posteriores. Et in authē. atqui semel. C. de pbatio. Innocen. Hostiē. & cæteri in. c. cum clamor. de testibus. & sæpe alibi.

16 ¶ Ex depositionibus testium, qui testimonium perhibuerunt in generali inquisitione, siue summaria informatione, nullus potest condemnari, neque torqueri, nisi prius ratificentur in iudicio ordinario, seu plenario, & copia testimoniorum reo detur. hoc docet Bartolus in. l. vlti. in fine. de quæstio. Et probatur in. c. 2. de testib. vbi Felinus nu. 9. citat huius sententiæ Baldum, Angelum, Romanum, Salicetum, Abbatem, Aretinum, & alios. cui adde Hippolytum consil. 55. Gratium consil. 74. lib. 2. Et nuncupatim in materia nostra hoc tradunt Gonfalus tractatu de hæreticis. q. 10. Et Albertinus in. c. 1. eodem titu. lib. 6. quæst. 16. nu. 17.

Præterea

- 17 ¶ Præterea publicatio testimoniorum facienda est, alioqui nullam fidem faciunt. Quæ est Bartoli doctrina in l. solam. C. de testib. Et hæc sententia communiter approbatur, teste Decio in c. causamque. 1. eodem titu. & ita fieri solet cum hereticis, vt ante diximus. Sed non debent citari ad cognoscendos testes, nec adiuramenta illorum: quia potius occultanda sunt eorum nomina. c. vlti. de hæreti. lib. 6. Quod speciale est in hoc crimine, vt nomina notauit Romanus singulari. 366. Hippolytus i. l. de vnoquoque. de re iudica. & iterum, consil. 8. Carerius tracta. de hæreti. nu. 121. Nam regulariter in quolibet actu iudicij præiudiciali, necessaria est citatio partis. prædicta. l. de vnoquoque. & l. nam ita diuus. de adoptio. hic autem actus maximi momenti est. authen. de testib. § & hic verò multoties.
- 18 ¶ Testes quoque singulares non probant in causa hæresis: nam & in alijs criminibus non solent fidem facere. c. licet causam. de probatio. c. licet vniuersis. de testib. Et hoc expressim tenet Bald. consil. 394. lib. 2. Antonius in c. cum oporteat. de accusatio. Lupus in allegatione de hæresi § 12. & alij plures relati per Albertinum in c. 1. de hæreti. lib. 6. quæst. 16. nu. 56. & Hippolytus consil. 109. Boherius decisione. 342.
- 19 ¶ Sed in hoc memoranda est distinctio Baldi in c. licet causam. de probatio. nu. 11. vbi notat, quòd singularitas testiũ aliquando est cum cõtrarietate, interdum cum diuersitate, sæpe etiam cum cõnexitate. Primo casu, alter fidem alterius eleuat, & attenuat, ita vt neuter aliquid probet: nam inuicem sibi contrariantur. Hæc autem singularitas nõ solum eneruat fidem vtriusque testis, quãdo vnus ait, alter negat: verum etiam quum de eodem facto ambo pugnantia dicunt: par enim ratio contrarietatis vtrobique militat. c. ex tenore. c. cum causam. de testi. Cuius rei exemplũ videre licet in illis falsis testibus, qui Susannam adulterij ream facere voluerunt. c. 13. Danielis. Et hæc est communis sententia, quam post plures astruit Aymo crauetta libro de antiquitate. parte. 4. § sed enim. nume. 1. & 6.
- 20 ¶ Aliquando singularitas testium est circa diuersa, & penitus separata, vt putà, cū alter de vno actu deponit, alter de alio: quo casu

- si nec sibi inuicẽ abrogãt fidem, nec magis probant mille, quàm vnus: vt rectè ait Baldus in l. iurisiurandi. C. de testib. col. 2. quia in eodem actu non sunt contestes. Quod etiam Decius notat cõsil. 649. nu. 11. Aymo referens complures loco supra scripto. nu. 4. & 7. Demũ singularitas inuenitur in rebus connexis, vel in his, quæ ad eundem finem tendunt. verbi gratia, Quidam testis dicit se vidisse Petrum numerantem Titio centum aureos: alter dicit se audisse Titium confitẽtem, quòd mutuo accepit à Petro centum aureos. hi testes sunt singulares, quia primus testificatur de enumeratione, alter autem de confessione. Sed quia hæc singularitas non est omnino separata, sed vnus dictum correspondet alteri, idcirco dictum vnus coadiuuat alterum, vt rectè docet Baldus in c. licet causam. de probatio. nu. 11. Felinus in c. licet ex quadam. de testibus. col. 4. Decius consil. 650. nu. 10. Aymo crauetta consil. 78. & loco ante dicto nu. 3. & 8. cum sequentibus.
- 21 ¶ Huic affine est, quòd ad probandum actum indiuiduum, sufficit partes eius probare per testes singulares. vnde ad probandã celebrationem missæ, sat est, quòd singuli testes, de singulis partibus missæ testimonium perhibeant. Et similiter in alijs eiusmodi actibus. Hæc est vera & recepta sententia, quam docuit glosa in c. nihilominus. 3. quæst. 9. Ioan. Andre. Baldus, Angelus, Abbas, Ioan. imolensis, & Felinus, qui eos retulit in c. licet ex quadam. col. penultima. de testibus.
- 22 ¶ Præterea non ideo minus probant illi testes, qui cum sint concordēs in substantia, discrepãt tamen in verbis, aut in leuibus circumstantijs. quod Barto. notauit in l. eos. de falsis. nu. 5. Bal. in l. de quibus. de legib. col. penul. Fulgosius consil. 161. Corneus consil. 34. lib. 4. Aretinus consil. 60. Alexander consil. 5. lib. 1. Socinus cõsil. 244. lib. 2. Decius in c. licet causam. de pbatio. nu. 7. Thomas. 2. secũdæ. quæst. 70. arti. 2. & satis apertè probatur in c. nil obstat. de verborũ signifi. in l. qui sententiã. C. de pœnis. in l. quæ extrinsecus. de verbo. obligatio.
- 23 ¶ Illud quoque multis placet, quòd ad probandum aliquid generale, sufficiant singulares testes. putà, ad probandã iurisdictionem, satis sit, quòd singuli testes, de singulis actibus iurisdictionis

nistestificentur: quia omnes in eadem iurisdictione concordant. Hoc tenet glo. in l. ob carmen §. ultimo. de testi. Innocen. Bald. Anto. Paulus de leazar. Guillel. in speculo, Abbas, Ioan. imolensis. & Felinus, eos referens in c. licet ex quadam. de testib. col. antepe. Ancharanus consil. 277. Alexan. consil. 92. lib. 5. Aretinus consil. 60. Corneus consil. 34. lib. 2. Hippolytus consil. 1. Boherius decisione. 23. Aymo consil. 73. & plenius lib. de antiquitate. parte. 4. §. sed enim. nu. 11. Albertinus post alios in cap. 1. de hæreti. lib. 6. quæst. 16. nu. 48. Quæ opinio vera esse potest, cum testes in præambulo concordat, alioqui non est sine delectu recipienda. Et contrarium tenent Hostiensis, Guillel. in speculo, Innocen. Richar. malumbr. Baldus. Alexan. & Iason. qui eos refert, in repetitio. l. admonendi. de iureiuran. col. 114. quorum sententia generaliter verior videtur.

24 ¶ Ex proximè dictis nonnulli putant, quòd ad probandum aliquem esse hæreticum, satis sit per testes singulares probare diuersas illius hæreses. verbi gratia, Quidam dicit, Lutherus asseruit vota castitatis neminem obligare: alius inquit, ego audiui eundem dicentem, non esse obediendum papæ: & similiter alij seorsim de diuersis hæresibus singuli testificantur: iam, inquit, tales testes probant in genere, impium illum hæreticum esse. Hæc fuit opinio Iacobi butri. in l. arriani. C. de hæreticis. quam sequuntur Iacobus de aret. in l. testium. C. de testibus. Bal. in c. cum omnes. de constitutio. Ioan. imolensis. in c. cum oporteat. de accusatio. Decanus segobienensis tractatu, de hæreti. c. 12. Aymo consil. 78. & loco prænotato. nu. 11. Et Albertinus in c. 1. de hæreti. lib. 6. quæst. 16. nu. 51. qui hanc rationem assignat. Quoniam omnes hæreses cõnexæ sunt, & inuicem colligatæ. c. excommunicamus. de hæreti. & fortasè, inquit, hæc opinio seruaretur in practica: securius tamen esset, quòd super hoc fieret constitutio, quæ quidem valeret, utpote conformis iuri communi. hætenus ille.

25 ¶ Contraria tamen sententia vera est: quam & vrgentiora probant argumenta; & viri docti sequuntur, & vsus iudiciorum sanctæ inquisitionis comprobauit. Hanc sententiam asseruit Antonius in c. cum oporteat. de accusatio. Ioan. Andre. in c. vt officium

§. 1. de hæreti. lib. 6. Domi. in codic. c. §. verum. Bald. consil. 394. libro. 2. Cardinalis in clem. 1. §. verum. de hæreti. Salicetus in l. testium. C. de testi. Alexan. consil. 72. num. 6. libro. 1. Iason in repetitio. l. admonendi. de iureiuran. col. 114. Brunus libro quarto de hæreti. cap. 9.

26 ¶ Sed & rationibus vrgentissimis hæc sententia comprobatur. Primo, quia tales testes necessariò sunt singulares in testimonio, & in tempore, & sepe etiam in loco. Deinde probari non potest, ni fallor, quòd aliquis est hæreticus, nisi hæresis ab eo dicta, vel facta in specie probetur. Præterea fieri nequit, vt quispiam in genere probetur hæreticus, cum testes in specie teneantur sui testimonij rationem reddere. Nec sanè dispicio, quid distet hæreticus in genere, ab hæretico in specie: nec satis intelligo, quis dici possit hæreticus in genere. Quòd si quempiam talem imaginari possumus; certè in genere hoc probare impossibile mihi videtur. Ad hæc nisi aliqua species hæresis plenè, saltem duobus testibus probata sit; non potest inde inferri, probatam esse hæresim in genere. non enim inferri potest, verum esse in suo genere, ex eo quòd nò potest dici verum in tali specie, vt rectè Brunus post Salicetum notauit.

27 ¶ Præterea si per testes singulares probaretur hæresis, eadè quoque ratione probarentur furtum, adulterium, & alia crimina: quia par causa est probationis utrobique. Item quemadmodum hæreticus errores suos confiteri, & abiurare sigillatim, & nuncupatim debet; sic etiam speciatim, & nominatim de pertinacia cõuincendus est. Denique non video, cur in probanda hæresi à regulis iuris recedendum sit, maximè cum hic oporteat cautiùs procedere. cap. vt officium §. verum. de hæreti. libro. 6. Proinde dubia mihi videtur opinio Saliceti in l. testium. C. de testi. qui putat, plenè probari hæresim, si duo testes de eadem specie testificentur, tametsi vnus dicat, se audiuisse in vno loco, alter in alio: quia tunc locus non plurificat hæresim sepius formatam. hæc ille. Cui accedere videtur Brunus lib. 4. de hæreti. cap. 9. Sed cum tales testes singulares sint loco & tẽpore, nec de eodem facto, vel dicto loquantur, non ideo minus erunt singulares, quòd de eadè hæresi

testificentur, non igitur plenè probabunt.

28 ¶ Hoc vnum præterire nõ possum, quòd etsi testes singulares nõ faciant plenam fidem in probandis hæresibus, nihilominus tamen, quia talis singularitas magnam cognationem & connexitatem habet, atque ad eundem finem tendit: non solum non attenuat fidem testium, verum etiam plurimum eam auget, & coadiuuat, vt supra diximus. Vehementius itaque suspectus ille erit, aduersus quem plures testes singulares, de diuersis dictis vel factis hæreticis, testimonium perhibent, quàm si vnus tantum contra eundem testificaretur. Et hæc de testibus singularibus dixisse sufficiat. Vide Anchara. consil. 439. Aymo. consil. 35. & iterum cõfil. 73. Zasium consil. 1. lib. 1.

29 ¶ Quæsitum scio, si testis contra reum de hæresi testimonium coram iudice dixit, sed postea in articulo mortis reuocat illud, cui potius dicto credi debeat? Cui quæstioni plerique respondent, priori testimonio standum esse, iuxta doctrinam Bartoli receptam in l. eos. nume. 4. de falsis. confert. l. generaliter. C. de non nume. pecunia. l. 1. §. si quis filium. de carbonia. edicto. cap. sicut. de testib. Cuius ea ratio traditur: quia prius testimonium fuit solenne coram iudice, iuramento præmisso: posterius verò est minus solenne, & sine iuramento. Et hanc sententiam tenet Albertinus. post multos in cap. 1. de hæresi. lib. 6. quæst. 16. nu. 72. Cui adde Abbatem, & Decium in cap. per tuas. de probatio. Alexan. consil. 251. lib. 6. Corneum consil. 38. lib. 1. Socinum consil. 253. libro. 2. Felinum in capi. literas. de præsumptio. nume. 20. Boherium decisione. 108.

30 ¶ Contrariam opinionem in causa hæresis tuetur Hippolytus consil. 109. in cuius fauorem adduci possent plura, quæ in simili colligunt Roma. & Igneus in l. si quis graui §. 1. ad sillania. Signorolus consil. 78. & iterum consil. 106. Alexan. lib. 3. consil. 14. Felinus in capit. exhibita. de homici. Guillel. benedict. in capit. rainutius. de testamen. parte, in extremis positus. numero. 19. Idem Hippolytus in practica §. restat. Sed his prætermissis, generaliter sententia præcedens verior est: nisi fortè moriens exprimeret causam probabilem suæ reuocatiõis, & iuuaretur verisimilibus indicijs & coniecturis

coniecturis. Quod rectè animaduertit Curtius senior consil. 69. Magna quidem præsumptio est pro moriente, qui cum sit sanæ mentis, simile quippiam enunciat. spes enim longioris vitæ illū destituit: quæ ferè sola homines ad peccandum fascinat, decipit, & audaces facit. Et probatur hæc sententia in cap. accusatus §. licet. de hæreti. lib. 6. cuius videtur oblitus Hippolytus. Cõferunt quoq; illa, quæ Alciatus collegit lib. 2. præsumptionū. c. 29. nu. 3.

31 ¶ Quæuis autem in alijs criminibus multæ sint exceptiones, quæ testes repellunt, & eorum testimonium eneruant: putà, si probeatur, quòd testis est infamis, fur, raptor, excommunicatus, seruus, libertus, pauper, & his similia. cap. testimonium. de testibus. & illic interpretes, & alibi sæpe. in crimine tamen hæresis tantummodo exceptiones illæ admittuntur, quibus probatis, testes non zelo iustitiæ, sed malignitatis fomite processisse cõstabit. nam exceptiones reliquæ, fidem testium debilitant in aliquo, non tamen euacuant ex toto. cap. per tuas. 1. de simonia. Legitimæ proinde sunt exceptiones conspirationis, coniurationis, inimicitia capitalis. capit. conspiratores. 3. quæst. 4. capit. repellantur. capit. cum oporteat. de accusatio. Et præterea illæ, quæ naturalem defectum testium detegunt. verbi gratia. quòd sunt furiosi, fatui, mentelapsi, aut simile quippiam patiantur. Sed & aliæ proderunt exceptiones: si testis prætio, aut prece, minis, aut quæuis alia iniusta causa inductus, testimonium dixisse probari potuerit: vel quòd vacillauerit, quòd sit infidelis, vel ignotus, quòd inimicis cohabitatur, vel si quid aliud sit eiusmodi.

32 ¶ Et quia conspiratores, eundem præmeditatumque sermonem afferre solent: ad hoc iudices animaduertere debent. nam & hæc legulatoribus visa est probabilis causa suspitionis. l. 3. §. 1. de testi. & illic notat interpretes, & in cap. nil obstat. de verborum significatione. Quod non latuit diuinum illum Chryostomum, qui super Matthæum homilia. 1. col. 3. inquit, spiritu sancto inspirate diuersis verbis scripsisse euangelistas: ne testimonia eorum haberent apud infideles suspecta, si eisdem sermonibus euagelica historia tradidissent. Quod & Thomas annotauit. 2. secundæ. q. 70. art. 2. Hoc etiã iuris periti nõ pauci cõsiderantes, in facti quæstionibus cõsulti E ij responderunt

responderūt Baldus, consil. 121. lib. 2. Alexan. consil. 137. lib. 6. De
cius consil. 62. 7. Hippolytus consil. 1. nu. 50. Zasius cōsil. 3. nu. 44.
lib. 2. Gratus consil. 75. nu. 12. lib. 1.

33 ¶ Iam verò perfidus ille testis, qui in causa hæresis conuictus fue-
rit falsum testimonium dixisse; publicè ab inquisitoribus puniri
debet, vt decretum extat in. 4. instructione toletana. cap. 11. vbi ta-
men non definitur, qualis pœna infligenda sit: eãigitur solita bre-
uitate inuestigabimus. Ac primum lege duodecim tabularum
falsidico testi talis pœna statuta fuit, vt è saxo Tarpeio, quod mi-
ræ altitudinis erat, eijceretur. verba legis hæc sunt, Qui falsum te-
stimonium dixisse conuictus erit, è saxo Tarpeio deijcitor. Quæ
pœna crudelis nimium visa est Phauorino philosopho: cui Sextus
Cecilius iurisconsultus sic respondit, An putas Phauorine, si nõ
illa etiã ex duodecim tabulis, de testimonijs falsis pœna aboleuif-
set: & si nunc quoque, vt antea, qui falsum testimoniũ dixisse cõ-
uictus esset, è saxo Tarpeio deijceretur, mentituros fuisse pro te-
stimonio tam multos, quàm videmus? Acerbitas plerunque vl-
ciscendi maleficij, benè atque cautè viuendi disciplina est. Refert
Gellius lib. 20. cap. 1. Hodie tamen nemo sic damnari potest, vt
è saxo præcipitetur. l. si diutino. de pœnis regia. l. 6. tit. 31. parte. 7.
Quamuis olim in Hispania interdum aliud fieri solebat, vt vide-
re licet in regia. l. 9. titu. 18. & in. l. penul. titu. 21. parte. 2. Quem-
admodum & Romę in vsu erat, vt recenset Plutarchus in vita Ro-
muli. & iterum in vita Camilli. & est relatum apud Senecã, qui
disputat, an sit iterum præcipitandus ille, qui semel deiectus, mor-
tuus non fuit. controuersia. 3. & rursus declamatione. 3. lib. 1.

34 ¶ Alibi statuitur pœna legis Cornelię de sicarijs, alibi pœna fal-
si. l. 1. de sicarijs. l. 1. de falsis. Legibus verò regijs in causa ciuili fal-
sidicus testis damnus parti præstat, & quintus quique dens ab
eo auellitur. l. 3. titu. 12. lib. 4. fori legum. In causis autem crimi-
nalibus pœnã talionis patit: taurina regia. l. 83. Quod & in Deu-
teronomio statutum erat. cap. 19. & in cap. hæc imago. 33. quæst.
quinta. Et hæc videtur verior sententia etiam de iure communi,
vt post Baldum tradit Felinus in capit. sicut. de testib. numero. 2.
Alexan. consil. 55. lib. septimo. Iason in §. item si quis postulante.
institui.

institui. de actio. col. 13. Casseneus. in consuetudinibus Burgund.
rub. 10. col. vltima.

35 ¶ Quæ pœna infligenda est falsidico testi in crimine hæresis: eò
quidem durius, quo grauiori periculo innocetem exposuit: tum
propter ipsius criminis atrocitatem: tum etiam, quia sub prætex-
tu pietatis reum in maximum discrimen trahit: cum occulto te-
stis nomine vix se defendere possit. Est autem iustior hæc talionis
pœna contra testem, quàm aduersus accusatorẽ, quia plus testis
nocet accusato: vt merito in accusatore non sit in vsu, in teste ve-
rò recepta sit. De qua pœna videri possunt Alexan. ales. parte. 3.
quæst. 47. Thomas. 2. secundæ. quæst. 68. arti. vlti. Abulensis Exo-
di. 21. quæst. 26. & iterum Matthæi. cap. 5. quæst. 322. & rursus Le-
uitici. 24. quæst. 12. Felinus in. c. super his. de accusatio. nu. 4. An-
gelus tractatu de maleficijs. parte, & ad querelam. Budæus in. l.
ius ciuile. de iusti. & iure. Oldendorpius in legibus duodecim
tabularum. titu. 11.

36 ¶ Præterea notandum est, quòd quamuis accusator testis esse nõ
possit in eadem causa. c. forum. de verbo. significa. qui tamen de-
nunciat hæreticum, computari debet in numero testium: quia
zelo fidei catholicæ id facere creditur. Item quia cõsursus ecclesia-
sticis compellitur denunciare: vnde non potest haberi suspectus
ac si se volēs in alia causa ingereret. Deinde quoties de publica vti-
litate agitur, & non præ tendit is, qui denunciat, cõmodum, vel in
cõmodum, laudem aut vituperium, aut priuatam affectionem;
toties denunciã, legitimus testis est. c. in omni. de testib. & illic
notatur. Quæ omnia in specie proposita concurrunt. & ita nomi-
natim in hoc denunciatore intelligit eundem textum Domi. fo-
to. in relectione, de ratione regendi secretum. membri secundi.
quæst. 4. in fine, & ita vtimur.

37 ¶ Itẽ sciendũ est, quòd inquisitores cogere possunt quẽcũq; testẽ
etiã egregium, vt coram illis testificetur: tum propter fidei fauo-
rẽ, & iudicum autoritatem: tum etiã, quia hoc regulare est in o-
mnibus causis criminalibus, vt notat glosa in. c. 1. de testibus co-
gẽ. Domi. in. c. presentium. de testib. lib. 6. Roma. notabi. 401. Iason
in. l. ad egregias. de iureiuran. col. 2. Quod tamen limitandum

puto, ne locum habeat in personis valde illustrem dignitatem habentibus: neque in egregijs foeminis, neque in alijs, ad quos decetius & iustius esset, vt ipse inquisitor accederet. Quod ex dignitate, potestate, autoritate, & honestate, alijsque circumstantijs prudenter aestimare, & constituere oportebit.

38 ¶ Præterea reus non potest consentire, vt testes habeantur pro reproductis, seu ratificatis: quia renunciaret in hoc suæ defensionis, quod sine magna & vrgenti causa permitti non debet, vt rectè docent glosa & interpretes in l. pactum inter hæredem. de pactis. Item illud in omnibus causis generale est, vt iureiurando testis astringatur: alioqui non iurato fides non adhibetur, et si religiosus sit. l. iurisiurandi. C. de testi. c. nuper. eodem titu. Felinus in c. tuis quæstionibus. eiusdè tit. in quo nec papa dispensare potest, vt idem Felinus ait, in c. constitutus. de rescript. nu. 16. Tenetur insuper testis assignare causam sui testimonij. l. solã. C. de testib. & tatum de his testificari debet, quæ per sensus cognouit. Quod Lucas de penna luculèter docet in l. nemo miles. C. de remilita. libro duodecimo.

39 ¶ Item regulare est, ne vnus testimonio credatur, sed in ore duorum vel trium stet omne verbum. Deutero. 17. numerorum. 35. Matthæi. 18. cap. licet vniuersis. de testib. Quod non sine numine sancitum fuit, quia vnus facilè peruertere potest: plures autè quàm duos vel tres in quacunque causa exigere, aut inuenire, difficillimum esset. Quod Abulensis notauit in Deutero. cap. 19. quæst. 4. Nonnulli tamè casus recenseris solent, in quibus vnus testimonio statur. Quos Guillel. in speculo collegit. sub titu. de testibus & restat. Anto. & Feli. in c. veniens. 1. de testibus. nu. 18.

40 ¶ In hoc autè ille casus consideratione dignus est, quòd ex multorum opinione vnus testis plenè probat, cum de facto proprio testificatur. Hoc aiunt Oldradus consil. 95. Salicetus in l. si quis decurio. C. de falsis. Paulus in l. quicumque. C. de seruis fugiti. & in multis consilijs. Alexan. consil. 197. lib. 7. Firmia. in reperto. parte, testes duo. Socinus consil. 28. libro tertio. Ruinus consilio 105. libro quarto. Decius consilio. 342. & iterum consilio. 650. Alciatus. in l. 1. & vltimo. de verborum obligationi. Matthæus neapolitana

neapolitana decisione. 369. Hippolytus consil. 111. & rursus consil. 113. Zasius consil. 2. lib. 2. Quorum omnium fundamèta sunt l. quæro & vlti. de edili. edict. l. cum probatio. de probatio. l. si quis decurio. C. de falsis.

41 ¶ Contraria tamen sententia verissima mihi videtur: quam Cinius, & alij probari videntur in dicta l. si quis decurio. & Antonius in c. cum à nobis. de testibus. sed apertius Alexan. consil. 192. lib. 6. idem & Iason. in l. 2. § si absens. si ex noxa. caus. aga. & ambo in l. nec is. de acquir. hæredita. Iason in l. admonendi. de iureiuran. col. 27. Paulus sibi cõtrarius cõsil. 337. lib. 1. Curtius senior tractatu. de testibus, cõclusionè vlti. Carol. ruinus sibi cõtrarius consil. 19. & rursus consil. 65. lib. 5. Tiraquellus de retractu municipali. § 1. glosa. 14. nu. 50. Horum fundamentis alijs prætermisissis, hoc vnum est vrgentissimum, quòd omni iure diuino & humano phibetur, vt paulò ante diximus, ne vnus testimonio plenè credatur in detrimentum alterius. Nec obstant leges supradictæ: quia. l. si quis decurio. loquitur de officiali publico secundum veram & communem intelligentiam: aliæ verò leges locum habent in seruo, qui in tormentis fatetur de fuga sua: tunc enim alijs indicijs concurrentibus, fidem facit in leue damnum domini sui. Et fortè eo casu nõ amplius, quàm semiplenè probat: satisque est, tantã fidem tunc seruo adhiberi, quanta vni homini libero aliàs adhiberi solet. idque sit, quod leges dicunt: tali seruo credendum esse, videlicet, vt vni testi. Quod speciale est, sicut ibidem significatur, & in l. serui responso. de testibus. & in l. interrogari. C. de quæstio. cum generaliter serui testimonium pro nihilo reputetur. l. quod attinet. de regul. iur. nec enim plura specialia concurrere debent. l. 1. C. de dotis. promissio.

42 ¶ Scire quoque oportet, eos testes, qui dissidere videntur, ad cõcordiam esse reducendos, quoad fieri poterit. c. cum tu. de testib. & illic tradunt interpretes. Itè dicta testium iuuanda sunt, & non calunianda, vt inquit Bal. in l. de quibus. de legibus. col. vlti. Angelus in l. ex militari. de testa. mili. Alexã. cõsil. 184. lib. 7. Decius cõsil. 342. Præterea si testes testibus cõtrarij sint, ceteris paribus præferuntur plures paucioribus. l. qd maior. ad municipa. qd si numero fuerit

pares: tunc præferunt viri foeminis: nobiliores, plebeis: digniores indignis. Quod si & in his qualitatibus æquales fuerint, credendum est, quod naturæ negotij conuenit: quod suspitione caret: quod rei aptius, & vero proximius, ac verisimilius visum fuerit. l. ob carmen §. vlti. de testibus. Corneus consil. 123. lib. 4. Socinus consil. 244. lib. 2. Felinus in. c. in nostra. de testib. regia. l. 40. cum sequē. titu. 16. parte tertia.

43 ¶ Postremò testes in crimine heresis dicere debent iterum suum testimonium, non ostēso priori dicto, vt alibi diximus: quamuis regulariter aliud fieri soleat, ne cogantur subire anceps periurium. de quo videri potest Boherius decisioe. 108. Item de testibus, qui contraria vel varia testificantur, ad eundem est Bartol. in. l. eos. de falsis. Felinus in. c. cum in tua. de testibus. Tindarus in tractatu, de testib. variatibus. Demum ille testis suspectus redditur, qui se ingerit. l. quæ omnia §. 1. de procura. Felinus in. c. 2. de testib. Hippolytus in. l. vnus §. seruo. de quæstio. Alia multa de hac materia inuenies in legibus septipartitis. titu. 16. parte. 3. & in legibus fori regij lib. 2. titu. 8. Et vltra ea, quæ in locis vulgaribus scripta sunt; extat iusti tractatus de testibus: quos iam diu ediderunt Barto. Alberi. Lanfrancus, Curtius, Crotus, Oldēdorpius, & quidam alij.

DE TORMENTIS. CAP. LXIII.



LEGANTER Vlpianus in. l. 1. §. quæstioni. de quæstio. scriptum reliquit: quæstioni fidem non semper, nec tamen nunquam habendam. etenim res est fragilis, & periculosa, & quæ veritatem fallat. Nam plerique patientia, siue duritia, ita tormenta contemnunt; vt exprimi ab eis veritas nullo modo possit. Alij tanta sunt impatientia, vt in quouis potius metiri, quam pati tormenta velint. Et ita fit, vt etiam vario modo fateantur: vt non tantum se, verum etiam alios criminantur. hæc ille. Proinde Cicero in partitionibus oratorijs docet, sæpe quæstionibus resistendum esse: quod & dolorem fugientes multi in tormentis ementiti per sæpe sint, morique maluerunt falsum fatendo, quam verè inficiendo dolere. Multi etiam suam vitam neglexerunt, vt eos, qui his chariores

iores, quam ipsi sibi essent, liberarent. Alij autem aut natura corporis, aut consuetudine dolendi, aut metu supplicij, aut mortis, vim tormentorum ptulerunt. Alij ementiti sunt in eos, quos oderunt.

1 ¶ Ad hæc lib. 2. rhetoricæ ad Herennium, contra quæstiones dicit, dolori credi non oportere: quod alius alio sit recentior in dolore, quod ingeniosior ad comminiscendum, quod denique sæpe scire, aut suscipiari possit, quid quæsitur velit audire: quod cum dixerit, intelligat finem sibi doloris futurum. Vbi Zasius in enarratione ex persona defensoris inquit, eis qui torqueantur, credi non oportere, quod extorta veritas laboret: esseque tunc minus tutam, quod varia sint ingenia hominum, varij affectus, varia tolerantia. Esse enim nonnullos constantes in tormentis, more stolorum: qui securi pœnarum, securi cruciatuum, nihilo magis veritatem prodant. Alios esse pœnarum impotentes, qui facile mentiantur, dum esset cruciatus. Hæc & alia eiusmodi & rhetores docent, & oratores dicere solent.

2 ¶ Diuus quoque Augustinus lib. 19. de ciuitate dei. c. 6. verisimè depingens erumnas humanæ vitæ, inter alia inquit, Iudicia hominum de hominibus, quam sunt misera, quam dolenda. Quid cum in sua causa quisque torquetur: & cum quæritur, vtrum sit innocens, cruciatur: & innocens luit pro incerto scelere certissimas pœnas. non quia illud commississe detegitur, sed quia non commississe nescitur: ac per hoc ignorantia iudicis plerunque est calamitas innocentis. Et quod est intolerabilius, cum propterea iudex torqueat accusatum, ne occidat nesciens innocentem, fit per ignorantiam miseriam, vt & tortum, & innocentem occidat: quem ne innocentem occideret, torferat. Et paulò post ait, Hi qui arguuntur, vi doloris plerunque superati, & de se falsa confessi; etiam puniuntur innocetes, cum iam torti fuerint innocetes. Quod etsi non morte puniatur, in ipsis vel ex ipsis tormentis plerunque moriuntur.

3 ¶ Quo loco Ludo. Viues hæc addit, Sic torqueamus homines, ne infontes moriantur, vt magis eorum nos misereat, quam si morerentur, vsque adeo grauiora sunt sæpe tormenta, quam mors. An non frequentes quotidie videmus, qui mortem perpeti malint, quam tormenta, & fateantur fictum crimen de supplicio certi, ne torqueantur?

torqueantur? Mimus quoque ait, etiam innocentes cogit mentiri dolor. & Fran. galindus collega noster in apologia & inuectiua multa notanda collegit contra tormentorum abusus. Sed idē Viues, vir alioqui non indoctus, professionis suæ fines transgressus, bis eodem loco grauiter errat. Primo, iuris ignorātia labitur, non intelligens, cur Cicero pro Deiotaro dixerit, More maiorū de seruo in dominum, ne tormentis quidem queri licet. nam & multis constitutionibus, & iureconsultorum responsis id statutum est. nec enim oportet salutem dominorum, seruorum arbitrio committi. l. vnus §. seruo. de quæstio.

4 ¶ Alter eiusdem error intolerabilior est, quod vniuersum tormentorum vsum improbat, atque condemnat: dicens, tyrannicum esse inuentum: charitati & mansuetudini christianæ, sed & omni etiam humanitati contrarium. Addit in super hoc vtile non esse, & sine damno rerum publicarum tolli posse. Præterea multas esse gentes, & quidem barbaras, quæ ferum & immane arbitrantur, torqueri hominem, de cuius facinore dubitatur. Profecto, inquit, carnifices animos habemus: qui sustinere possumus gemitus & lachrymas tanto cum dolore expressas hominis, quem nescimus, sit ne nocēs. Quid, quod acerbam & perquam iniquam legem sinimus in capita nostra dominari: quum suspitiones tormentis armamus, & inimicis delationibus? Et tādē fortissima esse ait, quæcunque rhetores contra tormenta dicunt: quæ verò pro tormentis, fūtilia, & imbecilla. Vide Aristotelem rhetoricæ ad Alexandrum cap. de quæstione.

5 ¶ Sed quicquid homo, in vmbra & otio educatus, licentiosè tentauerit, leges tamen, quæ de reistorqueendis iustissimè latae sunt, facile ab eius calumnijs & cauillatiōibus defendi possunt. Quas nec ipse Augustinus improbat: qui loco superscripto ingenuè fatetur, eas leges ciuitatibus in quantalibet pace manentibus deesse non posse: nec iudicē sapientem ab his abstinere debere. Quippe cum constringat eum humana societas, quam deserere nefas ducit: cui quidem prodesse intendit, ne crimina sint impunita. Nec facit hæc nocendi voluntate, sed necessitate nesciendi: & tamen quia cogit humana societas, necessitate etiam iudicandi.

Hæc

Hæc est sententia, & hæc sunt verba diuini patris, cuius Ludo. Viues scholiastem se esse profiteretur. Quæ quidem non solis gentilibus, & de gentilibus, vt ille opinatur: sed in vniuersum omnibus, ac de omnibus etiā christianis dicta fuisse, quiuis facillè intelliget.

6 ¶ Adhæc Eusebius pontifex ad episcopos Galliaë scribens, inquit, Veritatē diuersis cruciatibus è latebris suis religiosus tortor exigere debet: vt dum pœnis corpora subiiciuntur, quæ gesta sunt fideliter, & veraciter exquirantur. c. pen. 5. q. 5. Præterea vigent hodie, semperque receptæ sunt in christiana republica prudentissimæ leges, de torquendis reis, à viris sapientissimis, & vsu rerum publicarum peritissimis, non à gentibus barbaris conditæ. Nec rhetores ipsi tormenta rejiciunt: sed pro quæstionibus æquè, atque contra quæstiones dicere docent. Sed & Cicero ille rhetorum & oratorum princeps in topicis inquit, Facit etiam necessitas fidē: quæ tum à corporibus, tum ab animis nascitur. Nam & verberibus torti, & igne fatigati, quæ dicunt, ea videtur veritas ipsa dicere. Nec abhorret hoc à vera iustitia, sicuti docet Ioan. maio. in lib. 4. sententia. dist. 15. quæst. 22. & Siluester in summa. verbo, inquitio. 2. §. 9. Neque quispiam denique est rerum forensium vel tenuiter gnarus, qui non planè intelligat, vix vllum criminale iudicium absque tormentis rectè tractari, aut peragi posse.

7 ¶ Est autem frequens tormentorum vsus in foro iudicum sanctæ inquisitionis, nec id iniuria fit. prodesse nanque solet ad reuelandum spiritualibus medicis vulnus perfidiæ mortiferum, & lethale venenum latens in heretici pectore. Nam si Paulus tradidit Corinthium satanæ in interitum carnis, vt spiritus eius saluus fieret: non debet videri absurdum, si corpore torqueatur hæreticus, vt crimen confessus, conuertatur, & viuat. Adde, quod in his criminibus occultis pronior esse debet iudex ad tormenta, vt ait Baldus in. l. nemo. C. de episcopa. audien. Alexan. consil. 77. lib. 1. Decius. consil. 363. Alber. Bru. quæst. 8. Thom. grama. vo. 30. Ludo. care. in practica. nu. 183. Cuius ea ratio vrgens est, quod plerūque in his criminibus facultas probationis deesse solet: vnde fit, vt veritas aliter erui non possit: quo casu facilius ad quæstionem veniēdū est. l. diuus pius: de quæstio. l. verba. C. de adulter. l. nō omnes. §. à barbaris.

§ à barbaris. de re milita. Alexan. lib. 2. consil. 53. Corneus consil. 171. lib. 2. Gratus consil. 59. lib. 2. Aymo consil. 178. Hippolytus in rubrica de probatio. nu. 11. & iterum nu. 315.

8 ¶ Sed ante omnia animaduertere oportet, non esse à quæstionibus incipiendum: sed ita demum ad cas veniendum esse, cum suspectus est reus: & alijs argumentis ita vrgetur, vt sola eius confessio deesse videatur. l. 1. in princi. de quæstio. Requiritur itaque indicia iusta, vt quispiam torqueri possit. Quæ, cum ex varijs circumstantijs personarum, rerum, temporum, & locorum oriantur; certa quadam regula comprehendendi, aut præscribi nequeunt, sed necessariò relinquuntur arbitrio & prudentiæ iudicum, vt re cte docuit Bar. in l. vltima. nume. 5. de quæstio. Quem communiter sequuntur cæteri, vt est apud Hippolytum in practica § diligenter. & similiter apud Ludo. care. nu. 107. Sed quamuis hæc ita se habeant; non ideo potest iudex leuiter moueri ad torquendum: sed talia esse debent indicia, quæ iure probentur. vt Bal. Roma. Alex. Feli. & alij tradunt. Quos ibidem referunt, & sequuntur Hippolytus & Carerius.

9 ¶ Similiter arbitrarium est, an vnum indicium sufficiat, vel plura requirantur ad torquendum, vt Barto. ait in l. maritus. de quæstio. Angel. de maleficijs. parte, fama publica. col. 3. Paris de syndicatu. verbo, tortura. & post multos alios Hippoly. & Carerius. nu. 109. Nam aliqua sunt indicia violèta & indubitata, quorum vnũ sufficere potest. Dicitur autem indicium indubitatum, demonstratio rei per signa sufficientia: per quæ animus in aliquo, tanquã in existète, quiescit. Ita diffinit Bal. in l. ea quidè. C. de accusatio. col. 2. vbi etiam inquit, Dubitatum & semiplenum indicium est, præsumptio fortiter mouens animum iudicis ad aliquid credendum, vel contra. Sequuntur Angel. Gandi. Grillandus. & ingens agmen. Vide. Ludo. care. in practica. nu. 105.

10 ¶ Pòterit igitur iudex reum torquere ex violentis & probabilibus indicijs, iuxta doctrinam Bartoli. in l. vltim. de quæstio. nu. 5. Quam illic alij sequuntur. & Corneus consil. 101. lib. 2. Soci. consil. 54. lib. 3. Hippoly. consil. 44. Boherius. decisione. 166. Aymo consil. 6. & iterum consil. 99. Confert regia. l. 26. tit. 1. parte. 7. Regulariter

gulariter tamen ex solis indicijs non violentis nemo torquendus est: quia talia indicia minus valent, quàm semiplena probatio, vt ait glosa vulgaris, & approbata. in l. cum probatio. de probatio.

11 ¶ Sed vt iudex ad torquendum ex indicijs moueri queat, necesse est, vt vnum quodque indiciorum plenè probetur, saltè per duos testes, vt docet glosa ordinaria, & vulgo recepta. l. vlti. C. famil. hercis. Innocen. in c. sicut. de simo. Barto. & cæteri. in l. vltim. de quæstio. Iason in l. admonendi. de iurciuran. col. 94. Hippoly. in l. 1. § idem cornelio. de quæstio. & in practica § diligenter. Gratus consil. 45. lib. 2. Angel. Paris, Brunus, Tho. grām. & alij multi relati per Carerium in practica. nu. 106.

12 ¶ Sunt autem in hac materia quædam propositiones receptæ cõmuniter, quas breuiter hic subnectemus. Prima est huiusmodi, Ex testimonio vnus hominis, qui sit omni exceptione maior, potest reus ille torqueri, qui non est aliàs bonæ famæ. Quòd si alia quoque indicia concurrant, etiam si reus bonæ famæ sit, torqueri poterit. hoc docet glosa. in l. 3. C. ad leg. iul. maiesta. Quæ sic declarata, cõmuniter approbatur teste Guil. benedicto. in c. rainutius. de testamen. parte, adiectæ impuberi. nu. 34. Sequuntur Bar. & cæteri in l. maritus. de quæstio. Signorol. consil. 237. Alex. consil. 180. lib. 2. Hippoly. consil. 65. Boherius decisione. 163. Gandi. Salice. Ang. Brunus, Cepola, Tho. grāma. Capicius, & alij, quos refert Ludo. care. in practica. nu. 110.

13 ¶ Et nominatim in causa hæresis, quòd vnus testis ad torquendum sufficiat, asserunt Matthe. Cardina. & Ioan. imolen. in clem. 1. de hæreti. & Squillacen. tracta. de fide. catho. cap. 31. Hoc amplius generaliter decretum est in prima instructione hispalensi cap. 15. quòd vbicunque fuerit hæresis semiplenè probata, reus torqueri possit. vnus autem testis semiplenè probat. glosa recepta in l. in bonæ fidei. C. de rebus. credi. l. admonendi. de iureiuran. vbi tamen multipliciter id limitant interpretes, præcipuè Iason in lectura. col. 25. & in repetitiõ. col. 87. Currius iunior. nu. 51. Ripa. nu. 175. Extat quoque regiæ leges, quæ ad vnus testimonium reu torquere permittunt, si modo infamatus alioqui sit reus, & infimæ fortis. l. 10. tit. 11. parte. 3. & l. 3. tit. 30. parte. 7. Sed tamen opus non

non est, vt ea omnia simul concurrāt: vnus enim testis sufficit, iuxta distinctionem suprascriptam. Quinimo ex confessione socij criminis, accedentibus cōiecturis verisimilibus, reus hæresis torqueri poterit, vt rectè Bal. respondit consil. 95. lib. 1. & rursus. consil. 79. lib. 3. Sequitur Ponzinibius tractatu de lamijs. nu. 88. Vide Ludo. care. in practica. nu. 122.

14 ¶ Ex ante dicta regula infertur, quòd vbi fama semiplenè probat propter illam reus torqueri potest, quod tamen vix vnquam admittendum est. nam etsi rhetores in causa coniecturali pro rumoribus dicere soleant: non temerè nasci famā, quin subit aliquid. Et ex philosophi sentētia, populi vocem non omnino esse deperditam. Et diuus Petrus apud Clementem lib. 3. recognitionū ait: sæpe etiā fama vulgi prophetiæ speciē tenet. Fabius quoque lib. 5. c. 3. docet, ab accusatore rumorem stabiliri posse, quasi cōsensum ciuitatis, & velut publicū testimoniū. & fama in ciuilibus sæpe semiplenè probat: interdum etiā in rebus antiquis plenā fidem facit. testis Fulgosius consil. 145. Alex. consil. 103. lib. 7. Corneus cōsil. 222. lib. 1. Curtius senior cōsil. 82. Decius consil. 428. & in criminalibus non nunquam nocere soleat. c. 1. §. si iudex. de pace tenen. & eius viola. lib. feudorum. Abulen. Exodi. 23. quæst. 2.

15 ¶ Nihilominus tamen verius est, famam in criminalibus perquā rarò semiplenè probare: vel ad torquendum reum eam solam sufficere posse. Quia vt eodem suprascripto loco rhetores tradunt: multi sunt falsi rumores à maleuolis & maledicis conficti. quiuis enim potest turpem de quolibet rumorem proferre, & confictam fabulam dissipare. Sed & temerè conflare solent ea, quæ ex rumoribus sparguntur, sine certo autore, sine radice veritatis; quibus plerunque malignitas initium dat, credulitas incrementum. Fama malum plurimum mendax, quæ ne tunc quidem, cū aliquid veri affert, sine mendacij vitio est, detrahens, adijciens, demutans de veritate. Quid, quod ea illi conditio est, vt non, nisi cū mentitur, perseueret, & tandiu viuit, quandiu non probat. Fama incerti est, cui nemo credit, nisi inconsideratus. quia sapiens non credit incerto. Sæpe mendacium ab vno seminatur, aut ingenio emulationis, aut arbitrio suspicionis, aut ingenita metiendi voluntate.

vt elegāter Tertullianus in apologetico cap. 8. scriptum reliquit. Non igitur vires habet fama ad torquendum hominem: nisi fortè ille vilis & suspectus fuerit: & fama originem habuerit à personis honestis & fide dignis. Quibus simul cōcurrentibus, aliquā dolicebit reum torquere, vt post Gandinum, & Angelum, tradūt Hippolytus, & Care. ille in. l. de minore §. plurimū. de quæstio. hic verò in practica. nu. 111. Et in hac specie exaudiēda est regia. l. 3. titu. 30. parte. 7. quæ propter famam tormenta permittit.

16 ¶ Adde, quòd origo talis fame probari debet per testes idoneos: vt rectè censuit Aymo consil. 41. nec sufficit, si testis dicat, hanc vel illam esse publicam famam: nisi & rationem addiderit, qua concludat se id legitimè scire, iuxta doctrinam Bartoli receptam in. l. de minore §. plurimum. de quæstio. nu. 21. Quam testatur communiter approbatam Alex. consil. 35. lib. 7. Præterea fama non solet vicem testium habere, sed tantum denunciatoris: idque tunc demum, cum originem habet à viris prouidis, & honestis. c. qualliter. 2. de accusatio. Adhæc testis, qui de fama testimonium perhibet, de auditu testificatur: & ab his se audiuisse dicit, qui nō iurati loquebantur, ac proinde nil ferè certi concludere solet: vnde parum, aut nihil præiudicare debet. l. iurisiurandi. & glosa in. l. testium. C. de testib. Lucas de penna in. l. tribuni. C. de re milit. lib. 12. Anchara. consil. 253. Vide Alciatū lib. 1. parergoniuris cap. 6. Iasonem in repeti. l. admonēdi. de iureiuran. col. 109. & interpretes in. c. veniens. 1. de testibus.

17 ¶ His accedit, quod inquit Poeta, Fama malum, quo non aliud velocius vllum, Mobilitate viget, viresque acquirit eundo. Quintus quoque Curtius lib. 9. historiæ Alexandrinæ ait, Nunquam ad liquidum fama perducitur: sed falsis mixta, omnia illa tradente maiora sunt vero. Ad extremum fama ex populi vocibus plerūque falsis fouetur & crescit. Vanæ autem voces populi nō sunt audiendæ, nec eis credi oportet. Quoniam aut noxium crimine absolui, aut innocentem condemnari desiderant. l. decurionum. C. de pœnis. Quapropter ille perperam censetur electus, qui ad clamorem populi electus fuit. l. si cōstat. de appellatio. c. 2. de electio. vbi videri potest Decius. nu. 7. Lucas in. l. 1. C. de imponenda lucrati

lucrati. descript. lib. 10. Guil. benedict. in. c. rainutius. de testa. parte, mortuo. i. nu. 191.

18 ¶ Et generaliter, verè que Cicero ait, non esse rationem in vulgo, non consilium, no discrimen, non diligentiam. Et Othanes Persa inquit, populari multitudine nil esse insolentius, nil insipientius, proprium que plebi nil intelligere: sed ad res obeundas sine consilio præcipites ruere. Demosthenes quoque populum malā bestiam vocat. Et Plato atque Horatius hunc beluam multorum capitum nominat. Et Phalaris ad Aegēsippum scribens, Populus omnis, inquit, temerarius est, demens, desidiosus, perfidus, incertus, velox, proditor, fraudulentus, ad iram & laudem facilis. Est enim plebs errorum princeps, & prauarum consuetudinum magistra: cuius mores incōstantissimi: semper noua cupiens, laudans præterita, odiens præsentia. Quibus consentanea tradit Fabius declamatione. 18. Seneca epistola. 29. & alij multi, vt mirū videri non debeat, si populi fama, eiusque rumores non magni momenti censeantur ad torquendum hominem: præcipuè si is alioqui sit vitæ inculpatæ.

19 ¶ Est & alia propositio in hac materia, qua plerique aiunt, Fugā post crimen commissum, & ante accusationem, sufficere ad torquendum reum. quia tunc semiplenè probat, vt sentit glosa in. l. in bonæ fidei. C. de rebus credi. & in. l. admonendi. de iureiuran. & hanc testatur communiter approbatam opinionem Ripa illic nu. 168. Sed cum reus fugit post criminis accusationem, tunc leuiore præsumptiōe vrgetur. Hec fuit sentētia Bartoli in. l. 1. de bonis eorum. quam posuit Oldra. consil. 65. Iason in dicta. l. admonendi. col. 24. & in repeti. col. 85. Decius cōsil. 234. Boherius decisione. 215. Ripa loco supra scripto. & prolixius Carerius in practica nu. 112. Sed quia ex varijs circumstantijs maior, minorue suspitio colligi potest: quod necessariò relinquere debet arbitrio iudicis: & quia hoc in crimine hæresis perquam rarò contingit, ideo amplius non immorabimur.

20 ¶ Vacillatio quoque cum periurio & mendacio, & cum alijs indicijs, est causa sufficiens ad torquendum reum, & etiam testem in graui causa criminali vacillantem. l. ex libero. de quæstio. regia l. penul.

l. penul. titu. 30. parte. 7. Bar. & cæteri in. l. de minore & plurimū. & in. l. vlti. de quæst. Lucas de pēna in. l. penul. C. de dignita. lib. 12. Alex. consil. 63. lib. 1. Hippolytus in practica & diligēter. nu. 74. Bal. Angel. Roma. Felinus, & alij sexcenti relati per Carerium in practica. nu. 119.

21 ¶ Item hæc propositio recepta est, Confessio criminis extra iudicium facta, & semiplenè probat, & sufficit ad torquendum reū: sed est plenè probanda, saltem duobus testibus. l. vlti. de interroga. actio. glo. Bar. Alex. & reliqui in. l. capite quinto. de adulterijs. Bar. & Iason in repetitio. col. 77. in. l. admonēdi. de iureiurā. Corneus consil. 63. lib. 1. Bartolus, & alij in. l. vlti. de quæst. Alex. cōsil. 85. lib. 7. Abbas & posteriores in. c. at si clerici. de iudicijs. Felinus in. c. de hoc. de simo. Hippolytus in. l. de minore. de quæst. nu. 5. Bal. Angel. Paris. Roma. Salicet. & ingens agmē. vide Carerium in practica. nu. 121. Cui non credas post Bal. & quosdam alios dicenti sufficere, quòd talis confessio reuocetur prætextu erroris, quāuis error non probetur: quia non sufficit allegare defensionem, nisi ea probetur. l. prima. & illic notatur. si quadru. pauper. fecidica. Item quia iam est præsumptio non leuis contra confessum: quo casu onere probationis grauatur, iuxta doctrinam Bar. in. l. Aurelius. §. idem quæst. de liberatio. lega. Quam asserit cōmuniter approbatā Gratus cōsil. 93. lib. 1. cui adde Alexā. cōsil. 30. lib. 7. Corneū cōsil. 305. lib. 3. hippoly. cōsil. 136. Boheriū decisione. 164.

22 ¶ Sunt etiam alia indicia, quæ interdum non leuiter vrgerent: qualia sunt, titubatio, permutatio coloris, oratio inconstans, tremor, si preparatum aliquid, si communicatum cum aliquo, si postea visum, auditū, indicatum. Quæ Cicero in partitionibus annotauit. & iterum lib. 2. rhetoricæ ad Herennium, in causa coniecturali instruit accusatorem, vt dicat aduersarium, cum ad eum ventum fuit, erubuisse, expalluisse, titubasse, incōstāter loquutū esse, cōcidisse, pollicitū esse aliquid, quæ signa inquit, cōsciētis sūt. & si reus horū nil fecerit, accusator dicet, eum vsque adeo præmeditatum fuisse, quid sibi esset vsu venturū: vt confidentissimè cōsisteret, & respōderet. Quæ signa sunt cōfidentiæ, nō innocētiæ. hætenus ille. Quem locum enarrans Zasius addit, inspiciendum esse, an sese absconderit

sconderit, an latitauerit: quæ est firma coniectura in iure ciuili. l. fulcinius. ex quib. caus. maio.

23 ¶ In sacris quoque literis quædam his consona traduntur, quale est illud Ecclesiastici. 13. Cor hominis immutat faciem illius, siue in bono, siue in malo. Et prouerbiorū. c. 10. Pauor his, qui operantur malum. & c. 28. Fugit impius, nemine persequente. Et sapientię. 4. Venient in cogitationem peccatorum suorum timidi, & traduent illos ex aduerso iniquitates ipsorum. & c. 17. Cum sit timida nequitia, testimoniū dat condēnationis: semper enim præsumit sæua perturbata conscientia. & Iob. 15. Sonitus terroris semper in auribus impij: & cū pax sit, ille in fidiā suspicatur. Sic etiam primi parentes, vbi præuaricati sunt, timuerunt, & absconderunt se à facie domini. Genesis. c. 3. Vide Chryostomum super Genesim homilia. 20. col. 4. & rursus in actis apostolorum homilia. 47. ad finē. Gregorium. lib. 12. in Iob. c. 19. Plutarchum de tranquillitate animi prope finem. & rursus libro de fera numinis vindicta, ante dimidium operis.

24 ¶ Sed & Iuuenalis satyra. 13. inquit. Quos diri conscia facti, mēs habet attonitos, & furdo verberē cædit, Occultum quatiente animo tortore flagellum. Et alius ait, O quàm difficile est, crimen nō prodere vultu. Prædicta igitur indicio esse solent, vt qui talia faciunt, crimen commississe præsumantur. Quod Barto. & Hippoly. tradunt in. l. vlti. de quæstio. Angel. Bal. Lucas, & alij. Sed hæc sola non faciunt plenum indicium ad torquendum reum, nisi alia quoque simul concurrant. Quia prædicta signa interdum contingūt propter pusillanimitatē, & periculi magnitudinē. Quod non latuit Ciceronē, qui loco supra scripto defensorem instruit, inquit. Defensor si pertimuerit reus, magnitudine periculi, nō cōsciētia peccati, cōmotū esse dicet. Si nō pertimuerit, fretum in cōcētia, negabit esse cōmotū. Vera itaque ac recepta sentētia est, quòd sola prædicta indicia nō sufficiūt, vt reus torqueri possit. Et ita cōcludit Lucas de pen. in. l. quoties. C. de dignita. lib. 12. Paris puteus de syndicato. verbo, tortura. 1. Tho. grāma. voto. 30. Augustinus. Hippo. Brun. & qui eos refert Careri. in practica. nu. 120.

25 ¶ Ex ante dictis manifestè relinquitur, iudicem adesse debere tormentis

mentis, vt & reum interroget, & signa illa prudenter consideret. Quia plurimum in excutienda veritate, etiam vox ipsa, & cognitionis subtilis diligētia affert. Nam ex sermone, & ex eo, qua quis constantia, qua trepidatione, quid diceret, quædam ad illuminandam veritatem in lucem emergunt. l. de minore & plurimum. de quæstio. Proinde inquisitores præsentēs esse debent, dum rei torquentur. nec possunt hoc alijs committere, nisi fortè fuerint valde occupati: quo casu permittitur eis, vt per viros bonos & peritos hoc faciant. prima instructione Hispalensi. cap. 18. Cæterum quæ occupatio iusta esse queat, vt saltem in aliud tempus tormenta nō differantur; nō sanè dispicio. res enim tanti momenti nulli committenda videtur.

26 ¶ In hoc autem crimine torqueri possunt minores, aut saltem terri, & habena, vel ferula cædi. l. 1. & impuberi. & l. excipiuntur. ad Sillania. l. de minore. de quæstio. & illic notat Hippolytus. Itē torqueri possunt in causa heresis, quicumque torquentur in crimine læsæ maiestatis: putā doctores, decuriones, milites, & alij omnes, qui nobilitatis, vel dignitatis prærogatiua in cæteris criminibus torqueri nequeunt. l. nullus. C. ad leg. iul. maiesta. Quia longè grauius est, diuinam, quàm humanam lædere maiestatem. authen. gazaros. C. de hæreti. Et ita asserunt Gandinus, Angelus, Brunus, Grillandus, & qui eos referunt Hippolytus in. l. edictū. de quæstio. & in practica & expedita. Carerius de hæreti. nu. 117. & in practica. nu. 180.

27 ¶ Clerici quoque torqueri possunt: quando quidem in alijs leuioribus criminibus torquentur. cap. 1. & illic notant interpretes. de deposito. Id tamen fieri nō debet, nisi clericus fuerit alioqui diffamatus: quamuis contra illum adsint indicia multa. Hæc est communis opinio in dicto. cap. 1. quam sequuntur Ioan. Andr. Anchara. Alexan. Paris, Felinus in cap. veniens. de testibus. Hippolytus in practica & nunc videndum. Tho. gramma. voto. 11. Ias. in l. magistratibus. de iurisditio. omni. iudi. Ioan. Bernar. in practica. c. 17. Bohe. de cisione. 163. Carerius in practica. numero. 161. & iterū. nu. 180. vbi alios etiā referūt eiusdē opiniōis, quæ cōmunis est.

28 ¶ Sed ea opinio quantumuis à pluribus approbata, meo tamen

- iudicio sequenda nō est: quia nullo iure aut ratione probatur: & quia plus operantur legitima indicia, quā diffamatio. l. vlti. de quæstio. Præterea ex indicijs oritur diffamatio. cap. super eo. de eo qui cognouit. confan. vxor. suæ. Deinde indicia faciunt notoriū iudici. cap. cum olim. de verbo. signifi. Nec in his criminibus, quæ perpetrari solent occultè, opus est, vt diffamatio præcedat: nec vrgentia & legitima indicia indigent aliqua diffamatione. Hæc referē script. Alciatus in. c. 1. de offi. ordina. nu. 43. cui subscribo.
- 29 ¶ Quamuis autem hæc sententia vera sit, mihi minus tamen hoc obseruandum censeo, vt clerici leuius, & rarius torqueantur, præcipuè presbyteri. tum propter periculum excommunicationis, si fortè modus excedatur. quod annotant Hugo. Ioan. de fan. Archidiaconus, & qui eos refert Præpositus in. cap. illi qui. col. 1. in fine. §. quæst. 5. Siluester in summa. verbo, inquisitio. 2. §. 9. tū etiā, quia sacerdotalis dignitas semper & vbiq̄ veneranda est, vt eleganter docet Chrysostomus, libris de sacerdotio. & Echius homilia. 59. de sacramentis. Præterea clerici torqueri non debent per ministrum laicum, sicuti plerique aiunt in. cap. vt famæ. & in. c. vniuersitatis. de senten. excommunicā. qui tamen fatentur, consuetudinem receptam esse in contrarium. Quæ quidem tunc in trepidè obseruabitur, cum non inueniuntur clerici, qui sciāt, aut velint id facere: alioqui frustra iudices decernerent, clericum aliquem esse torquendum: vt rectè animaduertit Præpositus in prædicto. cap. illi qui. ad finem.
- 30 ¶ Præterea si plures eiusdem criminis socij credantur; iudex à suspèctissimo incipere debet, & à quo facillimè verū sciri, & manifestari posse verisimilius sit. l. 1. §. 1. de quæstio. & ab eo, qui alijs deterior fuerit. regia. l. 5. titu. 30. parte. 7. Item à debiliore, atque timidiore: à foemina, prius quā ab homine. Anchara. consil. 285. Item à iuniore. l. vnius. de quæstio. & prædicta. l. regia. Item ab eo, qui alias erat malæ vitæ, cōditionis, & famæ. Salice. in. l. vlti. C. de quæstio. Hæc & alia his cōsentanea docet Baldus in. l. 1. de quæst. Angelus de maleficijs. parte, fama publica. Gādi. Bonifa. & Brun. de indicijs. quæstio. quinta. Paris de syndicatu. verbo, tortura. Hippolytus in practica §. expedita. & similiter Carerius. nu. 185.
- Sunt

- 31 ¶ Sunt verò inferenda tormenta recto iudicis arbitrio: ita tamē, ne in ipsis, vel ex ipsis tormentis reus moriatur: sed potius saluus sit, vel innocentia, vel supplicio. tormenta enim habenda sunt, non quanta accusator postulat, sed vt moderatæ rationis temperamēta desiderant. l. quæstionis modum. l. de minore §. tormenta. de quæstio. Augustus quoque Cæsar in hunc modum edixit, Quæstiones neque semper, neque in omni causa, & persona desiderari debere arbitror: sed cum capitalia & atrociora maleficia non aliter inuestigari, & explorari possunt, quā per seruorū quæstiones: quas & efficacissimas esse ad inquirendam veritatem existimo, & habendas censeo. l. edictum. de quæstio.
- 32 ¶ Ex his locis iuris interpretes colligūt, in torquendis reis multa consideranda esse. scilicet, qualitatem personarum, criminum, & indiciorum. Nam aliter torquendi sunt serui, quā liberi: robusti, quā debiliores: iuuenes, quā senes: humiles, quā honestiores. hi enim torqueri leuius, illi durius debent. In criminibus quoque atrocioribus grauius, quā in leuioribus, tormenta sunt habenda. Demum indicia maiora tormentis maioribus purgari debent, vt rectè monuit Baldus in. c. 1. §. si vassallus. de controuersia inuestitu. lib. feudo. & Gonsalus noster, tractatu de hæreticis. quæst. 13. sunt etenim tormenta inuenta nedū ad inuestigandam veritatem, sed etiam ad pœnam culpæ, ex indicijs prouenientis, purgandam. l. decuriones. C. de quæstio. regia. l. 4. titu. 30. parte. 7. Vnde cum leuia sunt indicia, sufficit reum comminatione tormentorum terrere. Plura de his prolixius tractat Gandinus, Paris, Angelus, Bonifacius, Brunus, Grillandus, Hippolytus, & Carerius in practica. nu. 186.
- 33 ¶ Quamuis autem in nonnullis regnis suspecti publicè torqueantur; in Hispania tamen lege regia cauetur, ne quispiam tormentis adsit, præter iudices, notarium, atque tortores. l. 3. titu. 30. parte. 7. quod & Bartolus docuit in. l. custodias. de publi. iudi. idque prudentius esse puto, quā quod palam fiat: ne vel circumstantium pudore, vel aduocatorum fauore, vel teneriorum commiseratione, reus aut verū celet, aut falsū cōfiteatur. Præterea in hoc iudicio inquisitorū occultius id fieri debet, ipsis etiam tortoribus
- F iij iuramento

iuramento astrictis, ut secretum seruent. Qui eligi quoque debent tales, ne genere, aut vita suspecti sint. Demum alij rei, & precipue socij criminis, audire non debent, quod hi qui torquentur, fatentur, aut negant. regia. l. 5. titu. 30. parte. 7.

34 ¶ Item illud notandum est, quod nemo torqueri debet, nisi præcedant legitima indicia. l. 3. & l. milites. C. de quæstio. quod si factus fuerit: & iudex in findicatu tenebitur, & confessio illicitè extorta, quamuis ratificata sit, nil reo nocbit. glosa. & commentatores. in. l. penul. de quæstio. Canonistæ in cap. cum in contemplatione. de regul. iuris. Alexan. consil. 1. lib. 3. Gandinus, Angel. Brunus, Paris, & cæteri. Quod ampliatur, ut procedat, etiam in grauioribus criminibus. glosa & interpretes in. l. si quis alicui. C. ad leg. iul. maiesta. Ampliatur quoque alijs modis per Careriũ post reliquos in practica nu. 181.

35 ¶ Nec satis est, quod legitima indicia quæstionem præcedant, nisi & eorum copia reo detur cum termino ad probandam suam innocentiam. Bartol. & cæteri. in. l. vnus. de quæstio. & post Bal. Paridem, & alios, Brunus de indicijs. quæst. 5. Grillandus de quæstio. quæst. 3. alioqui & si reus confiteatur, damnari non debet. Angel. de maleficijs. parte. fama publica. Brunus de indicijs. parte. 1. col. 2. Carerius post plures in practica. nu. 188. & hoc est de mente omnium iuris peritorum. Quibus accedit insignis theologus Dominicus foto. lib. de ratione tegendi secretum. memb. 3. quæst. 1. conclusion. 5. addita ratione: quia quicquid ex iniuria iudicis manat, iniustũ est, iniustitia etenim causæ permanet in effectu. ergo si cõfessio est illicitè extorta, quassanda, & irritanda venit, tanquam actus iniustus.

36 ¶ Quod si quis fuerit legitimè tortus: & negauerit, ac tormenta vicerit; purgat præcedentia indicia, & à carcere liberandus est. Barto. in. l. vlti. & Alberi. in. l. edictum. de quæstio. Angelus in dicta parte. fama publica nume. 119. Gandinus titu. de quæstio. & tormentis. numero. 21. Bonifacius titu. quibus causis quis possit torqueri. nu. 13. Hippoly. consil. 64. & in. l. repeti. de quæstio. nu. 23. Boherius decisioe. 163. Aymo cõsil. 168. Paris, Salicetus, Cepola, Tho. grãma. cõsil. 64. Ioã. de arno. & Carerius, qui alios refert

in

in practica nume. 160. Et rursus nu. 202. vbi ait communiter obseruari, quod talis reus sub fideiussoribus relaxetur. iustius tamè est, quod in totum absoluat, ut prædicti ferè omnes volunt. & nominatim deciditur in regia. l. 4. titu. 30. parte. 7.

37 ¶ Sed prædicta locum non habent in his casibus, in quibus licet repetere quæstionem: tunc enim reus non liberatur, donec iterũ tortus tormenta vincat. Sunt autem hi casus, si reus euidentioribus argumentis opprimatur: si noua indicia supueniant: si in tormenta corpus animusque durauerit: si crimen sit atrocissimum, & indicia euidentiora: si reus fuerit leuiter fatigatus, & parũ tortus. l. repeti. & l. vnus. §. 1. de quæstio. vbi quædam ex his addunt Bar. & cæteri. & in c. cum in cõtemplatione. de regul. iuris. & sæpe alibi. quæ omnia ferè decisa sunt regia. l. 4. titu. 30. parte. 7. Sed in hoc sicut in plerisque alijs criminalibus actis plurimum potest rectũ iudicis arbitriũ: dũ tamen legibus, & moderata ratione tormenta temperet, semperque in partem benigniorem declinet.

38 ¶ Torquentur quoque interdũ homines in caput alienum, hoc est, ut mandatorè, aut socium criminis manifestent. l. & si certus. ad fillania. Quod non passim fieri debet: sed tunc demũ, cum testis vacillat, vel alioqui vilis & suspectus est: quibus casibus leuius, meo iudicio, torquendi sunt: quia de facto alieno ferè interrogantur, & propter alterius crimen maiori ex parte affliguntur. Nec propter hanc, vel illas causas tormenta sæpius repeti debent: sed sufficit bis hominè torquere, ut apertè significatur prædicta regia. l. 4. tit. 30. parte. 7. Proinde iniustissimũ illud cenfeo, quod Valerius retulit lib. 8. c. de quæstio. narrans, quendam Alexadrũ feruum Faniij, semper in tormentis negasse, se affinem fuisse morti Cnei Fuluij equitis romani: & tandem septies tortus, damnatus est, ac si confessus fuisset. vbi quis non videt multa præterius & æquum facta? Vide Carerium in practica. nu. 189. referentem ferè omnes, qui de repetendis tormentis scripserunt.

39 ¶ Hoc insuper notandum est: quod ex cõfessione tormētis extorta, nemo damnandus est, nisi postea in eadẽ perseuerauerit. pessimum enim est de suspitione, aut extorta cõfessione quæquã iudicare, ut Alexáder Papa scripsit in. c. 1. 15. quæst. 6. tradũt glosa, &

F iij cõmentatores

commentatores in. l. 1. §. diuus Seuerus. de quaestio. & est nuncupatum decisum regia. l. 7. titu. 29. parte. 7. Quod ampliatur vt procedat, etiã si confessio in tormentis iuramento confirmetur: quia eodem dolore ac metu pariter vtrumque laborat. Nec seruanda est consuetudo contraria, quæ potius dicenda est corruptela, dira, seua, crudelis, & ab omni ratione, atque humanitate aliena. vide Carerium, qui ad nauseam vsque alios referendo diffunditur, in practica nu. 172. & iterum nu. 196.

40 ¶ Idem iuris prorsus est in confessione extorta metu instantiu tormentorum, hæc enim paria sunt. l. nouissimè. quod falso. tuto. vbi Vlpianus æquiparat, si quispiam compulsus, aut metu ne compelleretur, aliquid fecerit. & alibi legislator in ualidam censet confessionem illius, qui formidine tormentorum territus, contra se aliquid dixerit in. l. 2. C. quoru appellatio. non recipian. Dicitur autem confessio extorta metu tormentorum, quu reus trahitur in eum locum, vbi torqueri solent alij: & illic vestibus spoliatur, aut ligatur, aut alias à iudice minis presentium tormentorum terretur: talis enim confessio, nisi ratificetur, non sufficit ad condemnationem. Et ita respondit Anchara. consil. 88. Decius consil. 100. Hippolytus consil. 18. Ripa in cap. cum. m. ferrariensis. de constitutio. nu. 179. Gandinus, Angelus, Paris, Brunus, & alij, quos retulit Carerius in practica. nu. 173.

41 ¶ Sed quidam putant, interdum necessariam non esse ratificationem talis confessionis. puta, si precessit confessio extraiudicialis, maximè geminata: vel si precesserunt indicia indubitata, tunc enim aiunt, confessionem tormentis extortam irreuocabilem esse, ac plenè præiudicare, nulla expectata ratihabitione. Hæc fuit opinio, quam nullo iure, vel vrgenti ratione, astruit Paris lib. de syndicato. versu. an stetetur dicto torti. Quem pari facilitate sequuntur Hippolytus in practica §. quoniam. & in alijs locis. & Ioanes arno. singula. 93. & Carerius in practica. nu. 173. post Iasonem in. l. magistratibus. de iurisdic. omni. iudi. Horum tamen opinatio falsa mihi & perquam dura videtur: quia non ideo minus violenta & inuoluntaria confessio eiusmodi est, si præcedat confessio extraiudicialis, vel indubitatum indicium, quam si propter
alias

alias causas præcedentes, tormentis extorta fuerit. vtrobiue igitur poterit reuocari.

42 ¶ Necessarium itaque est, vt confessio tormentis elicitæ, postea ratificetur. quod fieri debet coram iudice, notario, & testibus. idque postquã dolor cessauerit: quod iudicis arbitrio reliquitur, vt Bartolus inquit in. l. 1. §. diuus Seuerus. de quaestio. cuius sententia communiter approbatur. Iudex autem arbitrari nõ debet, vt statim à tormentis reus ratam habeat confessionem: quia tuc & dolor tormentorum, & animi perturbatio durat. Sed saltem spectare tenetur per interuallum vnus diei, vt aiunt Iacob. butri. & Bal. in. l. 2. C. de his quæ vi. metusue caus. fiunt. Angel. & Imola in. l. qui in aliena §. vlti. de acquir. heredi. Bar. Alex. Iason, Brunus & alij relati per Careriu in practica nu. 197. melius per Tiraquel. de retractu conuentionali §. 1. glosa. 5. nu. 21. Id etiam ipsum cauetur regia. l. 4. titu. 30. parte. 7. Sed & prima instructione hispalen. capi. 15. decernitur, vt ex confessione in tormentis legitimè facta, & sequenti vel tertia die ratificata, possint inquisitores ad sententiam procedere, & talis confessio pro iusta probatione habeatur. Solent autem inquisitores in tertiam diem differre hanc ratihabitionem, quod quidem benignius est.

43 ¶ Quamuis autem confessio in tormentis facta, & postea reuocata non sufficiat ad condemnationem, efficit tamen, vt reus iterum torqueri possit, nisi fortè docuerit erroneam fuisse suam confessionem. Hæc est vsu recepta sententia, quã docuit Bald. in. l. in bonæ fidei. C. de reb. credi. Paris de syndicato. versu. viso de repetitione. Paulus in. l. vlti. C. de probatio. Boherius decisione. 163. Carerius in practica. nu. 190. & est decisum in constitutionibus Siciliæ lib. 1. titu. 27. in constit. Si damna clandestina. vbi post Andream de Ifernina hoc Matthæus colligit notabili. 14. cuius sententiæ rationes addunt, quia reus variauit, & sua confessione coadiuuauit præcedentia indicia, & nouam ex ore suo præsumptionem superinduxit.

44 ¶ Sed quid si reus iterum tortus, similiter cõfiteatur, & postea confessionem reuocat? Multi putant tertio talem esse torquendum, scilicet, Paris, antedicto. versu. viso de repetitiõ. Angel. de maleficijs,

cijs. parte, fama publica. verfi. nono quæro. Hippolytus in. l. repe-
ti. de quæstio. num. 9. Grilland. de quæstionibus, quæst. 7. Thom.
gramma. consil. 45. Carerius in practica. num. 194. Boherius de-
cisione. 163. col. vlti. qui oēs aiunt, quòd si reus tertio cōfessus, ter-
tio quoque reuocauerit, relaxari debet sub fidei iussoribus. Salua
tamen eorum pace, opinio hæc falsa & crudelis mihi videtur. nã
quòd his reus torqueri possit, iure atque ratione probatur: quòd
autem aliquis tertio torqueri queat, neque lege, neque vrgētira-
tione conuincitur. Quinimo cum reus in tormentis secundo fa-
tetur, nullum indicium de nouo inducit, alioqui millies torquē-
dus esset. nec enim maior causa est in tertio tormento, quàm in
quarto, quinto, & deinceps. fortè tamē tertio torqueri posset, cū
semel & iterum statim confessus, leuiter tortus fuit: vel cum in se-
cunda confessione aliquas circūstantias veras, aut verisimiles ad-
didit, vnde noua indicia superuenisse videri possit.

45 ¶ In prima verò instructione hispalēsi. cap. 15. in hunc sensum de-
creuerunt Patres, Qui confessionem tormentis extortam, non
habet ratam, & eam reuocat, compellendus est publicè abiurare
illos errores, de quibus diffamatus fuit: & præterea pœna aliqua
arbitraria puniri debet, propter infamiam & suspicionem rema-
nentem. hætenus ibi. Quo decreto significari videtur, quòd se-
mel tortus, non sit iterum torquendus in causa hæresis, tametsi
nouum indicium dederit sua confessione reuocata. Contrarium
tamen plus semel obseruari vidimus: quod iuri magis conso-
num videtur.

46 ¶ Ad postremum nouissè conueniet, qua forma & cautione iu-
dices in tormentis reos ipsos interrogare debeāt. Eam Vlpianus
explicuit hoc verborum tenore, Qui quæstionem habiturus est,
non debet specialiter interrogare, an Lucius Titius homicidium
fecerit: sed generaliter, quis id fecerit. alterū enim magis suggerē-
tis, quàm requirentis videtur. Et post pauca subiungit, Reus de
se potest interrogari, & si dum quæstio habebitur amplius dixe-
rit, rei fuerit iudicium, non interrogantis culpa. l. 1. § qui quæstio-
nem. de quæstio. Cui consonat regia. l. 4. tit. 30. parte. 7. nisi quòd
nec de seipso reum interrogare permittit. si verò per suggestionē
confessio

confessio fuerit extorta, non præiudicat confitenti: quia per iniu-
riam & vim contra ius extorquetur, & ita plerisque videtur. De-
mum præter vulgatiore, quæ in locis ordinarijs traduntur, videre
poteris Lucam de penna in. l. 1. de nume. & actua. lib. 12. Guillel.
benedict. in capit. rainutius. de testa. parte, mortuo. 1. nume. 206.
Igneum in. l. 1. § quæstionem. ad Sillania. & iustos tractatus de
quæstionibus, seu tormentis, editos à Guidone de fuzaria, Baldo
de perigliis, Francisco bruno, Paulo grillando, item quæ ab alijs.

DE VSURIS. CAP. LXIIII.



HÆRETICVS est, qui pertinaciter asserit, nō
esse peccatum exercere vsuras. clem. 1. § vltimo. de
vsuris. quia vtriusque testamenti pagina eas de-
testatur. cap. super eo. de vsuris. Nec tantum pro-
hibitæ sunt in sacris literis: sed multis etiam eccle-
siæ definitionibus, conciliorum canonibus; Pontificum, & san-
ctorum patrum decretis, passim interduntur, atque puniuntur.
Lumine quoque naturali omnes antiqui philosophi vsuras
execrati sunt. Cuius criminis causæ multæ assignari solent. Ac
primum, quòd minimè conuenit, mutua, quæ charitatis, benefi-
cij, & amicitia causa inducta sunt; in lucri sordidi certitudinem
vertere. Deinde, quòd vsura contra regulā illam naturæ sit, ex ni-
hilo nil gigni. Quòd pauperrati vnicū eius solatium, nempe ani-
mi securitatem, aufert. Quòd nondum natos fructus deuoret.
Quòd qui accipiunt sub vsuris, voruram ex vorura facientes, nū-
quam se extricant. Quòd vt plurimum ex luxu æs illud alienum
contrahatur. Quæ ferè omnia post Plutarchum in libello aureo,
de vitanda vsura, retulit Alciatus in. l. vsura pecuniæ. de verborū
significatione.

¶ Alij quoq; alias rationes addunt. Quòd vsurarius vendit vsum
pecuniæ, qui ab eius consumptione est inseparabilis, vnde bis idē
æstimat. Item tibi vendit vsum pecuniæ, quæ post mutuū, tua
est. Præterea cū pecunia statim sit periculo recipiētis: absurdum
est, vt fructus ad alium pertineāt. Deinde vsura est cōtra commu-
ne

ne rei publicæ bonum: cui dediti homines alias bonas artes deserunt, & aliorum facultates exhauriunt. Item in fœnore numus non solum præter naturam, sed etiam præter destinationem suam, numum parit. non enim ad quæstum faciendum ex seipso, sed ad alias necessarias rerum commutationes facilius expediendas inuentus est, vt ait Aristot. lib. 1. politi. cap. 6. Demum quia tanto deterior est vsura, quanto plus indigentia hominum insidiatur: actanto magis execranda, quanto commercium rei magis necessariae difficilius reddit. Hæc et alia collegerunt Conradus de contractibus quæst. 22. conclu. 2. & Carolus molineus lib. contractuum & vsurarum nu. 528.

2 ¶ Sed quamuis vsura vsque adeo sit execrabilis, nihilominus tamen de quæstionibus vsurarijs inquisitores cognoscere nequeunt. c. accusatus §. de quæstionibus. de hæret. lib. 6. eas enim remittere debent iudicibus ordinarijs, vt illic aiunt Ioa. mona. Archi. & alij. Nam cum auri sacra fames mouere soleat voluntatem vi obiecti ad illicita lucra, id fieri censetur vitio magis morum, quam fidei: ac proinde non errore intellectus, sed malitia voluntatis talia prouenire creduntur: vnde relinquitur, vt eorum cognitio inquisitorum non sit.

3 ¶ Si verò vsurarius assereret, licitas esse vsuras, tunc ab inquisitoribus tanquam verus hæreticus puniri posset: ac pœnitenti inter alia quoque ab eisdem iniungi, vt vsuras restituat. nam alioqui non ageret veram pœnitentiam, vt rectè inquiunt Domini. & Fracus in prædicto. c. accusatus §. fanè. & §. vlti. & post Federicum, Baldum, & Calderinum tradit Felinus in. c. cum sit. de foro competent. nu. 2. Alia multa de vsuris plixè scripta sunt ab episcopo Abulense, super cap. Matthæi. 25. quæst. 164. cum seq. et rursus in Exodo capitu. 22. quæst. 16. ab scholasticis in. lib. 4. sententia. distin. 15. itemque ab alijs multis theologiae, iurisque peritis, qui de vsuris & cambijs, magna commentaria, & ingentes tractatus ediderunt.

FINIS.

Trino & vni deo laus, gloria, & imperium.

ERRATA IN SIGNIORA.

¶ Folio. 2. linea. 13. coniectabatur. pro, coniectabat. & facie. 2. linea. 28. inquisitores. pro, inquisitoribus. Fol. 3. lin. 34. nunquam. pro, vnquam. & facie. 2. lin. 5. ecclesia. pro, in ecclesia. Fol. 4. lin. 35. castrensis. pro, constantiensis. & fa. 2. lin. 18. abiuratus. pro, abiuras. Fol. 5. lin. 9. a nullis. pro, annulis. & fa. 2. lin. 30. promtito. pro, promitto. Fol. 6. lin. 10. nūquam. pro, vnquam. Fol. 7. lin. 33. permittitur. pro, premitur. Fol. 51. lin. 8. priuatio. pro, priuatus. Fol. 23. lin. 25. deprehensione. pro, apprehensione. Fol. 27. lin. 30. deprehensionem. pro, apprehensionem. Fol. 32. lin. 31. verba. pro, vera. Fol. 172. lin. vltima. ofufficijs fgantur. pro, officijs fungantur. Fol. 176. facie. 2. lin. 22. opiniatone. pro, opinatione. Fol. 221. lin. 15. esset. p. cesset. Alia omnia erratula vnus literæ sunt, & quæ prudens lector facillè deprehendet.

VALLISOLETI.

Excudebat Ægidius de Colomies typographus in sua officina
pro foribus ecclesiæ diui Jacobi. A N N O.
M. D. L I I.

